Q.f.55

3K17

GGG.K.34

Ecc K 94

AVRELII AVGVSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Publici Bartoli Interpretis

AD

LIBROS QVATVOR INSTITVTIONVM

FL. IVSTINIANI CÆSARIS

Notæ, seu Breues Commentarij.

ROMÆ
Sumptibus Ioannis Iacobi Komarek Boëmi apud Angelum Custodem. M. DC. LXXXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Donum Auctoris.

Horatius de Arte Poetica

Quidquid præcipies, esto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

ILLVSTRISSIMIS DOMINIS

SACRI

CONSISTORII ADVOCATIS

Aurelius Augustinus Milliarius S. P. D.

CVM a plurimis annis in hoc Almæ Vrbis celeberrimo Archigymnasio, ILLVSTRISSIMI DOMINI, Vobis in Literario, rigorosoque Experimento approbantibus, Institutiones Fl. Iustiniani Cæsaris cupidæ Legum Iuuentuti publicè explicandas susceperim, non solùm ex corpore vtriusque Iuris, sed etiam ex receptis Doctorum Commentarijs, probatisque rerum Romanarum Scriptoribus plura adnotaui, quæ ad illarum intelligentiam vtilia mihi videbantur. Nouissimè verò quæ diuerso tempore non ex ordine scripseram, ordine debito distributa composui, vt ea (Amicorum

suasu) typis committerem . Ea igitur amplissimo Collegio Vestro nunc inscribo , vt erga Vos , quibus fautoribus ad explicandas Iuris Cæsarei Institutiones primitùs assumptus fui , & successiuè ad Cathedras digniores translatus , in aliquam grati animi significationem erumperem , simulque Vos certos redderem , quòd Studia apud me otio , & inertia non languescunt . Ne igitur dedignemini hæc Commentaria , quæ nunc obsequentissimus Vobis offero , benignè excipere : si enim hoc assequutus fuero , Vos benè de laboribus meis sentire arbitrabor ; sicque iudicio Vestro munitus , Studiorum meorum ad alia grauiora fiduciam habere non timebo . Diu Altissimus Vos incolumes seruet , ad maiora semper in dies properantes .

INDEX ALPHABETICVS

TITVLORVM INSTITVTIONVM IMPERIALIVM.

A

Acquisitione per arrogationem. *pag.* 433.
Actionibus. 583.
Ademptione, & translatione legatorum. 343.
Adoptionibus. 65.
Assignatione libertorũ. 421.
Attiliano tutore, & eo, qui ex Lege Iulia, & Titia dabatur. 105.
Auctoritate tutorum. 111.

B

Bonorum possessionibus. 423.

C

Capitis diminutione. 96.
Codicillis. 365.
Curatoribus. 119.

D

Diuisione stipulationũ. 464.
Donationibus. 216.
Duobus reis stipulandi, & promittendi. 459.

E

Emptione, & vẽditione. 494.
Eo, cui libertatis causa bona addicuntur. 435.
Exceptionibus. 651.
Excusationibus tutorum, vel curatorum. 128.
Exheredatione liberorũ. 261.

F

Fideicommissarijs hereditatibus. 349.
Fideiussoribus. 486.
Fiduciaria tutela. 103.

G

Gradibus cognationis. 407.

H

Heredibus instituendis. 269.
Hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur. 369.
Heredum qualitate, & differentia. 305.
His, per quos agere possumus. 640.
His, qui sui, vel alieni iuris sunt. 43.

I

Ingenuis. 26.

Iniu-

Iniurijs. 569.
Inofficioſo teſtamento. 299.
Interdictis. 660.
Inutilibus ſtipulationib. 467.
Iure naturali, gentium, & ciuili. 12.
Iure perſonarum. 23.
Iuſtitia, & Iure. 9.
L
Legatis. 313.
Lege Aquilia. 557.
Lege Falcidia. 345.
Lege Fuſia Caninia ſublata. 41.
Legitima agnatorum ſucceſſione. 388.
Legitima agnatorũ tutela. 94.
Legitima parentũ tutela. 102.
Legitima patronorum tutela. 101.
Libertinis. 29.
Literarũ obligationibus. 492.
Locatione, & conductione. 501.
M
Mandato. 513.
Militari teſtamento. 249.
N
Noxalibus actionibus. 632.
Nuptijs 51.
O
Obligationibus. 441.
Obligationibus ex conſenſu. 493.
Obligationibus quaſi ex contractu. 520.
Obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur. 537.
Obligationibus, quę ex quaſi delicto naſcuntur. 579.
Officio Iudicis. 673.
P
Patria poteſtate. 47.
Pœna temerè litigantiũ. 669.
Perpetuis, & temporalibus actionibus & quæ ad heredes & in heredes tranſeunt. 648.
Per quas perſonas nobis acquiritur. 228.
Per quas perſonas nobis obligatio acquiritur. 526.
Publicis Iudicijs. 676.
Pupillari ſubſtitutione. 284.
Q
Quibus alienare licet, vel non. 222.
Qui & quibus ex cauſis manumittere non poſſint. 35.

Quibus modis Ius potestatis soluitur. 73.
Quibus modis re contrahitur obligatio. 444.
Quibus modis testamenta infirmentur. 292.
Quibus modis tollitur obligatio. 529.
Quibus modis tutela finitur. 115.
Quibus non est permissum facere testamentum. 254.
Qui testamento tutores dari possunt. 90.
Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur. 625.

R

Rebus corporalibus, & incorporalibus. 188.
Replicationibus. 657.
Rerum diuisione, & acquirendo ipsarum dominio. 140.

S

Satisdatione Tutorum, vel Curatorum. 124.
Satisdationibus. 642.
Senatus Consulto Orphiciano. 400.
Senatus Consulto Tertulliano. 395.
Seruili cognatione. 413.
Seruitutibus rusticorum prædiorũ, & vrbanorum. 189.
Singulis rebus per fideicommissum relictis. 361.
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. 637.
Societate. 507.
Stipulatione seruorum. 461.
Successione cognatorũ. 403.
Successione libertorum. 415.
Successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatus Consulto Claudiano. 439.
Suspectis tutoribus, vel curatoribus. 142.

T

Testamentis ordinandis. 236.
Tutelis. 85.

V

Verborum obligatione. 451.
Vi bonorum raptorum. 553.
Vsucapionibus, & longi temporis possessionibus. 205.
Vsu, & habitatione. 200.
Vsufructu. 195.
Vulgari substitutione. 280.

EX *Commissione Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij Apostolici Commentarios hosce ad Quatuor Libros Institutionum Ciuilium D. Aurelij Augustini Milliarij in Archigymnasio Romano publici Bartoli Interpretis perlegi; nihilque in ijs reperi, quod aut Fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersetur: quinimò optimas, eruditasque Prælectiones continent, dignissimas proinde quæ lucem publicam, me iudice, aspiciant. Romæ hac die* 18. *Julij* 1686.

Raphael Fabrettus I. V. D. Vrbinas.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sacri Apostolici Palatij Mag. Ord. Præd.

AVRELII AVGVSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Publici Bartoli Interpretis

AD LIBRVM PRIMVM INSTITVTIONVM

FL. IVSTINIANI CÆSARIS

Notæ, seù Breues Commentarij.

PROOEMIVM.

In (a) nomine Domini nostri IESV CHRISTI.

Imperator (b) *Cæsar* (c) *Flauius* (d) *Iustinianus*, (e) *Alemanicus*, (f) *Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus*, (g) *pius, felix, inclytus, victor, ac triumphator semper* (h) *Augustus*, (i) *cupidæ legum iuuentuti*.

a IN *nomine Domini &c.* Hæc verba Christianæ inuocationis locum tenent.

b *Imperator*. Hoc nomen significat hic Romani Principis dignitatem.

c *Cæsar*. Imperatores, præter omnes alias Imperatoriæ Maiestatis notas, Cæsaris nomine gloriantur, quia Cæsar summo Orbis terrarum arbitrio dedit principium. *Nouella de Proconf. Capad. in princ.*

d *Flauius*. Imperatores Vespasianus, Titus, & Domitianus, qui è gente Flauia fluxerunt, familiæ nomen retinuerunt.

Postea longo interuallo plures Constantinopolitani Principes; qui ante Iustinianum regnarunt, Flauij nomen sibi assumpserunt. Idcòque illud idem retinuit Iustinianus.

c *Iustinianus.* Hoc fuit nomen proprium nostri Imperatoris.

f *Alemanicus, Gothicus &c.* Iustinianus hæc cognomina à Populis, & Prouincijs deuictis sibi adsciuit.

g *Pius, Felix &c.* Ab Antonino, qui Pius fuit cognominatus, ad sequentes Imperatores appellatio Pij peruenit. *Nouella 78. cap. 3.* Potest etiam dici, quòd Imperator ab acclamatione, quæ inaugurationis tempore, boni ominis causa fiebat, dicatur Pius, Felix &c. 1

h *Semper Augustus.* Octauianus Augusti cognomen assumpsit ex Munatij Planci sententia: cum quibusdam censentibus, Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem Vrbis, præualuisset, vt Augustus potiùs vocaretur, non tantùm nouo, sed etiam ampliore cognomine: quòd loca quoque religiosa, 2
& in quibus augurato quid consecratur, Augusta dicantur. *Sueton. in Octau. Aug.* Post Octauianum successores omnes idem cognomen retinuerunt.

i *Cupidæ legum iuuentuti.* Suos Institutionum libros cupidæ legum iuuentuti dedicat Iustinianus, propterea quòd iuuenes multò dociliores sunt senibus, *l. Præcipiunt 37. ff. de ædil. edict.* & discendi cupidi, multa discunt.

3

AD PRINCIPIVM PROOEMII.

Imperatoriam (a) *Maiestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis, rectè possit gubernari: & Princeps* (b) *Romanus victor existat non solùm in hostilibus prælijs, sed etiam per legitimos* (c) *tramites, calumniantium* (d) *iniquitates expellens: & fiat tàm iuris religiosissimus,* (e) *quàm victis hostibus triumphator.*

4

a *Imperatoriam &c.* Hoc est, oportet Imperatorem non solùm armis, sed etiam legibus munitum, & instructum esse. Summa enim Reipublicæ tuitio, vt loquitur Iustinianus in *Constitutione de Iustin. Cod. confir.* de stirpe duarum rerum, armorum scilicet atque legum venit.

b *Et Princeps Romanus &c.* Hoc est, & Imperator non ex armis

mis tantùm, sed etiam ex legibus glorioſam comparet ſibi victoriam. *Cuiac. hic.*

c *Per legitimos tramites.* Hoc eſt, per vias legum.

d *Calumniantium.* Hic calumniantium nomen generaliter accipitur pro omnibus delinquentibus.

e *Iuris religioſiſſimus.* Hoc eſt, Iuris obſeruantiſſimus.

Ad §. Quorum vtramque.

Quorum (a) *vtramque viam cum ſummis* (b) *vigilijs, ſummàque prouidentia, annuente Deo, perfecimus: Et bellicos quidem ſudores noſtros Barbaricæ gentes ſub iuga noſtra deductæ cognoſcunt: & tàm Africa, quàm aliæ numeroſæ* (c) *Prouinciæ, poſt tanta temporis ſpatia, noſtris victorijs à Cœleſti numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ, noſtròque additæ Imperio, proteſtantur. Omnes verò populi legibus* (d) *tàm à nobis promulgatis, quàm compoſitis reguntur.* 2

a QVorum vtramque viam &c. Hìc breuiter oſtendit Iuſtinianus tàm ex armis, quàm ex legibus gloriam ſibi comparaſſe, & conſequenter Imperatorio muneri ſatisfeciſſe.

b *Cum ſummis vigilijs.* Noctes enim Imperator noſter transibat inſomnes, vt ſubiecti quietè viuerent. *Nouella 8. in princ.* Et voluntarios labores appetebat, vt quietem alijs præpararet. *Nouella 114. in princ.* 3

c *Numeroſæ Prouinciæ.* Hoc eſt, multæ Prouinciæ. Sic enim ea ætate loquebantur, vt ſæpè Caſſiodorus.

d *Legibus tàm à nobis promulgatis, quàm compoſitis.* Leges promulgantur, cùm primùm in vulgus eduntur: Componuntur autem, cùm in ordinem redìguntur. Promulgauit igitur Iuſtinianus leges ſuas. Compoſuit alienas, & etiam ſuas.

Ad §. Et cum Sacratiſſimas. 4

Et cùm Sacratiſſimas (a) *Conſtitutiones* (b) *antea confuſas in loculentam ereximus conſonantiam: tunc* (c) *noſtram extendimus curam ad immenſa* (d) *veteris prudentiæ volumina, & opus* (e) *deſperatum, quaſi per medium* (f) *profundum euntes, cæleſti fauore iam adimpleuimus.*

a ET cùm sacratissimas &c. Summa huius, §. *Et duorum sequentium hæc est*: Iustinianus primò Codicem, posteà Pandectas, deindè Institutiones composuit. Intellige Codicem primæ editionis, quem tamen non habemus, sed ex eius emendatione, quamplurimis additis, detractisque, post Pandectas, & Institutiones, compositus fuit Codex repetitæ prælectionis, quo vtimur hodie, vt in *Constitutione vnica, de emend. Cod.* Vnde notandum est, quasdam Constitutiones Codicis esse posteriores Institutionibus: plerasque tamen esse priores: sunt enim eæ solæ posteriores, quæ in secunda Codicis editione adiectæ fuerunt à Iustiniano. 1

b *Constitutiones antea confusas in loculentam ereximus consonantiam*. Iustinianus enim Principum superiorum Constitutiones, quæ tribus Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, atque Theodosiano continebantur, & etiam extra eosdem Codices vagabantur, resecatis tàm superuacuis Præfationibus, quàm similibus, & contrarijs Constitutionibus, & desuetudine abrogatis, in vnum Codicem, quem de suo nomine Iustinianeum appellauit, ordine adhibito, digessit, vt in *Constit. vnica, de nouo Cod. fac.* Hodie tamen hunc Codicem non habemus, vt suprà dixi. 2

c *Tunc nostram extendimus curam &c.* Hic agitur de compositione Pandectarum: Iustinianus igitur post Constitutiones ordinatas, composuit Pandectas ex immensis veteris prudentiæ voluminibus.

d *Ad immensa veteris prudentiæ volumina*. Erant enim in duo penè millia librorum, & plusquàm tricies centena millia versuum propagata, vt in *l. 2. §. Sed cùm omnia C. de vet. Iur. enuc. & in Proœm. ff. §. Et antea*. 3

e *Et opus desperatum*. Hoc est, opus, quod omnem spem vincebat. *Theoph. Hic*. Seù, vt loquitur idem *Iustinianus in l. 1. §. Hocque opere C. de vet. Iur. enuc.* opus, quod nemo alius, neque sperare, neque optare ausus est.

f *Quasi per medium profundum euntes*. Hoc est, per viam immensam, atque difficillimam. 4

AD

Ad §. Cùmque hoc.

Cùmque (a) *hoc Deo propitio peractum est: Triboniano Viro Magnifico, Magistro,* (b) *& Exquæstore* (c) *Sacri Palatij nostri, nec non Theophilo, & Dorotheo viris illustribus, antecessoribus* (d) *(quorum omnium solertiam, & legum scientiam, & circa nostras iussiones fidem,* 1 *iam ex multis rerum argumentis accepimus) conuocatis, mandauimus specialiter, vt nostra auctoritate, nostrisque suasionibus Institutiones componerent: vt liceat vobis prima legum cunabula non ab antiquis* (e) *fabulis discere, sed ab Imperiali splendore appetere: & tàm aures, quàm animi vestri nihil inutile, nihilque perperam positum, sed quod* (f) *in ipsis rerum obtinet argumentis, accipiant. Et quod priore tempore vix post quadriennium prioribus contingebat, vt tunc Constitutiones Imperatorias legerent: hoc vos à primordio ingrediamini, digni tanto honore,* (g) *tantaque reperti felicitate, vt & initium vobis, & finis legum eruditionis à voce Principali procedat.*

a *Cvmque hoc &c.* Iustinianus, Pandectis absolutis, Triboniano, Theophilo, & Dorotheo mandauit, vt Institutiones componerent. Etsi autem Pandectæ absolutæ essent tempore huius mandati, nondum tamen editæ erant; imò primò Institutiones editæ fuerunt, posteà Pandectæ, vt ex data Prooemij Institutionum, & ex data Præfationis Pandectarum 3 apparet.

b *Magistro, & Exquæstore Sacri Palatij nostri.* Hæc verba Sacri Palatij nostri, etiam ad Magistri honorem sunt referenda. Erat enim Tribonianus Magister officiorum, ad quem, inter cætera, morum disciplina in Palatio pertinebat. *Cuiac. Hic.*

c *Exquæstore Sacri Palatij.* Tribonianus tempore compositarum Institutionum erat Quæstor Sacri Palatij, vt apparet ex. §. *vlt. Quib. alien. lic. vel non*, & ex §. *vlt. de fideicom. hæred.* Sed quo tempore hoc Prooemium, post absolutas Institutiones, 4 fuit conscriptum, quæstura functus iàm erat. Ideòque hìc, Exquæstor, dicitur. Quæstor autem Sacri Palatij sub Imperatoribus Constantinopolitanis erat, qui vice Principis leges dictabat, precesque ac responsa subnotabat, in summa, qui curam Iuris, & legum habebat. Cur verò huic dignitati, aut quomodo Quæstoris nomen inditum sit, quod ad eos propriè

per-

pertinet qui ærario præsunt, eruditè explicat *Cuiac. in Paratit. C. in tit. de offic. quæst. circa finem.*

d *Theophilo, & Dorotheo Viris Illustribus, antecessoribus.* Antecessores sunt, qui Ius Ciuile publicè docent: Sic dicti, quasi qui viam studiosis adolescentibus præeant, eosque quasi manu ducant. Theophilus Iuris Interpres fuit Constantinopoli, Dorotheus Beryto, *l. 2. §. Quæ omnia C. de veter. Iur. enuc.*

e *Non ab antiquis fabulis.* Antiquas fabulas vocat Institutiones 1
veteres, bona ex parte antiquitas: Nàm qui ea legunt, quæ olim obtinebant, & nunc ab vsu reiecta sunt, similes videntur ijs, qui in fabulas incidere. *Theoph. hìc.*

f *Quod in ipsis rerum obtinet argumentis.* Hoc est, quod obtinet in ipsa rerum experientia. *Theoph. hic, seù in vsu, & exercitatione forensi. §. Quæ omnia, de Satisdat.*

g *Digni tanto honore, tantàque reperti felicitate.* Hoc est reperti digni tanto honore, tantàque felicitate.

2

Ad §. Igitur.

Igitur post libros quinquaginta Digestorum, seù Pandectarum, in quibus omne (a) *Ius antiquum collectum* (b) *est, quos per eundem Virum excelsum Tribonianum, nec non* (c) *cæteros Viros illustres, & facundissimos confecimus: in hos quatuor libros easdem Institutiones partiri iussimus, vt sint* (d) *totius legitimæ scientiæ prima elementa: in* (e) *quibus breuiter expositum est, & quod antea obti-* 3
nebat, & quod postea desuetudine inumbratum, Imperiali remedio illuminatum est,

a *Omne ius antiquum.* Per mille, & quadringentos penè annos confusum, & à Iustiniano purgatum, vt in *Constit. de concep. digest. circa medium.*

b *Collectum est.* Pro, collectum est, libri veteres habent, col- 4
latum est: quibus assentitur *H. hic.* nàm colligere, minutam, & subtilem diligentiam significat: conferre verò, cogere est, & contrahere.

c *Nec non cæteros Viros.* Sexdecim, quos omnes enumerat, ac nominat Iustinianus in *l. 2. §. Quæ omnia C. de veter. Iur. enuc.*

d *Vt sint totius legitimæ scientiæ prima elementa.* Seù, vt loquitur idem Iustinianus in *Constit. de concep. digest. circa finem*, vt

ru-

rudis animus studiosi simplicibus enutritus, facilius ad altioris prudentiæ redigatur scientiam.

c *In quibus breuiter expositum est &c.* Sententia horum verborum hæc est: In Institutionibus breuiter expositum est, & quod anteà obtinebat, & desuetudine obumbratum non fuerat, & quod postea Imperiali remedio illuminatum est, cùm esset desuetudine inumbratum.

Ad §. Quas.

Quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, & præcipuè ex Commentarijs Gaij (a) *nostri, tàm Institutionum,* (b) *quàm rerum quotidianarum, aliisque multis Commentarijs compositas, cum* (c) *tres prædicti Viri prudentes nobis obtulerint: & legimus, & recognouimus, & plenissimum nostrarum Constitutionum robur eis accommodauimus.*

a *Gaij nostri.* Iustinianus ait, Gaij nostri, quoniam Institutiones præcipuè ex Commentarijs Gaij compositæ sunt, vt hic in *textu.* Floruit autem Gaius Adriani tempore, *l. Vtrum 8. ff. de reb. dub.*

b *Tàm Institutionum, quàm rerum quotidianarum*: Gaius tres libros Institutionum scripsit, rerum quotidianarum septem, vt videre est in Indice Auctorum Pandectarum.

c *Cùm tres prædicti Viri.* Tribonianus, Theophilus, & Dorotheus, vt suprà in §. *Cùmque hoc.*

Ad §. Summa itaque.

Summa (a) *itaque ope, & alacri studio has leges nostras accipite: & vosmetipsos sic eruditos ostendite, vt spes vos pulcherrima foueat, toto* (b) *legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Rempublicam in partibus eius vobis credendam gubernari. D.* (c) *CP. XI. Kal. Decembris. D.* (d) *Iustiniano PP. A.* (e) *III. Conf.*

a *Summa itaque ope.* Hortatur hic Imperator adolescentes gnauiter, alacritèrque harum Institutionum studijs operam dare, & sic eruditos se ostendere, vt spes sit de ipsis, toto legitimo opere perfecto, etiam Rempublicam rectè atque ordi-

ordine gubernari posse in partibus eius eisdem credendis ;

b *Toto legitimo opere perfecto*. Id autem perficitur quinquennio, vt in Procem. *ff.* §. *Sed quia solitum*.

c *D. CP. Ideſt, Data Constantinopoli*. Quam Vrbem Constantinus Magnus Romani Imperatoris Sedem esse voluit : vnde etiam Noua Roma appellata est. Sed anno Christi 1453. à Turcarum Tyranno fuit occupata, à quo etiam hodie possidetur.

d *D. Iustiniano PP. A. Ideſt*, D. Iustiniano perpetuo Augusto.

e *III. Cons. Ideſt, Tertium Consule*. Non erubescebant autem olim, & ipsi Principes ambire & gerere Consulatus, sicut & alia publica munera, *Mynſ. hic ſub num.* 6.

INSTITVTIONVM SEV ELEMENTORVM DOMINI IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS

LIBER PRIMVS.

De Iustitia, & Iure.

TITVLVS PRIMVS.

Iustitia (a) *est constans, & perpetua voluntas ius suum* (b) *cuique tribuendi.*

a *Iustitia est constans &c.* Hoc est, Iustitia est habitus animi, quo constanter & perpetuò, ius suum cuique tribuere volumus. Non obstat huic definitioni: Quod nihil sit stabile inter homines, & ita immobile, vt nullam patiatur mutationem. A. de non alienandis cap. 2. Quia, licèt homo non semper Ius suum cuique tribuat, sed quandoque alterum lædat, non tamen propter hoc Iustitia mutatur, sed mutatur Iustitiæ subiectum, ideſt; ipsemet homo, qui recedit à via, quam ei constanter & perpetuò dictat Iustitia.

b *Ius suum cuique.* Hoc est, quod cuique iure ac legibus debetur.

Ad §. Iurisprudentia.

Iurisprudentia (a) *est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti* (b) *atque iniusti scientia.*

a *Iurisprudentia est diuinarum atque humanarum rerum notitia.* Ius enim & diuinas & humanas res benè disponit, *l. prima in princ. C. de vet. Iur. enuc.* Et prisci Iurisprudentes diuinarum atque humanarum rerum periti erant. Per res autem diuinas, & humanas intelligimus Ius publicum & priuatum, quorum

illud in diuinis rebus, ideſt, ſacris, Sacerdotibus, & magiſtratibus, hoc, in humanis, quæ ad ſingulorum vtilitatem pertinent, conſiſtit, *l. prima §. huius ſtudij ff. de Iuſt. & Iur. Io. Borch. hic ſub num. 2.*

b *Iuſti atque iniuſti ſcientia.* His verbis ſignificatur, Iuriſprudentiam in vtroque Iure, publico, & priuato, æquum ab iniquo ſeparare, & licitum ab illicito ſecernere. *d. l. 1. ff. de Iuſt. & Iur. & idem Borch. hic ſub num. 3.* 1

Ad §. His igitur.

His igitur (a) *generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere iura populi Romani, ita videntur poſſe tradi commodiſſimè, ſi primò leui* (b) *ac ſimplici via, poſt deindè diligentiſſima atque exactiſſima interpretatione ſingula tradantur. Alioquin, ſi ſtatim ab initio rudem adhuc & infirmum animum ſtudioſi, multitudine ac varietate rerum onerauerimus, duorum alterum, aut deſertorem ſtudiorum efficiemus, aut cum magno labore, ſæpe etiam cum diffidentia, quæ plerumque iuuenes auertit, ſeriùs ad id perducemus, ad quod leuiore via ductus, ſine magno labore, & ſine vlla diffidentia maturiùs perduci potuiſſet.* 2

a HIS *igitur generaliter cognitis.* Hoc eſt, cognito generaliter quid ſit Iuſtitia, & quid ſit Iuriſprudentia.

b *Leui ac ſimplici via &c.* Leui ac ſimplici via traduntur iura in Inſtitutionibus, diligentiſſima atque exactiſſima interpretatione in Pandectis & Codice. 3

Ad §. Iuris præcepta.

Iuris (a) *præcepta ſunt hæc: Honeſtè viuere, alterum non lædere, ſuum* (b) *cuique tribuere.*

a IVris *præcepta &c.* Ex his primum nos ipſos reſpicit, cætera alios. Igitur quantum ad nos ipſos honeſtas requiritur, & erga alios ſic nos gerere debemus, vt alterum non lædamus, & ſuum cuique tribuamus. Et animaduertite, quod hæc ſunt iuris præcepta vniuerſalia, ſub quibus continentur omnia particularia, quæ ſunt penè infinita: quidquid enim iure conſtitutum eſt, præceptum eſt, quo recta iubentur, aùt vetantur contraria. 4

b *Suum*

b *Suum cuique.* Arctius hæc verba accipiuntur hic; quàm in definitione Iustitiæ: Ibi enim hæc tria præcepta comprehendunt: hic autem illud solùm quod extra duo priora præcepta relinquitur. *gl. hic.*

Ad §. Huius studij.

Huius (a) *Studij duæ sunt positiones, publicum, & priuatum. Publicum Ius* (b) *est, quod ad statum rei* (c) *Romanæ spectat.* (d) *Priuatum, quod ad singulorum* (e) *vtilitatem pertinet. Dicendum est igitur de Iure priuato, quod tripartitum* (f) *est. collectum est enim ex naturalibus præceptis, aùt gentium, aùt ciuilibus.* 1

a *Huius studij duæ sunt positiones.* Ideſt, duæ sunt partes: quasi diceret, hoc studium positum est duabus in rebus: nempè in ediscendo iure publico & priuato.

b *Publicum Ius est.* Publicum ius in Sacris, in Sacerdotibus, in magistratibus consistit. Hæc enim propriè sunt publicè vtilia, *l. 1. §. huius studij ff. de Iust. & iur.* 2

c *Ad statum Rei Romanæ.* Ideò dicitur, Rei Romanæ, quia versamur in iure Romano, generaliter autem Ius publicum est, quod ad statum Reipublicæ spectat.

d *Spectat. Scilicet principaliter.* Nàm ex consequentia, singulis etiam prosunt, quæ sunt publicè vtilia.

e *Ad singulorum vtilitatem pertinent. Scilicet principaliter, & generaliter.* Dixi principaliter, nàm ex consequentia sunt etiam publicè vtilia, quæ ad singulorum vtilitatem pertinent. Hinc dictum est Reipublicæ expedire, ne sua re quis malè vtatur *§. sed hoc tempore, verſ. expedit, de his, qui sui, vel alien. iur. sunt.* Dixi, generaliter, nàm quod ad vnum aliquem priuatum duntaxat pertinet, ius singulare & speciale, itemquè priuilegium dicitur. Priuilegium indè, quod priuatis, hoc est, singulis, non vniuersis detur, *c. priuilegia dist. 3.* 3

f *Quod tripartitum est. Collectum est enim &c.* Sententia horum verborum hæc est: Ius priuatum ex tribus fontibus deriuatum est. Collectum est enim partim ex naturalibus, partim ex gentium, partim ex ciuilibus præceptis. Animaduertendum est tamen, quod licet Ius priuatum habeat hanc triplicem causam, non tamen propterea est triplex, sed vnicum: neque enim sic diuidi potest, vt aliud sit naturale, aliud gentium, aliud ciuile. Cum satis constet ex hoc nostro textu Iura 4

illa naturalia, aût gentium, aût ciuilia, quæ fuerunt reuocata ad Ius priuatum Romanæ Ciuitatis, non esse species, sed partes Iuris priuati. De Iure publico similiter dici non potest, vt habeat hanc triplicem causam, vt scilicèt collectum sit ex præceptis naturalibus, aût gentium, aût ciuilibus. Quoniam Iuris publici, quod in Sacris, in Sacerdotibus, in magistratibus consistit, natura causa non est, sed gentium consuetudo, vel ciuilis ratio.

De Iure (4) naturali, gentium, & Ciuili. 1

TITVLVS SECVNDVS.

Ius naturale (b) *est, quod natura omnia animalia docuit. Nàm* (c) *ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in Cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris* (d) *atque fœminæ coniunctio, quam nos matrimoninm appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim cætera quoque animalia istius* (e) *iuris peritia censeri.* 2

a DE *Iure naturali &c.* Diximus in fine præcedentis tituli, quòd Priuatum Ius Romanorum, de quo proposuimus tractare, collectum est ex naturalibus præceptis, aût gentium, aût ciuilibus. Meritò igitur nunc subjicitur, de Iure naturali, gentium, & ciuili.

b *Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit.* Hanc definitionem Iustinianus ex Vlpiano desumpsit *in l. prima. §. Ius naturale ff. de Iust., & iur.* Fuit Vlpianus Stoicorum sectator. Stoicis autem natura & Deus vnum & idem sunt. Et animaduertite non referri ad Ius naturale, quidquid natura omnia animalia docet, sed ea tantùm, quæ in vitæ communione spectantur, vt ex subiectis in textu exemlis apparet. Ius enim ibi demum est, vbi aliqua communio est. Cicero de natura Deorum *lib. primo circa finem.* Vitæ autem communio maximè propria est hominum, & consequenter ex communi Doctorum sententia, Ius propriè non cadit in bruta. Galuanus tamen de Vsufructu *cap.* 5. *sub num.* 7. *& seq.* contendit cum brutis propriè Ius naturale nobis esse commune. Vbi etiam submouet argumenta, quæ huic sententiæ videntur obstare. 3 4

c *Nàm Ius istud non humani generis &c.* His verbis differentia Iuris naturalis & Iuris gentium significatur. Ius naturale omnibus

bus animalibus commune est: Ius gentium proprium est humani generis.

d *Maris atque fœminæ coniunctio.* Intellige animorum, non corporum coniunctionem. Hæc enim animorum coniunctio quodammodo reperitur etiam in brutis, sicuti enim bruta dicuntur habere animum reuertendi, quandiù reuerti solent. §. *Pauonum, de rer. diuis.*, ita dici possunt habere animum simul viuendi, quandiù simul viuunt. *Pac. hic in Analy.* 1

c *Istius iuris peritia censeri.* Hoc est, ijs qui legem hanc obseruant, adscribi, *Theoph. hic.*

Ad §. Iuius autem Ciuile.

Ius autem Ciuile à Iure gentium ita distinguitur: Omnes populi, (a) *qui legibus* (b) *& moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur. Nàm* (c) *quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius Ciuitatis proprium est: vocatùrque Ius Ciuile, quasi Ius proprium ipsius Ciuitatis. Quod verò* (d) *naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocatùrque Ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtantur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim* (e) *communi omnium hominum iure vtitur. Quæ singula, qualia sint, suis locis proponemus.* 2

a *QVI legibus &c.* Relatiuum, Qui, hoc loci non restringit, sed declarat. *Mynsi. hic.* 3

b *Legibus & moribus.* Siuè legibus tantùm, vt Athenienses, siuè moribus tantùm, vt Lacedemonij, siuè legibus & moribus coniunctim, vt Romani §. *Constat autem, & §. & non ineleganter. h. t.*

c *Nam quod quisque populus &c.* Est igitur Ius Ciuile Ius illud, quod quisque populus ipse sibi constituit. Concordat *l. omnes populi 9. ff. de Iust. & Iur.* Seù Ius Ciuile est, quod neque in totum à naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus Iuri communi: 4
Ius proprium, ideſt, Ciuile efficimus, *l. Ius Ciuile 6. ff. eodem.*

d *Quod verò naturalis ratio &c.* Igitur Ius gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Concordat *d. l. omnes populi 9. ff. de Iust. & Iur.* Seù Ius gentium est, quo gentes humanæ vtuntur, *l. 1. §. vlt. ff. eodem.* Et animaduertite, quod alia sunt Iura gentium, quæ sunt à mera naturali ratio-

ratione inter omnes homines constituta, veluti erga Deum religio: vt parentibus, & patriæ pareamus, *l. 1. in fine iuncta l. 2. ff. de Iust. & Iur.* Alia sunt, quæ vsu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ sibi constituerunt; vt sunt bella, captiuitates, & seruitutes, & omnes penè contractus §. *Ius autem gentium h. t.* Quæ duo Iura Interpretes nostri nominibus disiunxerunt; ita vt illud, quod est ex mera naturali ratione, Ius gentium primarium, alterum verò Ius gentium secundarium appellauerint. 1

c *Partim communi omnium.* Communi autem gentium Iure idcircò Populus Romanus vtitur, quia cum pars quædam earum sit, quod commune est, ad partem quoque pertineat necessè est. *Ex H. hic.*

Ad §. Sed ius quidem Ciuile.

Sed Ius quidem Ciuile ex vna quaque Ciuitate appellatur, veluti Athenienſium: nàm ſi quis velit Solonis, (a) *vel Draconis leges, appellare Ius ciuile Athenienſium, non errauerit. Sic enim & Ius, quo Populus Romanus vtitur, ius ciuile Romanorum appellamus, vel Ius Quiritium, quo Quirites vtuntur, Romani enim à Quirino* (b) *Quirites appellantur. Sed quoties non addimus nomen,* (c) *cuius ſit Ciuitatis, noſtrum Ius ſignificamus* (d): *ſicuti cum poetam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos* (e) *egregius Homerus, apud nos Virgilius.* 2

3

a *Solonis vel Draconis.* Draco Athenienſibus leges dedit seueras & rigidas ob magnitudinem pœnarum. Ideoquè poſteà legibus aliis mitioribus à Solone compoſitis vſi sunt Athenienſes. *Gellius lib. 11. cap. 18. Plutarc. in Solonis Vita.*

b *A Quirino. Ideſt, à Romulo. Contrà Varro lib. 4. de lingua latina.* Quirinum à Quiritibus appellatum existimat. Alij à Curibus, quos Romulus Romanis iunxerat, & Quirinum & Quirites dictos putant. Sunt qui haſtam antiquitus, Quirim, appellatam tradunt, Romulumque ab haſta, qua vtebatur assiduè, Quirinum cognominatum. Has varias opiniones recenſet *Ouidius lib. 2. Faſtorum his verſibus.* 4

Proxima lux vacua eſt: At tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Siuè

Siuè quod hasta Quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra Deus.
Siuè suo regi nomen posuere Quirites:
Seù quia Romanis iunxerat ille Cures.

Potes etiam hac de re videre Plutarchum in Vita Romuli. & Dionysium Halicarnassenm *lib. 2.*

c *Non addimus nomen.* Sed dicimus indefinitè Ius Ciuile.

d *Nostrum Ius significamus.* Propter excellentiam.

e *Apud Græcos egregius Homerus. Cicero in Topic.* Vt Homerus propter excellentiam, commune Poetarum nomen effecit apud Græcos suum.

Ad §. Ius autem gentium.

Ius autem gentium omni humano generi commune est. Nàm vsu exigente, (a) *& humanis necessitatibus, gentes humanæ iura quædam sibi constituerunt: bella etenim orta sunt,* (b) *& captiuitates secutæ, & seruitutes, quæ sunt naturali iuri contrariæ:* (c) *iure enim naturali, omnes homines ab initio liberi nascebantur. Et ex hoc iure gentium omnes penè contractus* (d) *introducti sunt, vt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, depositum, mutuum, & alij innumerabiles.*

a NAM *vsu exigente &c.* Quæ vsu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ sibi constituerunt, constitutiones sunt Iuris gentium secundarij. Vide supra ad §. *Ius autem Ciuile, in verbo, Quod verò naturalis ratio. h. t.*

b *Bella etenim orta sunt &c.* Ex hoc Iure gentium sunt etiam discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, omnes penè obligationes institutæ, *l. ex hoc Iure 5. ff. de Inst. & Iur.*

c *Quæ sunt naturali iuri contrariæ.* Fuerunt tamen seruitutes naturali ratione inductæ, ne scilicet captiui occiderentur, sed seruarentur. §. *Serui autem, de Iur. pers.* Videtur enim & minus malum quodammodo bonum esse. *Arist. Ethic. lib. 5. cap. 1.*

d *Omnes penè contractus.* Penè inquit Iustinianus, quia stipulatio,

tio, emphyteusis, literarum obligatio, & sponsalitia largitas, sunt Iuris Ciuilis, vt suo loco videbimus.

Ad §. Constat autem.

Constat autem ius nostrum aut ex scripto, aut ex non scripto, (a) *vt apud Græcos,* (b) τῶν νόμων οἱ μὲν ἐγγεγραπται, οἱ δὲ ἀγραφοι, *Scriptum autem ius est, lex, plebiscita, Senatusconsulta, Principum placita, magistratuum edicta,* (c) *responsa prudentum.* 1

a AVT *ex scripto, aut ex non scripto.* Ratio huius diuisionis exponitur infrà. §. *Et non ineleganter. h. t.*

b Τῶν νόμων *&c.* Idest, legum aliæ scriptæ, aliæ non scriptæ;

c *Magistratuum edicta.* Magistratuum edicta sunt quidem pars Iuris, vt hic in textu. Non tamen vim legis habent, nec legi similia sunt. §. *Quos autem, de bon. possess.* §. *hac exempli, de except.* Magistratus autem nomen Imperator hic ad Prætorem & 2
ad ædiles refert. §. *Prætorum quoque. h. t.*

d *Responsa prudentum.* Priusquam tamen Imperatores rerum esset domini, responsa prudentum erant ex iure non scripto, *l. 2. §. his legibus latis, & §. Ita in Ciuitate ff. de orig. Iur.* hoc est, ideò solùm probata quòd consensione populi conualuissent. *Cuiac. ad §. Responsa prudentum, in verbo, permissum erat. h. t.*

Ad §. Lex est.

3

Lex est, (a) *quod* (b) *populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante, veluti* (c) *Consule, constituebat.*

a LEX *est.* Hoc nomen, lex, commune est omnibus Iuris scripti speciebus: Hic tamen strictè sumitur, pro illa tantùm specie Iuris scripti, quod à Populo constituebatur: Alibi latissimè complectitur etiam Ius non scriptum.

b *Quod populus Romanus &c.* Antequam potestas populi ad Senatum esset translata, ferebantur leges per populi rogationem. 4
Rogabat enim Senatorius Magistratus populum vellet, iuberètne quid fieri: qui si præstabat consensum, lata, sancitàque lex erat. vt ex hoc nostro textu colligitur.

c *Veluti Consule.* Non semper Consules populum rogabant, sed quandoque etiam Prætores, Dictatores, Interreges. Et propterea Imperator hic vtitur particula, veluti.

Ad

Ad §. Plebiscitum.

Plebiscitum est, (a) *quod plebs, plebeio magistratu interrogante, veluti* (b) *Tribuno, constituebat. Plebs autem* (c) *à populo, eo differt, quo species à genere. Nàm appellatione populi, vniuersi ciues significantur, connumeratis* (d) *etiam patricijs &* (e) *Senatoribus: Plebis autem appellatione, sine patricijs, & senatoribus, cæteri ciues* 1 *significantur. Sed & plebiscita lata lege* (f) *Hortensia non minùs valere, quàm leges cæperunt.*

a *Plebiscitum est, quod plebs &c.* Euenit enim vt plebs in discordiam cum patribus peruenirent, & secederet: sibique Iura constituerent, quæ plebiscita vocantur, *l. 2. §. deindè cum esset ff. de orig. Iur.* Quod autem à plebe constituebatur, dicebatur Plebiscitum, quasi quod plebs sciuit ac ratum esse iussit. *Theoph. hic.* 2

b *Veluti Tribuno.* Hic necessarium est particulam, veluti, accipere pro, idest, Nulli enim alij præter Tribunos plebiscita rogabant.

c *Plebs autem à populo, eo differt, quo species à genere.* Hunc textum sic accipe: Sicut genus largiorem significationem habet, quàm species: ita populi nomen latius se extendit, quàm plebis. Nàm appellatione populi, vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patricijs & Senatoribus. Plebis autem appellatione, sine patricijs & Senatoribus, cæteri ciues signi- 3 ficantur, vt hic in textu. Rectius tamen dixisset Iustinianus, quo pars à toto. Nàm plebs eandem cum populo, quam pars cum toto, rationem habet. *H. hic.*

d *Connumeratis etiam patricijs.* Patricij dicti sunt, qui eorum Senatorum progenies erant, quos Romulus creârat. *Liuius lib. 1.* postea tamen, antiquissimæ cuiusque Senatoriæ familiæ liberi, Patricij appellati sunt.

e *Et Senatoribus.* Senatores erant in Vrbe primùm, non vt postea, quicunque sententiam in Senatu dicebant, sed qui à Cen- 4 soribus in Senatum lecti erant consilij publici causa. *Cuiac. in Paratit. ff. in tit. de Sentoribus.* Et hoc probatur ex *Gellio lib. 3. cap. 18.*

f *Lege Hortensia.* Legem Hortensiam tulit Q. Hortensius Dictator. *Gellius lib. 15. cap. 27. Plinius lib. 16. cap. 10.*

Ad §. Senatus Consultum.

Senatusconsultum est, quod (a) *Senatus iubet atque constituit. Nam, cum auctus esset populus Romanus in eum modum, vt difficilè esset in vnum eum conuocari legis sanciendæ causa, æquum visum est, Senatum* (b) *vice populi consuli.* 1

a QVOD *Senatus iubet atque constituit.* Senatorio magistratu interrogante, veluti Consule, vt suprà in definitione legis.

b *Senatum vice populi consuli.* Idest, interrogari. Lex fuit iam indè ab Vrbe condita, quæ omnium rerum potestatem Senatui permittebat, præter magistratuum creationem, legum iussa, & belli inferendi deponendiuè arbitrium. Horum enim potestas erat penès populi suffragia. *Dionys. Halicar. lib. 6. vltra medium. Pomp. Let. de magist. Rom. cap. 4.* 2

Ad §. Sed & quod Principi.

Sed & quod Principi (a) *placuit, legis habet vigorem: cum lege* (b) *Regia, quæ de* (c) *eius Imperio lata est, populus ei* (d), *& in eum omne imperium suum & potestatem concessit. Quodcunque ergo Imperator per epistolam* (e) *constituit, vel cognoscens decreuit,* (f) *vel edicto* (g) *præcepit, legem esse constat: hæ sunt, quæ constitutiones* (h) *appellantur. Planè ex his quædam sunt* (i) *personales, quæ nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc princeps vult. Nam quod alicui* (k) *ob meritum indulsit, vel si cui pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non transgreditur. aliæ autem, cum generales sint, omnes procul dubio tenent.* 3

a SED & *quod principi placuit, legis habet vigorem.* Ea tamen duntaxat legis nomine digna sunt, quæ sunt honesta & iusta. Et Antigonus Macedonum Rex cuidam dicenti, omnia Regibus honesta & iusta esse. Sunt omninò, respondit, Barbarorum quidem Regibus: At nobis sola honesta pro honestis, sola iusta pro iustis sunt habenda. *Plutar. Apopheg. vers. Antigonus.* 4

b *Cum Lege Regia.* Legem Regiam pro Augusto latam fuisse intelligitur ex *Strabone lib. 17. in fine*, vbi de Augusto loquens, ait, quòd Ciuitas ei totius Imperij administrationem permisit,

&

& pacis & belli potestatem ad annos vitæ. Eadem lex postea pro alijs Imperatoribus fuit renouata. Qua de re potes videre *H. in Ind. Leg. Rom. in verbo, Regia de vnius Imperio.*

c *Quæ de eius Imperio lata est.* Vndè etiam lex Imperij vocatur, *l. 3. C. de testamentis.*

d *Populus ei, & in eum &c.* Hoc est, populus Lege Regia Principi in populum omnem potestatem concessit. *Theoph. hic.* Vel dicas cum Accursio, Populus ei, & in eum &c. hoc est, populus Lege Regia omne Imperium suum & potestatem concessit Principi quo ad honorem, & in Principem quo ad onus. 1

e *Per epistolam.* Epistola est Rescriptum Principis ad relationem magistratus alicuius, de re quapiam dubia emissum.

f *Decreuit.* Decretum hoc loco est sententia Principis inter duas partes, de quarum causa ipse cognoscit & iudicat, pronunciata.

g *Vel edicto.* Edictum est quidquid ex sua natura motus Princeps statuit ad honestatem & vtilitatem subditorum. 2 *Theoph. hic.*

h *Hæ sunt, quæ constitutiones appellantur.* Communi nomine.

i *Quædam sunt personales &c.* Constitutionum aliæ personales sunt, aliæ generales. Generales sunt, quæ ad omnes pertinent: Personales verò sunt, in quibus propter certæ personæ rationem, à Iure communi recessum est. vt apparet ex hoc *tex. & ex l. 3. C. de legibus.*

k *Alicui.* Vni vel pluribus, *l. ex facto 43. in fine princ. ff. de vulg. & pupill.* 3

Ad §. Prætorum quoque.

Prætorum quoque edicta non modicam obtinent iuris (a) *auctoritatem. Hoc etiam Ius* (b) *honorarium solemus appellare, quòd qui honores gerunt, ideſt, magiſtratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Proponebant & ædiles* (c) *curules edictum de quibuſdam* (d) *cauſis, quod edictum Iuris honorarij portio eſt.* 4

a NON modicam obtinent iuris auctoritatem. Non tamen vim legis habent, nec legi similia sunt. §. *Quos autem, de bon. possess. §. hæc exempli, de except.*

b *Hoc etiam Ius honorarium &c.* Ius honorarium generaliter dicitur, quod à magistratibus constituitur. Quarè Ius prætorium honorarij iuris est portio, vt & ius ædilitium. Quia tamen

men Ius prætorium est maior pars Iuris honorarij, cùm dicimus Ius honorarium, solemus Ius prætorium intelligere.

c *Ædiles Curules.* Ædiles ab ædibus nomen habent: nàm ædes sacras, & priuatas procurabant. *Varro lib.4. de ling. lat.* Curules verò dicuntur, quod sellis curulibus vterentur tamquam Patricij magistratus. *Liuius lib. 7. in princip. Gellius lib. 6. cap. 9.* In curru enim sella erat, supra quam considebant, quæ ob eam causam curulis appellabatur *Gellius lib. 3. cap. 18.* 1

d *De quibusdam causis.* Vt de venditionibus seruorum, & iumentorum, *l. prima, & l. ædiles aiunt 38. ff. de ædil. edic.* De his, qui canem, verrem, aprum, aliudue simile animal ibi habent, qua vulgò iter fiat, *l. hi enim 40. cum duabus seq. ff. eodem.*

Ad §. Responsa prudentum.

Responsa prudentum sunt sententiæ, (a) *& opiniones eorum, quibus permissum erat iura* (b) *condere. Nàm antiquitus institutum erat, vt* 2
essent, qui Iura publicè interpretarentur, quibus à (c) *Cæsare ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellabantur. quorum* (d) *omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, vt Iudici recedere à responso eorum non liceret, vt est* (e) *constitutum.*

a SVNT *sententiæ & opiniones.* Sententia est perfecta & indubitata responsio. Veluti, hoc facere licet: hoc facere non licet. Opinio verò est, suspensa & timida, ac cum dubitatione elata responsio. Vt, existimo hoc fieri licere, existimo hoc 3
fieri non licere. *Theoph. hic.*

b *Iura condere.* Vndè & Iurisconditores dicuntur, *l. nulla dubitatio 23. C. de procurat. l. si furiosi 25. C. de nuptijs. l. vlt. C. Ad Senat. consult. Velleia. l. vlt. C. de hæred. vel act. vend.*

c *Quibus à Cæsare &c.* Primum ab Augusto, *l. 2. §. & vt obiter ff. de orig. Iur.* Deindè ab alijs Imperatoribus, *l. 1. §. Iubemus igitur C. de vet. iur. enuc.*

d *Quorum omnium &c.* Sententia huius loci est: quando hi omnes, quibus à Principe ius respondendi datum erat, concurre- 4
bant in vnam eandèmque sententiam, & opinionem, Iudici recedere à responso eorum non licebat.

e *Vt est constitutum.* Hoc quidam existimant referendum esse ad Theodosij Constitutionem de responsis prudentum in *C. Theodos.* Alij verò hoc referunt ad Constitutionem Augusti, de qua fit mentio in dicta *l. 2. §. Et vt obiter ff. de orig. iur.*

Ad

Ad §. Ex non scripto.

Ex non (a) *scripto ius venit, quod vsus comprobauit. Nàm diuturni mores consensu vtentium comprobati, legem* (b) *imitantur.*

a EX *non scripto &c.* Ius non scriptum ex hoc textu sic potest definiri. Ius non scriptum est, quod vsûs comprobauit, 1
scil quod diuturni mores consensu vtentium comprobati induxerunt. Quod ius vulgò dicitur consuetudo. Quod tamen non ratione introductum est, sed errore primùm, deindè consuetudine obtentum, in alijs similibus non obtinet, *l. Quod non ratione 39. ff. de legibus*. Sed quæritur apud Doctores quanto temporis spatio, & quot actibus introducatur consuetudo. Ego, quia hæc nulla lege definiuntur, judicis arbitrio relinquenda censeo, *arg. l.* 1. §. *vlt. ff. de Iur. delib. Pac. hic in Analy.* Item quæritur An necessè sit, vt isti actus sint iudiciales? Et 2
communis est Doctorum sententia, quod etiam extraiudiciales actus notorij sufficiant. *Oinot. hic sub num.* 6. *in fine*.

b *Legem imitantur*. Nàm quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis? *l. de quibus* 32. *ff. de legibus*.

Ad §. Et non ineleganter.

Et non ineleganter in duas species ius ciuile distributum esse videtur, 3
nam origo eius ab institutis duarum ciuitatum, Athenarum (a) *scilicet, & Lacedæmoniorum fluxisse videtur. In his enim ciuitatibus ita agi solitum erat, vt Lacedæmonij* (b) *quidem magis ea, quæ pro legibus obseruarent, memoriæ mandarent: Athenienses verò ea, quæ in legibus scripta comprehendissent, custodirent.*

a *Athenarum scilicet & Lacedæmoniorum. Liuius lib.* 3. Missi legati Athenas, Sp. Postumius Albus, A. Manlius, Ser. Sulpitius Camerinus: iussique inclitas Solonis leges describere, & 4
aliarum Græciæ ciuitatum instituta, mores, iuràque noscere. Scribit etiam Symmacus *lib.* 3. *epist.* 11. Romanas leges de latere Lycurgi, & Solonis sumptas fuisse. Et ex Dionysio Halicarnasseo *lib.* 2. planè intelligitur Romulum ipsum plures mores à Lacedæmoniorum disciplina desumpsisse.

b *Vt Lacedæmonij quidem &c.* Iosephus contra Apionem *lib.* 2.

vltra

vltra medium. Lacedæmonij quidem, & Cretenses moribus erudiebantur, non verbis: Athenienses verò, & penè omnes alij Græci, quæ oportebat facere, vel non, legibus præcipiebant.

Ad §. Sed naturalia.

Sed naturalia quidem iura, quæ apud (a) *omnes gentes peræquè seruantur, diuina* (b) *quadam prouidentia constituta, semper* (c) *firma atque immutabilia permanent. ea verò quæ ipsa sibi quæque ciuitas constituit, sæpè mutari solent, vel tacito* (d) *consensu populi,* (e) *vel alia postea lege lata.* 1

a *QVAE apud omnes gentes*. Per hæc verba planè datur intelligi de Iure gentium hic agi. Indubitatum est tamen Iuris naturalis eandem esse rationem.

b *Diuina quadam prouidentia*. Hoc neque naturalis, neque gentium Iuris est proprium, ineptèque hoc loco adiectum est. Nàm Ciuilia etiam Iura, diuina prouidentia constituta sunt. *H. hic*, 2

c *Semper firma atque immutabilia permanent*. Non solùm Iura naturalia sunt immutabilia, sed etiam Ius gentium primarium, de quo loquitur hic Imperator, est immutabile. Ius autem gentium secundarium mutabile est, longè tamen difficilius mutatur, quàm Ciuile. Exempla Iuris gentium primarij, & secundarij vide supra ad §. *Ius autem ciuile h. t. sub num.* 4. Et pro solutione eorum, quæ contra decisionem huius textus à Doctoribus obijciuntur, videre potes præceptorem meum *Dominum Bartholomæum Chesium Interpr. Iur. lib.* 1. *cap.* 27. 3

d *Vel tacito consensu populi*. Rectissimè etiam illud receptum est, vt leges, non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem, abrogentur, *l. de quibus* 32. *ff. de legibus*.

e *Vel alia postea lege lata*. *Modestinus in l. vlt. ff. de stat. hom.* Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt. Scribit etiam *Liuius lib.* 7. *in* 12. *tab.* legem fuisse, vt quodcumque postremùm populus iussisset, id Ius ratumque esset. 4

De

De Iure (a) Personarum.

TITVLVS TERTIVS.

Omne autem (b) *ius, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et priùs* (c) *de personis videamus. Nam* 1
parum est ius nosse, si (d) *personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur. Summa* (e) *itaque diuisio de Iure personarum hæc est: quòd omnes homines, aut liberi sunt, aut serui.*

a *DE Iure Personarum.* Quod hic Ius personarum dicitur, in tit. ff. de stat. hom. Status hominum appellatur.

b *Omne autem ius &c.* Hoc principium tituli in quibusdam editionibus est finis tituli præcedentis.

c *Et prius de personis &c.* Magis apertè, & aptè locutus esset 2
Iustinianus si sic dixisset: Et prius de Iure personarum videamus. Nàm parum est nosse Ius reliquum, si Ius personarum, quarum causa omne Ius constitutum est, ignoretur. *Facit l. 2. ff. de stat. hom.*

d *Si personæ, quarum causa &c.* Nàm finis Iuris est publica salus, & Ciuium subditorumque tranquillitas: Ideò in 12. tab. hæc lex scripta fuit: Salus populi suprema lex esto. *Mynsing. hic.*

e *Summa itaque diuisio.* Hoc est, Prima, præcipua, & principalis diuisio. 3

Ad §. Et libertas.

Et libertas quidem (ex qua (a) *etiam liberi vocantur) est* (b) *naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi* (c) *si quid vi, aut iure prohibetur.*

a *EX qua etiam liberi vocantur.* Iure naturali omnes liberi nascebantur, & vno communi, & naturali nomine homines appellabantur: deinde Iure gentium seruitute inuenta, alij hominum dicti sunt liberi, alij serui. *princ. tit. de libert.* Sententia igitur horum verborum: Ex qua liberi vocantur, hæc est: Qui Iure gentium retinent libertatem naturalem, ex ea liberi vocantur. 4

b *Est naturalis facultas*. Dicitur naturalis facultas, quia libertas à natura est. Natura enim omnes homines liberos procreauit, *l. Manumissiones 4. ff. de Iust. & Iur.* Et dicitur naturalis facultas eius, quod cuique facere libet. Hoc est, potestas, à natura hominibus data, faciendi quæ velint.

c *Nisi si quid vi, aut iure prohibetur*. Per hæc verba datur intelligi libertatem non propterea infringi, quod quis vi, aut Iure quandoque prohibeatur facere quodlibet. Vi, veluti cum me 1
agere aliquid volentem, quod Iure vetitum non est, fortior quispiam, & plus habens virium prohibet. Iure, veluti cum pœnarum minis cohibeor ne quidquid animo gratum est, faciam. *Theoph. hic.*

Ad §. Seruitus autem.

Seruitus autem (a) *est constitutio Iuris gentium, qua quis* (b) *dominio alieno contra* (c) *naturam subijcitur*. 2

a *Seruitus autem est constitutio Iuris gentium*. Dicitur constitutio Iuris gentium, quia seruitus Iure gentium introducta est, *l. 4. ff. de Iust. & Iur.* Quanuis enim serui fiant etiam Iure Ciuili. §. *Serui autem. h. t.* seruitus tamen à Iure gentium originem sumpsit. *d. l. 4.* Ius autem ciuile alias causas seruitutis addidit. *d. §. Serui autem.*

b *Qua quis dominio alieno*. Dicitur qua quis dominio alieno subijcitur: nàm ius belli vult, vt victores, eorum quos vicerint, domini fiant. *Theoph. hic.* Vndè Cyrus Persarum Rex 3
apud Xenophontem de *Instit. Cyri lib. 7. circa finem*. Est, inquit, æterna lex inter omnes homines, capta eorum vrbe, qui bellum alijs faciunt, tàm corpora illorum, qui sunt in Vrbe, quàm fortunas ijs vindicari, qui Vrbem capiunt.

c *Contra naturam*. Dicitur contra naturam, quia seruitus naturali iuri contraria est. §. *Sed ius quidem ciuile, vers. bella, de Iur. nat. gent. & ciu.* Fuit tamen seruitus inducta naturali ratione, vt scilicet capti ab hostibus seruarentur, qui aliqui occisi fuissent. 4
§. *Serui autem, hoc. tit.*

Ad

Ad §. Serui autem;

Serui autem ex eo appellati sunt; quòd Imperatores (a) *captiuos vendere*, (b) *ac per hoc seruare, nec occidere solent, qui etiam mancipia dicti sunt, eo quòd ab hostibus manu capiuntur.*

a *Imperatores*. Imperatores veteri more exercitus ducces, qui e fusis hostibus eo deinceps nomine à militibus appellarentur apud Iustinianum hìc intelligimus. *Anton. August. lib. Singul. ad modest. fol. mihi 266.*

b *Captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent. Horat. Epist. 16. lib. 1.*

Vendere cum possit Captiuum, occidere noli,
Seruiet vtiliter.

Ad §. Serui autem; aut nascuntur. z

Serui autem, aut nascuntur, (a) *aut fiunt. Nascuntur* (b) *ex ancillis nostris. fiunt, aut iure gentium, id est, ex* (c) *captiuitate: aut iure* (d) *ciuili, cum* (e) *liber homo* (f) *maior* (g) *viginti annis, ad pretium participandum se se venundari passus est.*

a *AVT nascuntur, aut fiunt.* Prius tamen serui fieri, quàm nasci cœperunt.

b *Nascuntur ex ancillis nostris.* Nàm omne, quod nascitur ex re 3
nostra, Iure gentium nostrorum est. §. *Item ea, quæ ex animalibus, de rer. diuis.*

c *Ex captiuitate.* Consuetudine tamen generali apud omnes Christianos receptum est, etiam tùm, cùm iusta causa belli prætenditur, captiuos non fieri seruos: hoc enim iure contra immanissimos tantùm hostes Turcas, & Saracenos vtimur: qui vicissìm nostros, si quando capiunt, in inclementissimam durissimamque seruitutem redigunt. *Mynsi. in §. Item ea, quæ ex hostibus, de rer. diuis. sub num. 4. Viglius in §. Eius qui apud hostes,* 4
Quib. non est permis. fac. test. sub num. 2.

d *Aut Iure Ciuili.* Seruitus Iure gentium inuenta est. *princ. tit. Inst. de libert.* Ius autem Ciuile addidit Iuri gentium alias seruitutis causas, vt hìc in *textu*, *& in nota seq.*

e *Cum liber homo.* Legitur apud *Theoph.* veluti cum liber homo: & rectè, nàm alijs etiam modis Iure ciuili fiunt serui: vt

puta cum quis seruus pœnæ efficitur atrocitate sententiæ : aùt cùm liberti condemnantur ingrati erga patronos . §. *Maxima , de capit. demin.*

f *Cùm liber homo maior viginti annis ad pretium &c.* Plura tamen requiruntur ad hoc vt aliquis hoc modo seruus fiat . Primo requiritur vt liber homo , qui ad pretium participandum se se venundari passus est , maior sit viginti annis, vt hìc in *text. II.* vt pretium ad ipsum peruenerit, *l. 1. ff. Quib. ad libert. proclam. III.* 1
vt emptor liberum eum esse nesciret, *l. libertus 7. §. Si quis sciens, & l. Imò eum 16. ff. de liberali causa. IV.* vt sit ingenuus,& sui iuris : nàm libertini, & filij familias ne eo à se modo libertatem abiudicent, ius patronatus , & potestas patria facit . *Cuiac. hic* . modus tamen iste constituendæ seruitutis fuit à Leone abrogatus in *Nouel. Constit. 50.*

g *Maior viginti annis* . Minori autem viginti annis datur ad libertatem proclamatio , nisi maior viginti annis factus pretium participatus sit , *l. 1. ff. Quib. ad libert. proclam.* 2

Ad §. In seruorum .

In seruorum (a) *conditiune nulla est differentia* : *in liberis multæ differentiæ sunt* : *aut enim* (b) *sunt ingenui , aut libertini* .

a IN *seruorum conditione nulla est differentia* . Neque enim de quoquam eorum dicere possis, minùs seruus, aut magis seruus. *Theoph. hic* . Quoad officia tamen, alij sunt viliores , alij honestiores , *l. sed & si 18. §. 1. ff. de usufructu* . 3

b *Aut enim sunt ingenui , aut libertini* . Sed nouissimo Iure omnes homines liberi , sunt ingenui , saluo tamen manumissoribus in manumissos iure patronatus . *Nouella 78.*

De (*a*) Ingenuis .

TITVLVS QVARTVS. 4

Ingenuus est is , qui statim (b) *vt natus est , liber est* : *siuè ex duobus, ingenuis , matrimonio editus est , siuè ex libertinis duobus , siuè ex altero libertino , & altero ingenuo . Sed etsi quis ex matre* (c) *nascitur libera , patre verò seruo* : *ingenuus* (d) *nihilominus nascitur . quemadmodum qui ex matre libera , & incerto patre natus est , quo-*

niam

niam (c) *vulgò conceptus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licèt* (f) *ancilla conceperit. Et è contrario, si libera conceperit, deindè ancilla* (g) *facta pariat, placuit* (h) *eum qui nascitur, liberum nasci: quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Ex his illud quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deindè ancilla* (i) *postea facta pepererit: liberum, an seruum pariat? & Martianus probat, liberum* (k) *nasci. Sufficit enim ei, qui in ventre est, liberam matrem, vel medio tempore habuisse: quòd verum est.*

a *De Ingenuis.* Diximus in titulo præcedenti, quòd omnes homines, aut liberi sunt, aut serui, atque etiam diximus in eodem titulo de seruis, consequenter igitur sequitur vt videamus de hominibus liberis, ideſt, de ingenuis, & libertinis, & primò de ingenuis, tamquam de dignioribus. Sed hodie omnimodò sublata libertinorum conditio videtur, siquidem ex *Nouella* 78. manumissi omnes ingenui fiunt, non libertini. 2

b *Qui statim.* Hac particula, statim, excluduntur ij, qui Principis beneficio natalibus restituti ingenuitatem consequuntur: aut sententia Iudicis pronunciantur ingenui, cum re vera libertini essent: hi propriè ingenui non sunt, licèt quantum ad totum Ius pertinet, perindè habeantur, atque si ingenui nati essent, *l. 2. 3. & vlt. ff. de natal. rest. l. Ingenuum 25. ff. de stat. homin.*

c *Sed etsi quis ex matre nascitur libera &c.* Hæc ita procedunt, quia vbi non est connubium, partus sequitur matrem. *Vulpian. in frag. tit. 5. §. penult.* 3

d *Ingenuus nihilominus nascitur &c.* Antiquitus tamen ingenui dicebantur, qui patrem ciere possent: hoc est, ex legitimo matrimonio suscepti. *Liuius lib. 10. verſ. En Romæ.*

e *Quoniam vulgò conceptus est.* Vulgò concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt, vel qui possunt quidem, sed cum habent quem habere non licet, qui & spurij appellantur, *l. vulgò concepti 23. ff. de stat. hom.*

f *Licèt ancilla conceperit.* Nàm regula Iuris hoc continet, vt 4
qui non de legitimo matrimonio concipiuntur, statum sumant eo tempore quo nascuntur. *Gaius lib. 1. Inst. tit. 4. verſ. Regula. Vulp. in Frag. tit. 5. in fine.*

g *Ancilla facta.* Hoc tamen de seruitute, quæ Iure tantùm Ciuili introducta est, intelligi oportet. Veluti si se participandi precij causa vendi passa sit. nàm si Iure gentium serua esset,

vtpotè bello capta, satis constat natum in eo statu filium seruum existere. *H. hic in verbo, vel medio tempore. Facit l. qui in vtero 26. ff. de stat. hom.* vbi Iulianus scribit, quòd si mulier pregnans ab hostibus capta fuerit, id quòd natum erit, post limi-
num habet.

h *Placuit eum qui nascitur liberum nasci.* Regula Iuris hoc continet, vt qui legitimè concipiuntur, tempore conceptionis sta- 1
tum sumant: qui verò non de legitimo matrimonio concipiuntur, statum sumant eo tempore quo nascuntur. Ac proindè legitima coniunctione conceptus, etiam si mater eius statum mutet, ideſt, si ancilla fiat, ille qui legitimè conceptus est, ingenuus nascitur. Qui verò non legitimo matrimonio concipitur, si mater eius ex ingenua, ancilla prægnans facta fuerit, seruus nascitur. *Gaius lib. 1. Inst. tit. 4. verſ. Regula.* Sed contra Regulam Iuris, fauor libertatis exposcit, vt liber nascatur. *Paul. Recept. Sent. lib. 2. tit. 24. in princ.*

i *Ancilla postea facta.* Dic vt suprà in verbo, Ancilla facta. 2

k *Liberum nasci.* Hanc quoque sententiam fauor, qui libertatibus exhibetur, extorsit. Quoniam ex Regula Iuris tradita in præcedentibus notis, certè partus liber non est.

Ad §. Cùm autem.

Cùm autem ingenuus aliquis natus sit, non officit illi, in seruitute (a) *fuisse, & posteà manumissum esse: sæpissimè enim constitutum est, natalibus* (b) *non officere manumissionem.* 3

a *IN seruitute fuisse.* In seruitute esse, hoc loco, seruire est, non seruum esse. Aliud enim est seruum esse, aliud seruire. *Quintil. Instit. Orat. lib. 5. cap. 10. verſ. Quòd autem proprium.* Seruus esse is dicitur, qui verè est seruus: seruire, seù in seruitute esse dicitur is, qui habetur pro seruo, cùm re vera sit liber. Videte exemplum apud Theophilum hic.

b *Natalibus.* Ideſt, ingenuitati. Hi enim tantùm libertini fiunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. *princ. tit. de* 4
libert.

De (a) libertinis;

TITVLVS QVINTVS.

Libertini (b) *sunt, qui ex* (c) *iusta seruitute manumissi sunt. Manumissio autem est* (d) *de manu datio. nàm quamdiù quis in seruitute est, manui & potestati suppositus est: manumissus, liberatur potestate. quæ res à Iure gentium originem sumpsit: vtpotè cùm Iure naturali omnes liberi nascerentur: nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed posteà quàm Iure gentium seruitus inuasit, secutum est beneficium manumissionis. & cùm vno* (e) *communi nomine omnes homines appellarentur, Iure gentium* (f) *tria hominum genera esse cæperunt: liberi, & his contrarium serui, & tertium genus libertini, qui dicerant esse serui.* 1

a *De libertinis.* Homines liberi, aut sunt ingenui, aut libertini. §. *vlt. de Iur. pers.* de Ingenuis diximus *in tit. præced.* Igitur competenti ordine sequitur vt de libertinis videamus. Sed hodie ex *Nouella* 78. manumissi omnes ingenui fiunt, non libertini: saluo tamen manumissoribus in manumissos Iure patronatus. 2

b *Libertini sunt &c.* Olim ex iusta seruitute manumissi, non dicebantur libertini, sed liberti, & qui ex libertis nascebantur, libertini appellabantur. *Suet. in Claud. cap.* 24. Sed in libris iuris, ipsi manumissi, nunc liberti, nunc libertini dicuntur, & qui ex his nascuntur ingenui sunt. Igitur apud Iuris Consultos liberti, & libertini re idem sunt. Ea tamen est inter has duas voces differentia, quod appellatio libertorum ad patronos refertur. v. g. est libertus Cæsaris, est liberta Agrippæ, ac priuatum quendam respectum denotat. Libertinorum verò appellatione, status, seù conditio hominum significatur. v. g. est homo libertinus, est mulier libertina. Vnde rectè inscribitur præsens titulus de libertinis, quoniam in eo agitur de conditione, seù statu ipsorum libertinorum: vbi autem de Iure patroni agitur, nominantur, liberti, vt infrà tituló de Successione libertorum, & titulo de assignatione libertorum. 3 4

c *Qui ex iusta seruitute.* Nàm qui ex iniusta, vel putatiua seruitute manumittuntur, libertini non efficiunt. §. *vlt. de ingenuis.* v. g. Qui à latronibus captus seruit, & manumittitur, libertinus non est: cum seruitus iusta non fuerit, *l. hostes 24. ff. de capt. & postlim.* Similiter qui natus ingenuus, suæ conditionis igna-

ignarus, seruit, & manumittitur, libertinæ conditionis non efficitur: sæpissimè enim constitutum est, natalibus non officere manumissionem. *d. §. vlt. de Ingenuis.*

d *Manumissio autem est de manu datio.* Apud Theoph. legitur: est datio libertatis. Et in *l. manumissiones 4. ff. de iust. & iur.* in Pandectis Florentinis legitur: Est de manu missio, ideſt, datio libertatis. Quæ lectura optima est.

e *Et cum vno communi nomine omnes homines appellarentur.* In *d.* 1
l. manumissiones 4. ff. de Iust. & Iur. legitur: Et cum vno naturali nomine homines appellarentur.

f *Inre gentium tria hominum genera &c.* Ante ius gentium, vno communi nomine omnes homines appellabantur: deindè Iure gentium seruitute inuenta, duo hominum genera esse cæperunt, liberi, & serui, & ad extremum manumissio tertium genus his inseruit libertinorum: qui cum inter liberos referrentur, natura liberi, ingenui appellati sunt, differentiæ gratia. *Eguinar. Baro. hic.* 2

Ad §. Multis autem modis.

Multis autem modis manumissio procedit: aut enim ex Sacris Constitutionibus in Sacrosanctis (a) *Ecclesijs, aut* (b) *vindicta, aut* (c) *inter amicos, aut* (d) *per epistolam, aut* (e) *per testamentum, aut per aliam quamlibet vltimam voluntatem. Sed & alijs* (f) *multis modis libertas seruo competere potest, qui tàm ex veteribus, quàm ex nostris constitutionibus introducti sunt.* 3

a *IN Sacrosanctis Ecclesijs.* Iam dudum placuit, vt in Ecclesia Catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis assistentibus Christianorum Antistibus, id faciant: vt propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice testium signent, *l. 1. C. de his, qui in Eccles. manu.*

b *Aut vindicta.* Vindicta dicitur fieri manumissio illa, quæ fit apud magistratum, veluti Prætorem, Consulem, Proconsulem, 4
Vlp. in frag. tit. 1. Vndè Persius Satyra 5.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi.

Vindicta verò, secundum Cornutum in d. Persij Satyram 5. virga est, qua manumittendi à Prætore in capite pulsantur: ideò sic dicta, quod eos vindicat libertati. *Et Theoph. in h. t. §. & legitimus modus*, scribit, quod apud magistratum facta manumissio

missio dicta est vindicta, quod vindicaretur mancipium in naturalem libertatem: aut à Vindicio quodam qui cum seruus esset, erupturam aduersus Romanos coniurationem, indicio suo patefecit: publicèque à Romanis manumissus est, & in honorem eius quicunque apud magistratum manumittebantur, vindicta manumitti dicebantur. Et vltima hæc Theophili sententia confirmatur ex *Liuio lib. 2. & Plutarcho in Poplicola.*

c *Aut inter amicos.* Manumissio inter amicos fiebat olim præsentibus amicis. *Theoph. in fin. h. t. vers. Naturales.* Ex Constitutione verò Iustiniani, si quis inter amicos libertatem dare seruo suo maluerit: licebit ei quinque testibus adhibitis suam explanare voluntatem, & quòd liberum eum esse voluerit, dicere: & hoc siuè inter acta fuerit testificatus, siuè testium voces attestationem sunt amplexæ, & literas tàm publicarum, personarum, quàm testium habeant, seruus quasi ex codicillis libertatem adipiscitur, *l. vnica §. Sed & si quis C. de lat. lib. tol.* 1

d *Aut per epistolam.* Per epistolam manumissio procedit, cum dominus seruo absenti missis literis permittit, vt liber viuat. *Theoph. in fin. h. t. vers. naturales.* Et ex Constit. Iustiniani requiritur, quod epistola sit à domino scripta, vel subscripta, & à quinque testibus subscripta *d. l. vnica §. Sancimus C. de lat. libert. tol.* 2

e *Ant per testamentum, aut per aliam quamlibet vltimam voluntatem.* Per vltimam voluntatem libertas & directò potest dari, hoc modo. Liber esto, liber sit, liberum esse iubeo; & per fideicommissum, vt puta, Rogo, fideicommitto hæredis mei, vt Stichum seruum manumittat. *Vlp. in frag. tit. de statu liberis.* 3 Libertates directæ & testamento & codicillis testamento confirmatis rectè dantur: fideicommissariæ & ab intestato, & codicillis non confirmatis relinqui possunt, *l. libertates 43. ff. de manumiss. testam.*

f *Sed & alijs multis modis.* Quorum plerique enumerantur *in l. vnica C. de lat. lib. tol. & in Nouella 78. cap. 3.*

Ad §. Serui verò.

4

Serui verò à dominis semper (a) manumitti solent, adeò vt vel in transitu manumittantur, veluti cum Prætor, aut Præses, aut Proconsul in balneum, vel in theatrum eant.

a *Semper manumitti solent.* Non tantùm apud Prætorem pro tribunali sedentem, sed etiam alio quocunque loco, & omni

omni tempore, etiam in die festo. *tex. & Theoph. hic. l. non est omninò 7. ff. de manumissis vindicta.* Et ratio est, quia manumissio non est contentiosæ Iurisdictionis, sed voluntariæ. *l. 2. ff. de offic. proconf.*

Ad §. Libertinorum autem.

Libertinorum autem status tripartitus antea fuerat. nam qui manumittebantur, modò maiorem & iustam (a) *libertatem consequebantur, & fiebant* (b) *ciues Romani: modò minorem, & latini,* (c) *ex lege Iunia Norbana fiebant: modò inferiorem, & fiebant ex lege Aelia Sentia dedititiorum* (d) *numero. Sed dedititiorum quidem pessima* (e) *conditio, iam ex multis temporibus in desuetudinem abijt, latinorum verò nomen non frequentatur, ideòque nostra pietas omnia augere, & in meliorem statum reducere desiderans, duabus* (f) *constitutionibus hoc emendauit, & in pristinum statum perduxit: quia & à primis Vrbis Romæ cunabulis vna atque simplex libertas competebat, ideſt,* 2 *eadem* (g) *quàm habebat manumissor: nisi quòd scilicet libertinus* (h) *fit, qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit. Et dedititios quidem per Constitutionem* (i) *nostram expulimus, quàm promulganimus inter nostras decisiones, per quas suggerente nobis Triboniano viro excelso Quæstore; antiqui Iuris altercationes placauimus. Latinos autem Iunianos* (l) *& omnem, quæ circa eos fuerat, obseruantiam, alia constitutione* (m) *per eiusdem Quæstoris suggestionem correximus, quæ inter Imperiales radiat sanctiones. Et omnes libertos nullo* (n) *nec ætatis manumissi, nec domini* (o) *manumissoris, nec in* 3 *manumissionis* (p) *modo, discrimine habito, sicuti antea* (q) *obseruabatur, ciuitate* (r) *Romana donauimus, multis modis* (s) *additis, per quos possit libertas seruis cum Ciuitate Romana, quæ sola est in præsenti, præstari.*

1

a ET *iustam libertatem.* Ideſt, plenam, integram, perfectam. *H. hic.*

b *Et fiebant ciues Romani.* Ciues Romani fiebant, qui vindicta, censu, aut testamento nullo iure impediente manumittebantur 4 *Vlp. in frag. tit. 1.* De manumissionibus, quæ fiebant vindicta, vel testamento, videte *ad §. Multis autem modis. h. t.* Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu Romæ, iussu dominorum, inter Ciues Romanos censum profitebantur. *Vlp. vbi suprà.* Postea manumissio, quæ censu fiebat, desijt esse in vsu, & eius loco inducta fuit manumissio in Ecclesia. Vndè *Anianus*

nus in tit. 1. *Instit. Gaij*, manumissionem factam in Ecclesia, manumissioni censu factæ substituit.

c *Et latini*. Latini fiebant, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione manumittebantur. *Gaius lib.* 1. *Instit. tit.* 1. De manumissis per epistolam, aut inter amicos videte ad d. §. *Multis autem modis*. Conuiuij adhibitione manumissio procedebat, cum libertatis dandæ gratia dominus seruos conuiuio adhibebat. *Theoph. in fine h. t. verf. naturales*. Latini autem liberti ad similitudinem antiquæ latinitatis, quæ in colonias missa est, videntur esse introducti, *l. vnica C. de lat. lib. tol. Qua de re optimè H. hic*. Et licèt vt liberi vitam suam peragebant, attamen ipso vltimo spiritû, simul animam, atquè libertatem amittebant. §. *Sed hæc*, *Inst. dè succes. libert.* & propterea consequebantur non iustam libertatem, sed minorem, vt hic in textu. Si tamen iterum à patronis, aut testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem manumittebantur, ciuium Romanorum priuilegia consequebantur. *Gaius vbi suprà*. Alij modi, quibus latini Ius Quiritum consequebantur, numerantur à *Vlp. in frag. tit.* 3. 1 2

d *Dedititiorum numero*. Deditij propriè dicebantur ij, qui cum à societate Populi Romani defeciſſent, postea metu perterriti se se ei dedebant. Quoniam autem multò deteriore, quàm ciues Romani conditione, ac iure erant: propterea factum, vt serui quoquomodo manumissi post admissa crimina, pro quibus fuerunt supplicijs subditi, & publicè cæsi, aut igne, aut ferro in facie, vel corpore notati, ita vt indicia deleri non possent, dedititiorum numero dicti sint: Hi enim ciuium Romanorum Iura non assequebantur, nec ad ea peruenire poterant. *Gaius lib.* 1. *Instit. tit.* 1. *Videte Vlp. in frag. tit.* 1. & *Theoph. hic*. 3

c *Pessima conditio*. Nàm ciuium Romanorum iura non assequebantur, nec ad ea peruenire poterant vt suprà diximus, & non longè à seruorum conditione distabant.

f *Duabus Constitutionibus*. Vna, de Dedititia libertate tollenda, altera, de latina libertate tollenda, *lib.* 7. *Cod.* 4

g *Eadem, quam habebat manumissor*. Et vterque ciuis erat Romanus. *Theoph. hic*.

h *Libertinus fit, qui manumittitur*. Sed ex Nouella 78. manumissi omnes ingenui fiunt non libertini.

i *Per Constitutionem nostram*. *In l. vnica C. de Dedit. libert. tol.*

l *Iunianos*. Idest, ex Lege Iunia Norbana inductos, vt hic in textu *in princ.* §.

m *Alia Constitutione. In l. vnica C. de lat. lib. tol.*

n *Nullo nec ætatis manumissi.* Olim ex Lege Ælia Sentia minor triginta annorum manumissus vindicta, ciuis Romanus non fiebat, sed seruus manebat, nisi apud Consilium causa probata fuisset. Testamento verò manumissus, latinus fiebat: nisi ab eo domino, qui soluendo non erat, testamento liber esse iussus, & hæres institutus esset: tunc enim ciuis Romanus & hæres fiebat: si tamen alius ex eo testamento nemo hæres erat. *Vlp. in frag. tit.* 1. Iustinianus verò omnes libertos, nullo ætatis manumissi discrimine habito, Ciuitate Romana donauit, vt hic in textu. 1

o *Nec domini manumissoris.* Olim, qui ex Iure Quiritum erat dominus, seruum, quem vindicta, censu, aut testamento, nullo iure impediente, manumittebat, ciuem Romanum faciebat. Qui verò tantùm in bonis seruum habebat, quoquomodo manumittendo, latinum faciebat: nisi tamen manumissus in ea causa esset, vt dedititius fieri deberet. Sed hodie libertini omnes Ciuitate Romana donati sunt, nullo domini manumissoris discrimine habito, vt hic in textu, hoc est, nullo discrimine habito, vtrùm manumissor ex Iure Quiritum sit dominus, an verò tantùm in bonis seruum habeat. Hanc enim inter dominos differentiam sustulit Iustinianus, *l. vnica C. de nudo Iur. Quir. tol. Videte Vlp. in frag. tit.* 1. *& Theoph. hic.* 2

p *Nec in manumissionis modo.* Olim, qui vindicta, censu, aut testamento, nullo iure impediente, manumissi erant, ciues Romani fiebant. *Vlp. in frag. tit.* 1. Qui verò per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione manumittebantur, latini efficiebantur. *Gaius lib.* 1. *Instit. tit.* 1. Nisi quis in ea causa esset, vt dedititius fieri deberet secundum ea, quæ diximus suprà in verbo, dedititiorum numero: Qui enim in ea causa erat, quoquomodo manumissus fuisset, dedititiorum numero fiebat, nisi ab eo domino, qui soluendo non erat, testamento liber esse iussus, & hæres institutus esset: tunc enim ciuis Romanus, & hæres fiebat, si tamen alius ex eo testamento nemo hæres erat. *Vlp. vbi suprà.* Sed Iustinianus libertinos omnes nullo discrimine habito in manumissionis modo, Ciuitate Romana donauit, vt hic *in tex.* 3 4

q *Sicuti antea obseruabatur.* Nàm à primis Vrbis Romæ cunabulis vna atque simplex libertas competebat, idest, eadem quam habebat manumissor, vt hic in textu, *vers. Quia & à primis.*

r *Ciuitate Romana donauimus.* Et nouissimè idem Iustinianus manu

manumissos omnes ingenuos esse voluit, non libertinos: salvo tamen manumissoribus in manumissos iure patronatus. *Novella* 78.

f *Multis modis aliditis. Vide l. vnicam C. de lat. lib. tol. & d. Novell. 78. cap. 3.*

Qui (a) & quibus ex causis manumittere non possint. 1

TITVLVS VI.

Non (a) *tamen cuicunque volenti manumittere licet. Nàm is, qui in fraudem* (b) *creditorum manumittit, nihil* (c) *agit: quia lex Aelia* (d) *Sentia impedit libertatem.*

a QVI *& quibus &c.* Diximus suprà, vbi, quando, & quomodo possit fieri manumissio: Sed quia non omnes manumittere possunt, neque ex omnibus causis: ideò sequitur vt videamus Qui & quibus ex causis manumittere non possint. In alijs editionibus hæc Rubrica inscribitur; Quibus ex causis manumittere non licet. 2

b *Qui in fraudem creditorum.* Quis autem in fraudem creditorum manumittere videatur, videbimus infrà eodem *Ad §. In fraudem.*

c *Nihil agit.* His verbis significatur ipso iure nullam esse manumissionem. Est autem ipso iure nulla manumissio: quia lex Ælia Sentia impedit libertatem, vt hic in textu. Hoc est, quia lex Ælia Sentia in fraudem creditorum manumittere prohibet. *Vlp. in frag. tit. 1. §. eadem lex.* Quod enim fit lege prohibente, ipso iure nullius momenti est, *l. non dubium 5. C. de legibus.* Quapropter *Gaius lib. 1. Instit. tit. 1. de hac manumissione sic ait:* Si aliquis in fraudem creditoris sui seruos suos manumittere voluerit, collata manumissio non valet. Est tamen notandum, quod is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit, quoad ipsos creditores, non quoad se ipsum. Nàm sibi ipsi nocet. Si enim fraudem se fecisse creditoribus, vt reuocet libertates, audeat dicere: audiri non debet, *l. si creditoribus 5. C. de ser. pig. dat. man.* Alienatio verò facta in fraudem creditorum, ipso iure valet, & opus est actione ad eam rescindendam. *§. Item si quis in fraudem, Instit. de act.* Ratio diuersitatis est, quia non lex, sed Prætor solus factam in fraudem creditorum alienationem 3 4

tionem improbat, *l. 1. & tot. tit. ff. Quæ in fraud. cred.* Manumissio verò in fraudem creditorum lege Ælia Sentia nominatim prohibetur vt suprà diximus.

d *Lex Aelia Sentia.* Lex Ælia Sentia Sexto Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino Consulibus, D. Augusti temporibus lata fuit anno ab Vrbe condita 757. *Dio. lib.* 55.

Ad §. Licet autem. 1

Licet autem domino, qui (a) *soluendo non est, in testamento seruum* (b) *suum cum* (c) *libertate hæredem instituere, vt liber fiat, hærèsque ei* (d) *solus & necessarius, si modò ei nemo alius ex eo testamento hæres extiterit: aut quia nemo hæres scriptus sit, aut quia is, qui scriptus est, qualibet ex causa hæres* (e) *non extiterit. Idquè eadem lege Aelia Sentia prouisum est, & rectè. Valde enim prospiciendum erat, vt egentes homines, quibus alius hæres extiturus non esset, vel* (f) *seruum suum necessarium hæredem haberent, qui satisfacturus esset* 2 *creditoribus: aut, hoc eo non faciente, creditores res hæreditarias serui* (g) *nomine vendant, ne iniuria* (h) *defunctus afficiatur.*

a QVI *soluendo non est.* Hoc est, qui solidum soluere non potest, *l. soluendo* 114. *ff. de verb. sig.*

b *Seruum suum.* Qui tamen pignori specialiter datus fuit, & in eadem causa permansit: ne ab eo quidem debitore qui soluendo non fuit, liber & hæres necessarius existere potest, *l. 1. C. de necess. serv. l. 3. C. de ser. pig. dat.* Et quando quis soluendo non est, lex Ælia Sentia amplius, quàm vnum necessarium hæredem fieri vetat, *l. Qui soluendo* 42. *ff. de hæred. instit.* Ideòque si duo, pluresue hæredes scripti sint, vti quisque primus scriptus est, hæres erit, *l. Qui soluendo* 60. *ff. de hæred. instit.* nisi si quando maioris pretij sit is, qui ante nominatus est: nec sufficiat, vt creditoribus suum soluatur, posteriorem retrahi in seruitutem: priorem autem sufficiat. Nàm hoc casu, sequenti loco scriptus, solus ad libertatem perueniet, *l. si quis habens* 24. *ff. Qui, & à quibus.* Quod si duo sint ita hæredes scripti, vt qui prior, qui posterior nominatus sit, non possit agnosci, veluti quia dixit testator, duos Appollonios liberos, hæredèsque esse iubeo, institutio nullius erit momenti, nisi alter ante apertas tabulas testamenti mortuus fuerit. Nàm hoc casu is, qui supererit, liber, & solus necessarius hæres erit. *d. l. Qui soluendo* 42. *ff. de hæred. instit.* 3 4

c *Cum libertate*. Idem iuris est, etsi sine libertate seruus hæres institutus est. §. *Idèmque iuris*. *h. t.*

d *Ei solus*. Ei tamen, qui soluendo non est, aliquo casu euenit, vt & seruus cum libertate hæres existat, & præterea alius hæres adijciatur, vt in *l. Ei, qui soluendo* 88. *ff. de hæred. instit.*

e *Hæres non extiterit*. Vel quia noluerit, vel quia non potuerit. §. *posteriore*, *Quib. mod. test. infir.*

f *Vel*. Pro saltem. 1

g *Serui nomine*. Seruus igitur iste necessarius hæres institutus, non magis patrimonium, quàm infamiam consequi videtur, *l. 3. C. Theodos. de Inoffic. test. Gaius lib. 2. Inst. tit. 3. infine*. Mercedem tamen ignominiæ habet libertatem, quæ inæstimabilis res est, *l. libertas* 107. *ff. de reg Iur.* & ea, quæ post mortem patroni sui sibi adquisierit, ipsi reseruantur. §. *Necessarius*, *Inst. de hæred. qual. & dif.*, dummodò tamen, antequam bonis hæreditarijs se immiscеat, bonorum separationem à Prætore impetret, *l. 1. §. vlt. ff. de separationibus*. 2

h *Ne iniuria defunctus afficiatur*. Hoc est, ne defunctus afficiatur ignominia, vel contumelia. *Theoph. hic*. Nàm quandam subit ignominiæ notam is, cuius bona propter æs alienum publicè distrahuntur, *l. primo gradu 23. ff. Quæ in fraud. cred. l. Curator 5. ff. de curat. fur.*

Ad .§ Idèmque iuris.

Idèmque (a) *iuris est etsi sine libertate seruus hæres institutus est*. 3
Quod nostra (b) *Constitutio non solùm in domino, qui soluendo non est, sed generaliter constituit, noua humanitatis* (c) *ratione, vt ex ipsa scriptura institutionis, etiam libertas ei competere videatur: cum non sit verisimile, eum, quem hæredem sibi elegit, si præmiserit libertatis dationem, seruum remanere voluisse, & neminem sibi hæredem fore*.

a IDèmque iuris est &c. Dixit Imperator in præcedenti. §. *quod licet domino*, qui soluendo non est, in testamento seruum 4
suum cum libertate hæredem instituere, vt liber fiat, hæresque ei solus & necessarius. Nunc ait, quod idem iuris est etsi sine libertate, ideſt, nulla facta mentione libertatis, seruus hæres institutus est.

b *Quod nostra Constitutio*. Hæc constitutio est decisio, *l. penult. C. de necess. serv. hæred. instit.*

c *Noua*

c *Noua humanitatis ratione.* Noua ista humanitatis ratio est: Quia non est verisimile, quod dominus eum, quem hæredem sibi elegit, si prætermiserit libertatis dationem, seruum remanere voluerit, & neminem sibi hæredem fore, vt hic in textu. Hanc rationem, nouam Imperator vocat, quoniam ipse primus eam inuenit. Quanuis enim ante Iustinianum, etiam Atilicino placuisset, contra plurium sententias, proprios seruos, etiam aliter, quàm cum libertate, dominum rectè instituere 1
posse, *princ. tit. Inst. de hæred.instit.*, dictam tamen rationem Atilicinus non assignabat.

Ad §. In fraudem.

In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel iam eo tempore, quo manumittit, soluendo non est: vel datis libertatibus, desiturus est soluendo esse. Præualuisse tamen videtur, nisi animum quoque fraudandi manumissor habuerit, non impediri libertatem, quamuis bona eius creditoribus non sufficiant. Sæpe enim (a) *de facultatibus suis amplius, quàm in his est, sperant homines. itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cum* (b) *vtroque modo fraudantur creditores: ideſt, & consilio manumittentis, & ipsa re, eo quòd eius bona non sunt sufficitura creditoribus.* 2

a Sæpè enim de facultatibus suis &c. Quod frequenter accidit ijs, qui transmarinas negotiationes, & alijs regionibus, quàm in quibus ipsi morantur, per seruos atque libertos exercent, 3
l. In fraudem 10. *ff. Qui & à quibus.*

b *Cum vtroque modo.* Hæc in directis libertatibus locum habent: In his enim inspicitur consilium, & euentus. Sed in fideicommissariis euentus tantùm inspicitur, *l. Ergo* 4. §. *Si quis autem ff. de fideicommiss. libert. l. vlt. C. Qui manumitt. non pos.*

Ad §. Eadem Lege.

Eadem lege Aelia Sentia domino minori (a) *viginti annis, non aliter* 4
manumittere permittitur, quàm (b) *si vindicta, (c) apud consilium, iusta causa manumissionis probata, fuerint manumissi.*

a Minori viginti annis. Hoc tamen hodie in libertatibus, quæ in vltima voluntate præstantur, correctum est, vt videbimus *ad §. vlt. h. t.* Et animaduertite, quod minor annis viginti

ginti non est, qui diem supremum agit anni vigesimi, *l. 1. ff. de manumiss.*

b *Quàm si vindicta.* Hoc expone vt suprà *in tit. de libertinis, ad §. Multis autem modis, In verbo, Aut vindicta.*

c *Quàm si vindicta, apud consilium &c.* Sensus est: Quàm si vindicta fuerint manumissi, iusta causa manumissionis probata apud Consilium. H. verò legendum existimat: Quàm si dicta apud Consilium iusta causa manumissionis, adprobata fuerit manumissio. In Consilium autem adhibentur Romæ quinque Senatores, & quinque Equites Romani, in Prouincia viginti Recuperatores Ciues Romani. *Vlp. in frag. tit. 1. §. Eadem lex.* 1

Ad §. Iustæ autem.

Iustæ autem manumissionis causæ hæ sunt: veluti (a) *si quis patrem, aut matrem, filium, filiamue, aut fratrem, sororemue* (b) *naturales, aut* (c) *pedagogum, nutricem, educatorem, aut alumnum, alumnamue, aut collactaneum manumittat: aut seruum procuratoris* (d) *habendi gratia, aut ancillam matrimonij causa: dum tamen intra sex menses vxor ducatur, nisi* (e) *iusta causa impediat: & qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor* (f) *decem & septem annis manumittatur.* 2

a VElut*i, si quis patrem, aut matrem &c.* Sed quomodo possunt parentes esse in filii dominio, vel è contrà? Finge omnes in vnius, & eiusdem esse dominio: & vnum ex his à domino moriente hæredem institui. Eodem modo possunt fratres, sororesue esse in dominio fratris. 3

b *Naturales.* Hæc vox tàm ad patrem, matrem, filium, filiamue refertur, quàm ad fratres, sororesue: Naturales autem dicuntur propterea quod seruilis cognatio natura tantùm cognita, Iure verò Ciuili incognita. *Cuiac. hic.*

c *Aut pædagogum, nutricem &c.* Nàm pædagogus, nutrix, educator, parentum habentur loco: alumni verò liberorum, collactanei fratrum. 4

d *Procuratoris habendi gratia.* Ad iudicia, non ad negotia extraiudicialia. Nàm & seruus negotiorum procurator esse potest, *l. Sed & si 7. ff. de Iustit. act.*

e *Nisi iusta causa impediat.* Veluti, quia manumissor fiat Senator. Senatoribus enim libertinam vxorem habere non licet. *Theoph. hic, l. Lege Papia 23. ff. de rit. nup.*

f *Non*

f *Non minor decem & septem annis*. Hoc est, maior annis decem & septem, Hæc enim est ætas Iure Ciuili necessaria ad hoc vt quis possit esse procurator ad agendum vel defendendum. facit *tex. in fin. h. t. & in l.* 1. §. *Initium ff. de Postul.* Ad administrandum, etiam pupillus procurator fieri potest, *l.* 3. §. *vlt. ff. de minor. l. Sed etsi* 7. §. *vlt. & l.* 8. *ff. de Instit. act. vide Cuiac. Obser. lib.* 22. *cap.* 16. Iure verò Canonico minor annis viginti quinque procurator ad iudicia deputari nequit. *cap. qui generaliter* 5. 1
§. *vlt. de procurat. in* 6.

Ad §. Semel autem.

Semel autem causa adprobata, siue vera sit, (a) *siue falsa, non* (b) *retractatur.*

a *Siue vera sit, siue falsa*. Notate manumissionem falsa de causa permissam, non retractari. Nàm quod ait, siue vera sit, 2
siue falsa, hunc sensum habet, etiam si falsam causam allegauerit. Veluti, si falsò dixerit pædagogum, aùt nutricem suam fuisse. Vndè Imperator Antoninus *in l.* 1. *C. de vindicta libertate &c.* Eorum, ait, qui apud Consiliom manumittuntur, post causam à Iudicibus probatam, & manumissionem secutam, non solet status in dubium reuocari, si dicantur falsa demonstratione liberati.

b *Non reuocatur*. Hoc fauor libertatis extorsit. 3

Ad §. Cum ergo.

Cum ergo certus (a) *modus manumittendi minoribus viginti annis dominis per legem Aeliam Sentiam constitutus erat, euenichat, vt qui quatuordecim annos ætatis explenerat, licèt testamentum facere, & in eo sibi hæredem instituere, legatàque relinquere posset, tamen si adhuc minor esset viginti annis, libertatem seruo dare non posset. Quod non* (b) *erat ferendum, si is, cui totorum bonorum dispositio* 4
in testamento data erat, vni seruo dare libertatem non permitteba-tur, quarè nos similiter ei, quemadmodum alias res, ita & seruos suos in vltima (c) *voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus, vt & libertatem eis possit præstare. Sed cum libertas inæstimabilis sit, & propter hoc ante vigesimum ætatis annum antiquitas libertatem seruo dare prohibebat: ideò nos mediam* (d) *quodammodo viam eligentes, non aliter minori viginti annis libertatem*

in

in testamento dare seruo suo concedimus, nisi septimum (c) *& decimum annum impleuerit, & octauum decimum annum tetigerit. Cum enim antiquitas huiusmodi ætati, & pro alijs* (f) *postulare concesserit, cur non etiam sui* (g) *Iudicij stabilitas ita eos adiuuare credatur, vt ad libertates dandas seruis suis possint pernenire?*

a *Certus modus.* De quo *in §. Eadem lege. h. t.*

b *Quod non erat ferendum &c.* Hic locus restituendus est, ex mente Cuiacij, vt hic legitur. 1

c *In vltima voluntate.* Ait in vltima voluntate, nàm inter viuos etiam nunc viget lex Ælia Sentia. *Theophilus, & Cuiacius hic.*

d *Mediam quodammodo viam &c.* Nàm cum sex anni sint ab anno decimoquarto, vsque ad annum vigesimum completum. Imperator noster in tribus primis annis vsque ad annum decimum septimum prohibitionem legis Æliæ Sentiæ seruauit, post annum verò decimum septimum, manumittere concessit. *Theoph. hic.* 2

e *Nisi septimum & decimum annum &c.* Quid si fœmina manumittere velit, quæ biennio citiùs, quàm masculus pubescit? *Resp. idem. Vide Pac. hic in Analy.* Nouissimè tamen Iustinianus statuit, vt licentia sit minoribus in ipso tempore, in quo licet eis testari de alia substantia, etiam suos seruos in vltimis voluntatibus manumittere, antiqua lege cessante. *Nouella 119. cap. 2.*

f *Pro alijs postulare concesserit. l. 1. §. Initium ff. de postulando.* Postulare autem pro alio est desiderium amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere: vel alterius desiderio pro amico contradicere, *dicta l. 1. §. Postulare.* 3

g *Cur non etiam sui iudicij &c.* Qui enim adeò sapit, vt alios patrocinio suo iuuare possit, is haud dubiè & sibi rectè consulet. *Theoph.*

De lege (a) Fusia Caninia (b) sublata. 4

TITVLVS VII.

Lege Fusia (c) *Caninia certus* (d) *modus constitutus erat in seruis testamento* (e) *manumittendis: quam quasi libertates impedientem, & quodammodo inuidam,* (f) *tollendam esse* (g) *censuimus: Cum satisfuerat* (h) *inhumanum, vinos quidem* (i) *licentiam habere, totam* (k)

 suam

suam familiam libertate donare, nisi alia causa (1) *impediat libertatem: morientibus autem huiusmodi licentiam adimere.*

a *De lege Fusia &c.* Lex quoque Fusia Caninia, quam Imperator noster abrogauit, olim manumissionibus, quæ in testamento fiebant, impedimenta quædam præstabat. Meritò igitur post titulum præcedentem, in quo de impedimentis manumissionis actum est, de abrogatione eiusdem legis subijcitur. 1

b *Sublata.* Sic legitur apud *Cuiac. & rectè.* Nàm tempore conscriptarum Institutionum Lex Fusia Caninia sublata erat, vt constat ex *l. vnica C. de leg. Fuf. Can. tol.*

c *Lege Fusia Caninia.* Lex Fusia, seù Furia Caninia lata fuit *P. Furio Camillo, & C. Caninio Gallo cos. Anno ab Vrbe condita 752. H. in Ind. leg. Rom. In verbo, Furia Caninia.*

d *Certus modus &c.* Ex lege Fusia Caninia serui in testamento nominatim erant manumittendi, & vsque ad certum numerum tantùm. Eadem enim lex iubet, vt si quis duos seruos 2
habeat, ambos manumittere possit: qui verò tres, duos testamento manumittat, & vsque ad decem, dimidiam partem manumittere concedit: à decimo vsque ad triginta, tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceat, æquè vt ex priori numero: à triginta vsque ad centum, quartam partem, æquè vt decem ex priori numero liberari possint: à centum vsque ad quingentos, partem quintam similiter vt ex antecedenti numero viginti quinque possint fieri liberi. Eadèmque præcipit, ne plures omninò, quàm centum ex cuiusquam 3
testamento liberi fiant. Immò neque poterat qui in ægritudine constitutus erat, sub tempore mortis in fraudem huius legis prætermisso testamento, per epistolam, vel alio modo, pluribus quàm per testamentum licebat, libertates conferre. Quod si in testamento, vel alio modo supra statutum numerum libertates datæ fuissent, hi, qui primo loco manumissi fuerant vsque ad legitimum numerum, liberi efficiebantur, alij verò integrè in seruitute permanebant. Et qui in codicillis testamento confirmatis manumittebantur, nouissimum locum tenebant, siuè 4
ante testamentum, siuè post, facti essent codicilli. Quòd si non nominatim serui, vel ancillæ in testamento manumittebantur, sed confusè omnes seruos suos, vel ancillas is, qui testamentum faciebat, liberos facere voluerat, nulli penitus firma erat hoc ordine data libertas, sed omnes in seruili conditione, qui hoc ordine manumissi erant, permanebant. Hæc omnia sunt de-

sumpta

sumpta ex *Vlp. in frag. tit. 1. §. penult. & vlt. ex Gaio lib. 1. Instit. tit. 2. & ex Paulo Recept. Sent. lib. 4. tit. vlt.* Lex autem Fusia Caninia ideò lata fuit, vt nimiam testatorum in manumittendo facilitatem coerceret, quasi nimia libertinorum multitudine ciuitas inquinaretur. *Pac. hic in Analy.*

e *Testamento*. Excepto testamento militis, *l. testamento 51. ff. de manumiss. testam.*

f *Inuidam*. Ideſt, inuidia plenam. 1

g *Tollendam esse censuimus. l. vnica C. de leg. fus. can. tol.*

h *Cum satis fuerat inhumanum &c.* Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quàm vt supremæ voluntatis (postquam iam aliud velle non possunt) liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, *l. 1. C. de Sacrosanct. Eccl.*

i *Viuos quidem licentiam habere &c.* Dominus licentiam habebat totam suam familiam inter viuos liberare, non etiam in testamento, quia facilius quis in testamento totam familiam manumittit, quàm inter viuos: & eadem ratione Senatus obligatæ 2
mulieri succurit, non donanti, *l. sed si ego 4. ff. ad S. C. Velleian*; Lex Iulia hypothecam prædij dotalis inhibet, non alienationem. *princ. tit. Quib. alien. lic. vel non. Cuiac. in Notis ad tit. 1. Vlp. circa finem.*

k *Totam suam familiam*. Ideſt, omnes seruos suos.

l *Nisi alia causa impediat libertatem*. Veluti cum minor viginti annis manumittere prohibetur, aùt cum in fraudem creditorum datæ libertates reuocantur, *princ. tit. & §. eadem lege, Qui & quib. ex caus. &c. Theoph. hic.* 3

De ijs qui sui, vel alieni iuris sunt.

TITVLVS VIII.

Sequitur (a) *de iure personarum alia diuisio. Nàm quædam personæ sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ. rursus earum, quæ alieno iuri subiectæ sunt, aliæ sunt in potestate parentum, aliæ in potestate dominorum. Videamus itaque de his, quæ alieno iuri subiectæ sunt.* 4 *nam si cognouerimus* (b) *quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus, quæ sui iuris sunt. ac prius dispiciamus de his, quæ in potestate dominorum sunt.*

a *SEquitur de iure personarum alia diuisio. Nàm quædam &c.* Prima personarum diuisio, quàm habuimus suprà, *de Iure person.*

in princ. tit., à Iure gentium sumpta est. Hæc verò ad Ius ciuile refertur. Igitur quædam personæ sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ. Rursus earum, quæ alieno iuri subiectæ sunt, aliæ sunt in potestate parentum, aliæ in potestate dominorum, vt hic in textu. Refertur autem hæc diuisio ad Ius Ciuile, quoniam patria potestas ab eodem Iure inuenta est, vt videbimus infrà ad §. *Ius autem potestatis, de pat. pot.* Et dominica potestas non consideratur hic secundum Ius gentium vt suprà, 1
sed tamquam à Iure Ciuili reformata & emendata, vt videbimus in seq. §.

b *Nàm si cognouerimus quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus &c.* Quicunque enim inter personas alieno iuri subiectas non sunt, apertum est inter eas esse, quæ sui iuris sunt. *Theoph. hic.* Et animaduertite, quod non ex contrarijs, vt plerique falsò existimant, constat hæc nostri textus argumentatio, sed ex enumeratione partium.

2

Ad §. In potestate.

In potestate itaque dominorum sunt serui: quæ quidem potestas, iuris gentium (a) *est. Nàm apud omnes peræquè gentes animaduertere possumus, dominis in seruos vitæ necisque potestatem fuisse: & quodcumque* (b) *per seruum adquiritur, id domino* (c) *adquiritur. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet, sine causa legibus cognita, in seruos suos supra modum fœuire. Nàm ex Constitutione* (d) *Diui Pij Antonini, qui sine* (e) *causa seruum suum* 3
occiderit, non minus (f) *puniri iubetur, quàm si* (g) *alienum seruum occiderit.*

a IVris gentium est. Dominica potestas à Iure gentium originem sumpsit. Adeòque domini eodem Iure gentium infinitam in seruos potestatem habent, vt non solùm quodcumque per seruum adquiritur, id domino adquiratur, sed etiam dominis in seruos vitæ necisque potestas sit. Ius tamen ciuile dominorum potestatem limitauit, & coarctauit. Nàm ex Constitutione Diui Pij Antonini, qui sine causa seruum suum occiderit, 4
non minus puniri iubetur, quàm si alienum seruum occiderit, vt hic in tex. Per seruum quoque non semper domino acquiritur, sed interdum fructuario, interdum bonæ fidei possessori. §. *de ijs autem, Per quas pers. nob. adquir.*

b *Et quodcumque per seruum adquiritur &c.* Scilicèt iustè, *l. quod*

seruus

seruus 24. in fine ff. de acquir. vel amitt. pos. Id enim solum acquirere dicimur, quod iustè acquirimus. *Cuiac. hic.*

c *Id domino adquiritur.* Dic vt suprà in verbo, Iuris gentium est.

d *Nàm ex Constitutione Diui Pij Antonini.* Hanc Constitutionem hodie non habemus. Ante Antoninum tamen Ius dominorum suis quibusdam terminis circumscriptum erat, vt patet ex *Seneca lib. de benef. 3. vltra medium.* Verùm Antoninus angustiores fecit illos terminos: primusque constituit, vt non magis seruum suum, quàm alienum interficere ius esset. *H. hic.* 1

e *Sine causa.* Leges non sunt priuatæ, sed communes, itaque ex ea tantùm causa licebit domino seruum occidere, ex qua id omnibus iure communi permissum est. *Cuiac. hic.* Extra hanc causam, si seruus dignum morte crimen admiserit, iis iudicibus, quibus publici officij potestas commissa est, tradendus est, vt pro suo crimine puniatur. *Gaius lib. 1. Instit. tit. 3. in fine.* Est autem iusta causa occidendi, si dominus seruum suum cum vxore ipsius rem habentem comprehenderit, aùt 2 cum domino manus inijcere vellet, dominus eum anteuertens ferro interemerit. His enim ex causis cædes ad pœnam non vocatur. *Theoph. hic.*

f *Non minus puniri iubetur &c.* Nisi fortè seruus dum pro culpæ modo cæditur, casu forsitam moriatur. *Gaius lib. 1. Inst. tit. 3.*

g *Quàm si alienum seruum occiderit.* Hoc est, dominus ita tenetur lege Cornelia de Sicarijs, ac si alienum seruum occidisset, *l. Indè Neratius 23. §. si dolo ff. Ad leg. Aquil.* 3

Ad §. Sed & maior.

Sed & maior asperitas dominorum, eiusdem Principis (a) *Constitutione coercetur. Nàm consultus à quibusdam præsidibus Prouinciarum de ijs seruis, qui ad ædem sacram,* (b) *vel ad statuas Principum confugiunt: præcepit, vt si intolerabilis videatur sæuitia dominorum, cogantur seruos suos bonis conditionibus* (c) *vendere, vt pretium* (d) *dominis daretur: & rectè. Expedit enim* (e) *Reipublicæ, ne sua re quis malè vtatur. Cuius rescripti ad Aelium* (f) *Martianum emissi,* 4 *verba sunt hæc: Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam* (g) *esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi: sed dominorum* (h) *interest, ne auxilium contra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem* (i) *iniuriam denegetur ijs, qui iustè deprecantur. Ideòque cognosce* (k) *de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad statuam confugerunt, & si vel duriùs habitos, quàm æquum est, vel*

vel infami (l) *iniuria affectos cognoueris, venire iube, ita vt in potestatem domini non reuertantur, qui si meæ Constitutioni fraudem* (m) *fecerit, sciet me admissum fæneriùs exacturum.*

a E*Iisdem Principis Constitutione.* Non tamen eadem, de qua in præcedenti §. *sed alia.*

b *Qui ad ædem sacram, vel ad statuas Principum confugiunt.* Præsidium enim & securitatem Ecclesiæ tribuunt his, qui ad eas confugerint vexationis euitandæ causa, ita vt indè abduci temerè nequeant, sed loci reuerentia & interceſſione defendantur: Et etiam ſtatuæ Principum perindè atque Eccleſiæ ſuam confugis ſecuritatem præbent. qua de re extant tituli *in C. de his, qui ad Eccleſ. confug. Et de his, qui ad ſtat. confug.* 1

c *Bonis conditionibus vendere.* Non cogitur dominus ſeruos ſuos vendere, niſi iuſto pretio, *l. Si quis ſepulcrum* 12. §. *præſes ff. de relig. & ſump. funer.* Et è contra ſerui duris conditionibus in venditione minimè onerandi ſunt: veluti, ne vnquam manumittantur, aut vt ſemper habeantur in vinculis, *l. ſtatu liberos* 25. *ff. de ſtat. liber. Theoph. hic.* 2

d *Vt pretium dominis daretur.* Quod aliàs ſerui ob intolerabilem dominorum ſæuitiam fuga facilè arrepta ipſis auferrent, vt infrà in Verbo, Sed dominorum intereſt.

e *Expedit enim Reipublicæ &c.* Singulorum enim facultates & copiæ, diuitiæ ſunt ciuitatis. *Cicero lib. de offic. 3.*

f *Ad Aelium Martianum.* Proconſulem Beticæ, *l. 2. ff. de ijs, qui ſui, vel alieni &c.* 3

g *Illibatam.* Ideſt, non diminutam.

h *Sed dominorum intereſt &c.* Quoniam ſi ex ea cauſa ſeruis auxilium denegatum fuiſſet, illud facilè futurum erat, vt ſerui deſperata liberatione, aùt manus ac vim ſibi afferrent, aùt fuga arrepta, pretium ſui domino auferrent. *Theoph.*

i *Vel intolerabilem iniuriam.* Obſcœnitatem, in quam eos compulerint, vel compellant, *l. 1. §. Quod autem ff. de offic. præfec. Vrb.* Immò lenones domini, qui ſuis ancillis peccandi neceſſitatem imponunt, earum amittunt poteſtatem, *l. vlt. C. de ſpectaculis lib. 11. l. ſi lenones 13. C. de Epiſcop. aud.* 4

k *Cognoſce.* Neceſſaria eſt ergo cauſæ cognitio. Nàm ſeruis de domino querentibus facilè credendum non eſt. Natura enim ſeruus domini hoſtis eſt.

l *Infami iniuria.* Dic vt ſuprà in verbo, Vel intolerabilem iniuriam.

Fran-

m *Fraudem fecerit*. Palam quidem & prima fronte fœtuos venundans, sed clam & per occultum paciscens vt sibi reddantur, vel in venditione interponens tacitam fidem ne vnquam manumittantur, aut vt semper habeantur in vinculis.

De Patria (a) Potestate.

1

TITVLVS IX.

In potestate nostra sunt liberi (b) *nostri, quos ex iustis* (c) *nuptijs procreauimus*.

a DE *Patria potestate*. Personarum, quæ alieno iuri subiectæ sunt, aliæ in potestate parentum, aliæ in potestate dominorum sunt, vt *in princ. tit. præced.* meritò igitur postquam dictum est de personis, quæ sunt in potestate dominorum, subijcitur de his, quæ sunt in potestate parentum. 2

b *Liberi nostri*. Filius, & filia, nepos, & neptis ex filio, pronepos, & proneptis ex eodem, & deinceps cæteri §. *vlt. h. t.*

c *Quos ex iustis nuptijs procreauimus*. Nati ergo ex iniusto concubitu: in potestate nostra non sunt. §. *si aduersus ea, de nuptijs*. Sunt tamen in potestate nostra ij, quos legitimamus §. *vlt. de nuptijs*, & etiam ij, quos adoptamus. *princ. tit. de adop.*

Ad §. Nuptiæ autem. 3

Nuptiæ autem (a) *siuè matrimonium est viri* (b) *& mulieris coniunctio,* (c) *individuam* (d) *vitæ consuetudinem continens*.

a NVptiæ *autem siuè matrimonium*. Hæc pro eodem ferè vsurpantur.

b *Viri & mulieris*. Per hæc verba ostenditur in pari sexu matrimonium esse non posse, & eodem tempore mulierum, & virorum pluralitatem prohitam esse. 4

c *Coniunctio*. Intellige animorum, non corporum coniunctionem. Nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, *l. nuptias 31. ff. de reg. Iur.* Qui quidem consensus, non in futurum, sed in præsens tempus debet conferri: Nàm in futurum tempus collatus consensus, non facit nuptias, sed sponsalia, *l. 1. ff. de sponsal.* Et etiam debet talis consensus esse legitimus: quia non

non omnis coniunctio, seù consensus viri & mulieris nuptias facit, sed ille dumtaxat, qui non est contra præcepta legum, de quibus præceptis videbimus *in tit. seq.*

d *Indiuiduam vitæ consuetudinem continens.* In quibus enim eadem studia sunt, eædem voluntates, idem Sacrorum vsus, communes liberi, vna domus, vna familia, firmàque commodorum & incommodorum societas, in his sit vt quasi vinculo quodam deuincti & consociati inter se, indiuiduam vitæ consuetudinem habeant, quod consortium omnis vitæ, diuiniquè & humani iuris communicationem, *Modestinus appellat in l. 1. ff. de rit. nup. Cuiac. hic.* Quod dixi de societate sacrorum, intelligendum est de sacris priuatis, seù domesticis. Erant enim apud Romanos, non solùm publica sacra, sed etiam priuata, *l. Sacrilegij 9. ff. Ad leg. Iul. pec.* & horum sacrorum priuatorum vxor fiebat particeps. Et per hæc verba definitionis: Indiuiduam vitæ consuetudinem continens: distinguuntur à matrimonio concubinatus, & similes viri, ac mulieris coniunctiones. Nàm cum meretrice, vel concubina, nemo ea animi destinatione coniungitur, vt cum ea indiuiduam vitæ consuetudinem habeat. Et quamuis matrimonium Iure ciuili sit diuiduum: quia non solùm morte, sed etiam repudio, seù diuortio ex iusta causa dissoluitur, *l. consensu 8. C. de repud.* nihilominus tamen rectè dicitur in definitione: matrimonialem coniunctionem indiuiduam vitæ consuetudinem continere: vel quia viri & mulieris separatio Iure ciuili non permittitur stante matrimonio: vel quia matrimonialis conjunctio contrahitur co animo & voto, vt vitæ consuetudo nunquam diuidatur, *l. 1. ff. de Iur. dot.*, licèt ex post facto, quandoque repudio, seù diuortio ex iusta causa dissoluatur matrimonium, & diuidatur consequenter vitæ consuetudo, *dicta l. consensu 8. C. de repud.* Igitur matrimonium Iure ciuili est diuiduum, nisi quoad animum & votum contrahentium: vitæ autem matrimonialis consuetudo est indiuidua, stante matrimonio. Iure verò Canonico matrimonium est omninò indiuiduum, nec dissoluitur repudio, seù diuortio. Vitæ autem matrimonialis consuetudo diuidua est, quia coniugum separatio permittitur ex iusta causa, matrimonio manente, *cap. 2. de diuortijs. Pac. hic in Analy. vers. nota igitur.* Est tamen vitæ consuetudo indiuidua quoad animum & votum contrahentium: eorum enim animus & votum esse debet, vt vitæ consuetudo nunquam separetur, *27. quæst. 2. in princ.*

1 2 3 4

Ad

Ad §. Ius autem potestatis.

Ius autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est (a) *ciuium Romanorum, nulli enim alij sunt homines,* (b) *qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.*

a *Proprium est ciuium Romanorum.* Patria potestas simpliciter 1
considerata Iuris gentium est: eodem enim iure parentibus vtriusque sexus parere tenemur, *l. 2. ff. de Iust. & iur.* tamen hæc patria potestas, quæ propria est ciuium Romanorum, est Iuris ciuilis, & patri tantùm, non quia pater, sed quia pater familias est, competit, non autem matri §. *fœminæ, de adopt.* Tanta olim erat vis patriæ potestatis, vt non solùm quidquid liberi vtriusque sexus adquirebant, id parentibus suis adquirebant, vt infrà dicetur *ad* §. 1. *Per quas person. nob. adquir.* Sed etiam patribus ius vitæ in liberos, necisque potestas erat permissa, 2
l. vlt. C. de pat. pot. Sed posteà hæc potestas à Iure ciuili ità rigorosè constituta, ab eodem Iure ciuili fuit limitata, & coarctata. Vndè non possunt hodie parentes impunè liberos occidere, *l. vnica C. de his, qui paren. vel liber. occid.* Et ex Constitutionibus priuilegium hoc militiæ, tam armatæ, qdàm togatæ datum est, vt in Castrensi, vel quasi Castrensi peculio filius familias vicem patris familias obtineret: atque aduentitia, nisi vsusfructus iure, ex constitutionibus ad patrem non pertinent, vt videbimus infrà *ad d.* §. 1. *Per quas pers. nob. adquir.* Et notate, 3
quod hodie in Orbe Romano, qui sunt, ex Constitutione Diui Antonini ciues Romani effecti sunt, *l. In Orbe Romano* 17. *ff. de stat. hom.* Ideòque patria potestas ad omnes Christianos hodie pertinet. *Mynsi. hic sub num.* 1.

b *Nulli enim alij sunt homines, qui talem &c.* Hoc est, cum iure vitæ necisque, in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus. *Galuan. de vsufructu cap.* 8. *num.* 15. qua de re diximus in præcedenti Nota. Sunt tamen qui dicunt, quod potestas vitæ & necis, Persarum quoque & Scytharum communis fuit. Vn, 4
dè quod dicitur hic, nulli enim, quidam explicant, ideſt, ferè nulli. Alij verò dicunt, quod olim filius non antè sui iuris fiebat, quàm ter à patre suo venditus, ter à suis dominis manumissus fuisset, vt testatur *Vlp. in frag. tit.* 10. *in princ.* Atque hoc esse, quod ait Imperator: Nulli enim alij sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.

Ego generaliter dico, quod effectus patriæ potestatis ciuium Romanorum, multi sunt, vt notant Accursius hic, & alij DD. Vndè, quamuis quidam effectus huius potestatis sint etiam apud alias gentes, non tamen propterea minùs rectè dicitur hic in textu, quod nulli alij sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.

Ad §. Qui igitur. 1

Qui igitur ex te, & vxore (a) *tua nascitur, in tua* (b) *potestate est. Item qui ex filio tuo & vxore eius nascitur, ideſt, nepos tuus & neptis, æquè in tua* (c) *sunt potestate, & pronepos, & pronceptis, & deinceps cæteri. Qui tamen ex filia tua nascitur, in potestate* (d) *tua non est, sed in patris eius.*

a *ET vxore tua.* Qui ergo nascitur ex iniusto concubitu: in tua potestate non est. §. *Si aduersus ea, de Nuptijs.* 2

b *In tua potestate est.* Dummodo tamen tu non sis in potestate alterius. Si enim tu sis alieno iuri subiectus, qui ex te & vxore tua nascitur, in tua potestate non erit, sed in potestate eius, cuius iuri tu quoque subiectus es. Nàm in sua potestate alium habere non potest, qui non est suæ potestatis, *l. si euenerit* 21. *ff. Ad leg. Iul. de adult.*

c *In tua sunt potestate.* Ratio perspicua est: Quia in tua familia nascuntur, quippe cum filius nondum familiam habeat. Deinde quoniam nemo potest alium in sua potestate habere, qui ipse non est suæ potestatis, ut in præcedenti Nota. At filius famias eorum pater in tua potestate est. *H.* 3

d *In potestate tua non est.* Fœminarum liberos in familia earum non esse, palam est: quia qui nascuntur, patris, non matris, familiam sequuntur, *l. familiæ* 196. *ff. de verb. sig.* Imò nupta filia è familia sui patris migrat, & in mariti sui familiam transit. Ideo familiæ suæ quam propagat, caput: eius in qua nata est, & quæ per eam non propagatur, finis dicta. *l. pronunciatio* 195. *in fine ff. de verb. & rer. sig. Coru. hic.* 4

De

De (a) Nuptijs.

TITVLVS X.

Iustas (b) *autem nuptias inter se ciues* (c) *Romani contrahunt, qui secundum* (d) *præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes,* (e) *fœminæ autem viri* (f) *potentes, siue patres* (g) *familiarum sint, siue filijfamiliarum: dum tamen, si filijfamiliarum* (h) *sint, consensum habeant parentum quorum in potestate sunt. Nàm hoc fieri debere, & ciuilis* (i) *& naturalis ratio suadet, in tantum, vt iussus patris præcedere* (k) *debeat. Vnde quæsitum est, an furiosi filia nubere, an furiosi filius vxorem ducere possit? cùmque super filio variabatur, nostra processit decisio,* (l) *qua permissum est ad exemplum* (m) *filiæ furiosi, filium quoque furiosi posse, & sine patris interuentu matrimonium sibi copulare, secundùm* (n) *datum ex nostra constitutione modum.* 1 2

a *De nuptijs.* Diximus in titulo præcedenti, quod in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptijs procreauimus. Competenti igitur ordine sequitur vt videamus Quæ iustæ nnptiæ dicantur.

b *Iustas.* Idest, legitimas.

c *Ciues Romani.* Hodie in orbe Romano qui sunt, ex Constitutione Diui Antonini ciues Romani effecti sunt, *l. In orbe Romano 17. de stat. hom.* Ideòque omnes homines liberi, qui sunt sub ditione Romana, iustas nuptias inter se contrahunt. Serui autem Iure Ciuili inter se contrahunt contubernium, *l. 3. C. de incest. nnp.* Sed Iure Canonico nec inter seruos matrimonia prohibentur. *cap. 1. de coning. serv.* 3

d *Secundum præcepta legum.* De quibus præceptis videbimus in sequentibus. §.

e *Masculi quidem puberes, fœminæ autem &c.* Hoc est, illi maiores annis quatuordecim, hæ duodecim. *Theoph. hic, princ. tit. infrà Quib. mod. tut. fin.* Celerior enim est cursus fœminarum vt prudentiæ, & potentiæ, sic etiam pubertatis. *Cuiac. hic.* Sed Iure Canonico puberes sunt, qui ex habitu corporis pubertatem ostendunt, & generare iam possunt. *cap. puberes 3. de desponsi. impub. vide infrà ad princ. tit, Quib. mod. tut. fin. in verbo, Ex habitu corporis.* 4

f *Viri potentes.* In fœmina maluit vti proprio nomine: In-

mare etiam vteretur proprio si quod haberet: quia nullum habet, in eo puberis nomine vtitur quòd est commune vtrique sexui. *Cuiac.*

g *Sine patres familiarum &c.* Patres familiarum sunt, qui sunt suæ potestatis: siuè puberes, siuè impuberes: simili modo matres familiarum filij familiarum, & filiæ, qui sunt in alienâ potestate, *l. nam ciuium 4. ff. de ijs, qui sui, vel alien. iur. sunt.*

h *Si filij familiarum sint, consensum habeant parentum.* Idem multo magis dicendum est, si filiæ familiarum sint: nàm & sui iuris puellæ, intra vigesimum quintum annum constitutæ, consensum patris habere debent, vel matris, & propinquorum, si patrem non habeant, *l. prima, l. viduæ* 18. *l. in coniunctione* 20. *C. de nuptijs.* Filij autem emancipati, etiam sine consensu patris, vxorem ducere possunt, *l. filius emancipatus 25. ff. de rit. nup.* quamuis sint minores viginti quinque annis. *Cuiac. hic. & lib. 3. obseru. cap. 5.* nec curatoris, nec propinquorum vlla auctoritas in copulandis nuptijs eorum est necessaria, *l. in copulandis* 8. *C. de nuptijs.* Semper autem filio intelligitur pater consentire, nisi euidenter dissentiat, *l. si vt proponis 5. C. de nuptijs, l. in sponsalibus 7. ff. de sponsal.* Immò Paulus *Recept. Sent. lib. 2. tit. de nuptijs*, contemplatione publicæ vtilitatis, tolerandum voluit matrimonium sine consensu patris à filiofamilias contractum. Eorum, ait, qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur: sed contracta non soluuntur: Contemplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur. Et quanuis etiam Ius Canonicum in *c. 1. 3. & 4. 30. q. 5. & in c.* 12. 13. *& vlt. 32. q. 2.* ad matrimonium contrahendum exigere videatur, vt filij familiarum consensum habeant parentum: communiter tamen hoc intelligitur à Canonistis vt de honestate, non de necessitate procedat. Et Sancta Tridentina Synodus *sess. 24. cap. 1. de reform. mat.* anathemate damnat eos, qui falsò affirmant, matrimonia, à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.

i *Et ciuilis, & naturalis ratio suadet.* Ciuilis quidem propter ius, quod Romanorum proprium est, nempè patriam potestatem. Naturalis verò, quoniam æquum est, vt parentes, qui ad illam vsque ætatem eos educauerunt, hoc honoris habeant, vt matrimonio consentiant. *Theoph. hic.*

k *Præcedere debeat.* Vt scilicet ab initio iustæ sint nuptiæ. Nàm si subsequatur consensus, & ratihabitio patris, ab eo tantùm tem-

1 2 3 4

tempore nuptiæ iustæ esse intelliguntur quò consensit pater, *l. si vxor 13. §. Si quis vxorem ff. ad leg. Iul. de adult. Cuiac. hic.* Pacius tamen hoc eodem loco in Analy. existimat, quod sicuti regulariter ratihabitio retrotrahitur, ita etiam hoc casu subsequens consensus patris retrotrahatur.

l *Decisio. l. Si furiosi 35. C. de Nuptijs.*

m *Ad exemplum filiæ furiosi.* Facilius filiæ furiosi permissum fuit nubere, quàm filio furiosi vxorem ducere: quia per filium augetur familia patris, per filiam autem non, etenim qui ex filia nascuntur, patris sui, non aui materni familiam sequuntur. Videte quæ diximus in fine *tit. de pat. potest.* 1

n *Secundum datum ex nostra Constitutione modum.* Tàm dos, quàm propter nuptias donatio æstimatione magistratus, vel Episcopi Ciuitatis statuenda est, præsente curatore furiosi, & præsentibus his, qui ex furiosi genere nobiliores sunt, *l. Si furiosi 25. C. de nuptijs, l. tam dementis 23. C. de Episcop. aud.*

Ad §. Ergo non omnes.

Ergo non omnes nobis vxores ducere licet. Nàm à quarumdam nuptijs abstinendum est. Inter enim eas personas, quæ parentum (a) *liberorumue locum inter se obtinent, contrahi* (b) *nuptiæ non possunt: veluti inter patrem & filiam, vel auum & neptem, vel matrem & filium, vel auiam & nepotem, & vsque in infinitum. Et si tales personæ inter se coierint: nefarias* (c) *atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò vera sunt, vt quamuis per adoptionem parentum liberorùmue loco sibi esse cæperint, non possint inter se matrimonio iungi: in tantum, vt etiam dissoluta adoptione, idem iuris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis esse cæperit, non poteris vxorem ducere, quamuis eam* (d) *emancipaueris.* 2 3

a QVAE *parentum liberorùmue locum inter se obtinent.* Planiùs dixisset, inter parentes & liberos, vt legitur apud Theophilum. Nàm & patruus & auunculus, amita & matertera, parentum locum obtinent, fratris aùt sororis filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, liberorum. §. *Item amitam. h. t. l. Sororis 39. ff. de rit. nup.* Vitricus quoque & nouerca, socer & socrus sunt loco parentum, priuignus & priuigna, gener & nurus, liberorum. §. *Affinitatis, & §. Socrum, h. t.* de quibus omnibus non loquitur hic Iustinianus, vt appa- 4

ret

ret ex *princ. seq.* §. *Et ex d.* §. *Affinitatis, & ex d.* §. *Socrum*.

b *Conteahi nuptiæ non possunt*. Et hæc vera, siue sint ex iustis nuptijs, siuè non. *l. adoptiuus* 14. §. *Scruiles ff. de rit. nup.* Vbi Paulus Iuris Consultus idcircò nuptias inter parentes & liberos contrahi non posse tradit, quod in contrahendis matrimonijs naturale ius, & pudor inspiciendus est: contra pudorem autem est, filiam suam vxorem ducere.

c *Nefarios atque incestas*. Hæ nuptiæ nefariæ dicuntur ex eo, quod contra fas, hoc est, ius naturale siuè gentium sunt contractæ. Incestæ, quòd minimè castæ sunt, secundum Isidorum: Incestæ appellantur etiam cognatorum, affiniùmue nuptiæ. *Vlp. in frag. tit.* 5. §. *Si quis eam. Gaius Inst. lib.* 1. *tit.* 4. §. *Quòd si quis*. Sed videtur, quòd solæ parentum liberorùmue nuptiæ, eorùmue qui parentum liberorùmue locum inter se obtinent, incestæ sint Iuregentium, *l. vlt. ff. de rit. nup. l. vlt.* §. *vlt. ff. de condic. sine causa*. Sed & naturæ iure fratrum, & sororum nuptias incestas esse, Plato apertè libro de legibus *Dial.* 8. *testatur*. 1 2

d *Quamuis eam emancipaueris*. Quoniam, & pristinum patris, vel aui nomen pudori esse oportet. *Theoph.*

Ad §. Inter eas.

Inter eas quoque personas, quæ ex transuerso gradu cognationis iunguntur, est quædam similis obseruatio, sed non (a) *tanta. Sanè enim inter fratrem*, (b) *sororemque nuptiæ prohibitæ sunt: siuè ab eodem patre, eademque matre nati fuerint, siuè ex alterutro eorum. Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cæperit; quamdiù quidem constat adoptio, sanè inter te, & eam nuptiæ consistere non possunt. Cùm verò per emancipationem adoptio sit dissoluta, poteris eam* (c) *vxorem ducere. Sed & si tu emancipatus fueris: nihil est impedimento* (d) *nuptijs. Et ideò constat, si quis generum adoptare velit debere eum* (e) *antea filiam suam emancipare: Et si quis velit nurum adoptare, debere eum anteà filium suum emancipare*, 3 4

a SED *non tanta*. Inter parentes, & liberos contrahi nuptiæ non possunt vsque in infinitum. Et neque hi, qui per adoptionem loco parentum, liberorumue sibi esse cæperint, possunt inter se matrimonio iungi: in tantum, vt etiam dissoluta adoptione, idem iuris maneat, vt iu præcedenti §. Inter eas verò personas, quę ex transuerso gradu cognationis iunguntur,

tur, nuptiæ prohibitæ sunt tantùm vsque ad quartum gradum excluſiuè §. *Duorum h. t.* Et perſonæ, quæ per adoptionem loco tranſuerſalium ſibi eſſe cæperint, adoptione per emancipationem diſſoluta, poſſunt inter ſe matrimonium contrahere, vt hic in *textu*. Iure autem Canonico inter perſonas, quæ ex latere coniunguntur, prohibetur matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiuè, *cap. non debet de conſang. & affin.* Immò etiam aliter computantur gradus tranſuerſalium ſecun- 1
dum Canones, quàm ſecundum Leges, vt ſuo loco videbimus.

b *Inter fratrem ſororemque &c.* Non modo ciuili, ſed & naturę iure fratrum, & ſororum nuptiæ inceſtæ ſunt, vt dixi in præcedenti §. *In verbo*, nefarias, quod etiam confirmatur ex *l. libertinus 8. ff. de rit. nup.*

c *Poteris eam vxorem ducere.* Nàm cum adoptio per emancipationem ſit diſſoluta, frater ſorori non videtur nupſiſſe.

d *Nihil eſt impedimento nuptijs.* Quia tu filius naturalis eman- 2
cipatus, non es fraler filiæ adoptiuæ patris tui, *l. Si filium 5. ff. de grad.*

e *Debere eum anteà &c.* Id enim niſi fecerit, per adoptionem generi, vel nurus ſoluetur matrimonium. Quouiam futurum eſt vt fratres inueniantur. Porrò inter fratres neque ſi adoptiui ſint, conſiſtunt nuptiæ. *Theoph. hic.*

Ad §. Fratris verò. 3

Fratris verò, vel ſororis filiam, vxorem ducere non licet: ſed nec neptem (a) *fratris, vel ſororis vxorem quis ducere poteſt, quamuis quarto gradu ſint. Cuius enim* (b) *filiam vxorem ducere non licèt, neque eius neptem permittitur: Eius verò mulieris, quàm pater tuus adoptauit, filiam, non videris impediri vxorem ducere; quia neque naturali, (c) neque ciuili iure tibi coniungitur.*

a SED *nec neptem fratris, vel ſororis &c.* Fratris, vel ſororis 4
neptem non poſſum ducere vxorem, quamuis mihi quarto gradu ſit, quoniam parentis ei loco ſum. Eadem ratione vxorem ducere non poſſum fratris, vel ſororis proneptem *l. Sororis 39. l. nuptiæ 52. ff. de rit. nup.*

b *Cuius enim filiam &c.* Hæc regula ità eſt intelligenda: cuius perſonæ filiam non poſſum ducere vxorem, quoniam parentis

ei

ci loco sum, neque neptem eiusdem personæ ducere possum, quoniam, & dictæ nepti sum loco parentis.

c *Neque naturali, neque ciuili Iure &c.* Neque naturali Iure tibi coniungitur, quia nata est ex sorore tua adoptiua, & consequenter non est tibi naturaliter cognata. Neque ciuili Iure tibi coniungitur, quia sequitur familiam patris sui, & consequenter non est tibi agnata. 1

Ad §. Duorum autem.

Duorum autem fratrum vel sororum liberi, vel fratris, & sororis, coniungi (a) *possunt*,

a *Coniungi possunt. l. celebrandis 19. C. de nuptijs.* Sed Iure Canonico prohibentur coniungi. *c. quædam 35. q. 3.*

Ad §. Item amitam. 2

Item (a) *amitam, licèt* (b) *adoptiuam, ducere vxorem non licet, item nec* (c) *materteram: quia parentum loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque* (d) *amitam, & materteram* (e) *magnam, prohiberi vxorem ducere.*

a *Item amitam.* Amita est patris soror. *Vide ad §. Tertiò supra, de grad.*

b *Licèt adoptiuam.* Est enim agnatorum numero. 3

c *Item nec materteram.* Matertera est matris soror. Matertera tamen non fit per adoptionem. Nàm eæ demùm cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimæ essent, idest, quæ adgnatorum ius haberent, *l. si qua mihi 12. §. vlt. ff. de rit. nup.*

d *Magnam quoque amitam.* Licèt adoptiuam, *l. per adoptionem 17. §. vlt. ff. de rit. nup.* Est autem amita magna aui soror.

e *Et materteram magnam.* Matertera magna est auiæ soror. Non tamen fit per adoptionem matertera magna. *Vide rationem suprà in verbo, Item nec materteram.* 4

Ad §. Adfinitatis.

Adfinitatis (a) *quoque veneratione à quarundam nuptijs abstinendum est: vt ecce priuignam aut nurum vxorem ducere non licet, quia vtra-*

vtræque filiæ loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuit (b) *nurus aut priuigna tua. Nam si adhuc nurus tua* (c) *est, ideſt, si adhuc nupta est filio tuo: alia ratione vxorem eam ducere non poteris: quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc* (d) *priuigna tua est, ideſt, si mater eius tibi nupta est, ideò eam vxorem ducere non poteris, quia duas* (e) *vxores eodem tempore habere non licet.*

1

a *Adfinitatis.* Adfinitas est ius necessitudinis contractæ inter coniugem, & alterius coniugis cognatos. *Cuiac. in Paratit. ff. in tit. degrad. & adfin. in fine.* Vndè cognati vxoris meæ sunt mihi adfines, & contrà cognati mei, vxori meæ sunt adfines: nulla tamen inter cognatos meos, & cognatos vxoris meæ adest adfinitas. Et inter adfines nonnulli sunt qui parentum liberorùmue loco habentur, vt socer, socrus, gener, nurus, nouerca, vitricus, priuignus, priuigna. Hos itaque inter se matrimonio copulari nefas est, *l. non facilè 4. §. Nomina*, b *& §. Hos itaque ff. de grad. & adfin. l. nuptiæ 53. ff. de rit. nup.* Et etiam fratris vxorem ducendi, vel duabus sororibus coniungendi, penitùs licentia summota est, nec dissoluto quocunque modo coniugio, *l. fratris. C. de incest. nup.* Immò Iure Canonico, quod in matrimonijs contrahendis obseruamus, prohibitio copulæ coniugalis inter adfines, non solùm militat vt suprà, sed vlterius quoad reliquos omnes, qui non sunt in numero parentum, & liberorum, adfinitate tamen inter se coniuncti sunt, extenditur vsque ad quartum adfinitatis gradum c inclusiuè. *cap. Non debet 8. de consang. & affin.* Nec interest, eodem Iure, quoad affinitatem contrahendam, ex iustis nuptijs aliqui, an ex damnato coitu inuicem copulati fuerint, *cap. discretionem 6. & cap. tuæ 10. de eo qui cog. consang. &c.* Nouissimè tamen *Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. mat.* Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur, restrinxit: in vlterioribus verò gradibus statuit, huiusmodi adfinitatem ma- 4
trimonium postea contractum non dirimere. Et mens Concilij est: impedimentum affinitatis ex fornicatione proueniens, per quod non solùm matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tantùm restringi, qui primo & secundo gradu coniunguntur, in vlterioribus verò gradibus nullum impedimentum remanere quo minus liberè,

& licitè matrimonium contrahi possit. vt declarauit Pius V. in Constit. incipiente, *Ad Romanum Pontificem*.

b *Si fuit nurus aut priuigna*. Iure Ciuili, soluto matrimonio cum ea persona, quæ adfinitati causam dederat, dissoluitur adfinitas. Ideòque mortuo. v. g. filio tuo, eius vxor non est amplius tibi nurus, & mortua vxore tua, eius filia non est amplius tibi priuigna. Pristinæ tamen adfinitatis veneratione ab huiusmodi coniunctionibus abstinendum est, vt hic in textu. 1
Iure verò Canonico, vno coniuge defuncto, inter superstitem & consanguineos defuncti affinitas non deletur. *c. 1. 35. quæst. 10.*

c *Nàm si adhuc nurus tua est, ideò, si adhuc nupta est filio tuo*. Nurus appellatione non tantùm filij vxor, sed & nepotis, & pronepotis continetur: licèt quidam has pronurus appellent, *l. adoptiuus 14. §. vlt. ff. de rit. nup.*

d *Item si adhuc priuigna tua est, ideò, si mater eius tibi nupta est*: Priuigna non solùm ea mihi intelligitur, quæ vxoris meæ filia 2
est, sed & neptis, & proneptis: vt nullam earum ducere possim. *d. l. adoptiuus 14. §. vlt.*

e *Quia duas vxores &c.* Eum qui duas simùl habuit vxores, sine dubitatione comitatur infamia *l. eum qui 18. C. Ad leg. Iul. de adult.* Infamia etiam notatur qui bina sponsalia eodem tempore constituta habuerit, *l. 1. ff. de ijs qui not. infam.*

Ad §. Socrum.

3

Socrum quoque, & nouercam, prohibitum est vxorem ducere, quia matris loco sunt. Quod & ipsum dissoluta (a) *demùm adfinitate procedit. Alioquin, si adhuc nouerca* (b) *est, ideò, si adhuc patri tuo nupta est, communi iure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta esse non potest. Item, si adhùc socrus* (c) *est, ideò si adhuc filia eius tibi nupta est, ideò impediuntur nuptiæ, quia duas vxores* (d) *habere non potes.*

a D*Issoluta demùm adfinitate. Vide notata in præced. §. In verbo, Si fuit nurus aut priuigna.* 4

b *Si adhuc nouerca est, ideò, si adhuc patri tuo nupta est*. Quidam nouercam per se patris vxorem intelligunt. Sed verius est, nec aui vxorem, nec proaui duci posse, *l. adoptiuus 14. §. Nunc videamus ff. de rit. nup.*

c *Si adhuc socrus est, ideò, si adhuc filia eius tibi nupta est*. Socrus ap-

appellatione non tantùm vxoris meæ mater, sed & auia & proauia intelligitur, vt nullam earum ducere possim, *d. l. Adoptiuus* 14. §. *Nunc videamus*.

d *Quia duas vxores. Vide notata in superiori §. In verbo, Quia duas vxores.*

Ad §. Mariti.

1

Mariti tamen filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito, vel (a) *contrà, matrimonium* (b) *rectè contrahunt, licèt habeant* (c) *fratrem sororemue ex matrimonio* (d) *postea contracto natos.*

a VEL *contrà*. Vxoris filius ex alio marito, & mariti filia ex alia vxore.

b *Matrimonium rectè contrahunt*. Quia neque cognati inter se neque adfines sunt: Cognati enim viri, vxori tantùm, non etiam eius cognatis, & contrà cognati vxoris, viro tantùm, non etiam eius cognatis, adfines sunt, vt suprà diximus ad §. *Adfinitatis, in princ.* 2

c *Licèt habeant fratrem*. Fratrem scilicèt communem, *l. generali* 34. §. *Inter ff. de rit. nup.* Vni tamen erit consanguineus, alteri vterinus.

d *Ex matrimonio postea contracto*. Seù vt legitur in *d. l. naturali*, §. *Inter*: ex nouo parentum matrimonio.

Ad §. Si Vxor.

3

Si vxor tua post diuortium (a) *ex alio filiam procreauerit, hæc non est quidem* (b) *priuigna tua: Sed Iulianus ab huiusmodi nuptijs abstineri* (c) *debere ait. Nàm constat nec sponsam* (d) *filij, nurum esse, nec patris sponsam,* (e) *nouercam esse; rectius* (f) *tamen & iure facturos eos, qui ab huiusmodi nuptijs abstinuerint.*

a POST *diuortium ex alio filiam procreauerit*. Ex alio scilicèt, cui denupsit. *Theoph. hic, l. Si qua mihi* 12. §. *Si vxor ff. de rit. nup.* Iure enim Ciuili matrimonium repudio, seù diuortio omninò dissoluitur, *l. Consensu* 8. *C. de repud. Vide suprà in tit. de pat. pot. ad §. Nuptiæ autem, in verbo, Indiuiduam vitæ.* 4

b *Non est quidem priuigna tua*. Verè & propriè. Nàm verè priuigna tua est, quæ ante nuptias tuas ab vxore tua nata est. Vndè etiam priuigna dicta est, quasi prius genita.

c *Abstineri debere*. Honestatis causa. Nam semper in coniunctionibus, non solùm quid liceat, considerandum est, sed & quid honestum sit, *l. semper 42. ff. de rit. nup.*

d *Nec sponsam filij nurum esse*. Sponsa filij non est nurus propriè, *l. Si qua mihi 12. §. 1. ff. de rit. nup.* Propriè nurus est vxor filij, *l. non facilè 4. §. Et quidem ff. de grad. & adfin.*

e *Nec patris sponsam nouercam esse*. Sponsa patris non est nouerca propriè, *d. l. si qua mihi 12. §. 1.* Propriè vxor liberis ex alia vxore natis nouerca dicitur, *d. l. non facilè 4. §. Et quidem.* 1

f *Rectius tamen &c.* Propter honestatem.

Ad §. Illud certum est.

Illud certum est, seruiles (a) quoque cognationes impedimento nuptijs esse: si fortè pater, & filia, aut frater & soror manumissi (b) fuerint. 2

a SEruiles quoque cognationes. Idem quod in seruilibus cognationibus constitutum est, etiam in seruilibus adfinitatibus seruandum est, *l. Adoptiuus 14. §. Idem tamen ff. de rit. nup.* Et seruiles cognationes, vel affinitates, hæ sunt, quæ in seruitute sunt contractæ.

b *Manumissi fuerint*. Iure Ciuili inter seruos non contrahitur matrimonium, sed contubernium, *l. Cum ancillis 3. C. de incest. nup.* Et seruiles cognationes ad leges non pertinent, *l. Iurisconsultus 10. §. 1. ff. de grad.* & consequenter non impediunt contubernium. Sed Iure Canonico nec inter seruos matrimonia prohibentur, *cap. 1. de coniug. seru.* Et seruis & hominibus liberis cognationes æqualiter impedimento sunt nuptijs. 3

Ad §. Sunt & aliæ.

Sunt & aliæ (a) personæ, quæ propter diuersas rationes, nuptias contrahere prohibentur, quas in libris Digestorum, seù Pandectarum ex veteri iure collectarum enumerari permisimus. 4

a SVnt & aliæ personæ. Verbi gratia Senatores, eorumque liberi libertinam vxorem habere non possunt, *l. lege Papia 23. ff. de rit. nup.* Neque possunt esse nuptiæ inter filiam, neptem, proneptem senatoris, & libertinum, *l. oratione 16. l. semper 42. ff. de rit. nup.* Hæc tamen hodie sunt correcta per *Nouellam 78.*

Tutor

Tutor quoque, vel curator pupillam, vel adultam quondam suam sibi, vel filio, nepotiue suo collocare non potest in matrimonium, *l. Senatus Consulto* 59. *l. non est matrimonium* 66. *ff. de rit. nup. l. Si tutor.* 7. *C. de interdic. mat.* Item qui officium in aliqua Prouincia administrat inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, vxorem ducere non potest, *l. Si quis officium* 38. *ff. de rit. nup.* Sed leges Ciuiles supradictæ, à lege Canonica sunt correctæ, & consequenter hodie licitè contrahitur matrimonium inter personas supra numeratas. *Abbas in cap. vlt. de secund. nup. sub num.* 2. Item per *l. vnicam.* §. *Nec sit facultas C. de rapt. virg.* Raptor nullo modo, nulloque tempore potest cum rapta nuptias contrahere. Sed Iure Canonico, Raptor cum rapta, quæ postmodum liberè consentiat, matrimonium legitimè contrahit, *cap. vlt. de raptor. & incend.* Ex Tridentino tamen *sess.* 24. *cap.* 6. *de refor. mat.* quamdiù rapta in potestate raptoris manet, nullum inter eos potest consistere matrimonium. Et etiam aliæ personæ, quæ propter diuersas causas, nuptias contrahere prohibentur, numerantur ab *Accursio, & alijs DD. hic.* 1 2

Ad §. Si aduersus ea.

Si aduersus (a) *ea, quæ diximus, aliqui coierint: nec vir, nec vxor, nec nuptiæ,* (b) *nec matrimonium, nec dos* (c) *intelligitur. Itaque ij qui ex eo coitu nascuntur, in potestate* (d) *patris non sunt: sed tales sunt (quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ij, quos mater* (e) *vulgò concepit. Nàm nec hi patrem habere intelliguntur, cùm* (f) *is etiam pater incertus est: vnde solent* (g) *spurij appellari, vel à Græca voce, quasi* (h) *σποράδην concepti, vel quasi* (i) *sine patre filij. Sequitur ergo, vt dissoluto tali coitu, nec dotis* (k) *exactioni locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias* (l) *pœnas patiuntur, quæ Sacris Constitutionibus continentur.* 3

a *Si aduersus ea, quæ diximus, aliqui coierint.* Hoc est, si contra supradicta legum præcepta aliqui nuptias contraxerint de facto. 4

b *Nec nuptiæ, nec matrimonium.* Ea enim quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habentur, *l. Non dubium* 5. *C. de legibus.*

c *Nec dos intelligitur.* Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ consistere non possunt. Neque enim dos sine matri-

matrimonio esse potest. Vbicunque igitur matrimonij nomen non est, nec dos est, *l. dotis appellatio 3. ff. de Iur. dot.*

d *In potestate patris non sunt.* In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptijs procreauimus, *princ. tit. de pat. pot.*

c *Quos mater vulgò concepit.* Propriè vulgò concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt, *l. vulgò concepti 23. ff. de stat. hom.* Hoc est, qui ex meretricio coitu nascuntur. Impropriè verò etiam ij, qui possunt quidem patrem demonstrare, 1
sed cum habent, quem habere non licet, vulgò concepti dicuntur, *d. l. vulgò concepti, Vulp. in frag. tit. 5. §. Si quis eam,* veluti procreati ex cognata, vel affine.

f *Cùm is etiam pater incertus est.* Sic legitur apud Cuiac. & sensus est: Vulgò concepti patrem habere non intelliguntur, quandoquidem is etiam incertus est. In vulgatis editionibus legitur; cùm & his pater incertus sit.

g *Vnde solent spurij appellari.* Spurij appellantur quasi sine patre filij, vt hic in *textu, & confirmatur ex Gaio lib. 1. Instit. tit. 4.* 2
Pater verò is est, quem nuptiæ demonstrant, *l. Quia semper 5. ff. de in ius voc.* Ideòque generaliter omnes, qui non legitimè quæsiti sunt, spurij appellantur, *d. l. vulgò concepti 23. ff. de stat. hom. l. Diuus 26. ff. de capt. & postlim. reuers. l. Si qua illustris 5. C. ad Senat. Cons. Orfic. l. Si ignorans 3. C. solut. mat. l. 1. C. Theodos. de incest. nup.*

h σποράδην. Idest, sparsim & vulgò ac passim. *Theoph.*

i *Vel quasi sine patre filij.* Apud Theophilum legitur: vel à latinis notis S.P. quasi sine patre filij. Et rectè. Nàm apud Ro- 3
manos, Spurius, prænomen erat, quod duabus literis SP. scribebatur: Duabus verò literis S.P. notabantur qui sine patre legitimo nati erant. Quæ res errori ansam præbuit, vt Spurius is diceretur, qui legitimum patrem non haberet. *Plutarc. in Quæst. Rom. q. 103.*

k *Nec dotis exactioni locus sit.* Quia, vt suprà diximus, vbicunque matrimonij nomen non est, nec dos est, *l. 3. ff. de Iur. dot.* Quod igitur dotis nomine ob iniustum matrimonium datum 4
est, fisco adiudicatur, *l. Incestæ 52. l. dote 61. ff. de rit. nup. l. Qui contra 4. C. de incest. nup. Nouella 12. cap. 1.*

l *Et alias pœnas patiuntur.* Iure nouissimo incestas nuptias contrahentis pœna est Infamia, confiscatio omnium bonorum, cinguli priuatio, & exilium: & si vilis fuerit, etiam corporis castigatio. Quod si ex prioribus nuptijs inculpabilibus extent filij, aut nepotes fortè, aut vlterius: paternam mox illi accipiunt

piunt successionem, suæ quidem potestatis patris supplicio facti: pascentes autem eum, & alia necessaria præbentes. *Novella* 12. *cap.* 1. Liberi verò incestuosi, parentibus non succedunt, neque alendi sunt ab eis. *Nouella* 89. *cap. vlt.* Ex æquitate tamen Canonica à parentibus alendi sunt, *cap. cum haberet* 5. *de eo qui dux. in mat. quam pollu. &c.* An autem pœnæ Iuris Ciuilis locum habeant aduersus contrahentes incestas nuptias in gradu prohibito tantummodò secundum Ius Canonicum? 1
Negatiuè respondendum existimo. *Videte Fachin. Controuers. Iur. lib.* 13. *cap.* 62.

Ad §. Aliquandò.

Aliquondo autem euenit, vt liberi, qui statim, vt nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea in potestatem parentum redigantur: qualis est is, qui dum naturalis (a) *fuerat, postea curiæ* (b) *datus,* 2
potestati (c) *patris subijcitur. nec non is, qui à muliere* (d) *liberæ procreatus, cuius matrimonium minimè legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater* (e) *consuetudinem habuerat, postea ex nostra* (f) *Constitutione dotalibus* (g) *instrumentis compositis, in potestate* (h) *patris efficitur. Quòd* (i) *etsi alij liberi ex eodem matrimonio fuerint procreati, similiter nostra Constitutio præbuit.*

a *QVI dùm naturalis fuerat.* Hoc loco, naturalis dicitur qui nascitur ex concubina. 3

b *Curiæ datus.* Curia in municipijs & colonijs dicitur, quæ Romæ Senatus: & Decuriones siuè Curiales, qui Senatores. Curiæ igitur datus, ideſt, Decurio siuè Curialis factus. *H. hic.* seù quod idem est, in municipijs & colonijs consilij publici gratia conscriptus, *l. Pupillus* 239. §. *Decuriones ff. de verb. sig.*

c *Potestati patris subijcitur.* Filius naturalis Curiæ datus fit legitimus etiam existentibus legitimis, siuè pater eum offerat Curiæ, siuè ipse filius se Curiæ offerat ex patris vltima voluntate. 4
Filus verò, qui per semetipsum ad hoc procedit: tunc solummodò auditur, cum nullus legitimorum filiorum existit. *Nouella Quib. mod. nat. effic. sui cap.* 1. Vbi etiam additur, quod naturalis filia, si curiali vxor detur, ius filiæ familias adipiscitur. Quod autem naturalis filius Curiæ datus fieret legitimus, fuit institutum propter Decurionum penuriam. Quia cum

ma-

magna essent onera Curiarum, plerique Decuriones sive Cules fieri recusabant. Ideòque leges Ciuiles, vt Curiæ possent compleri, multa priuilegia, inter quæ supradictum connumeratur, Curialibus indulserunt, quibus ad onus Curiæ suscipiendum inuitarentur homines.

d *A mulicre libera procreatus* - Iure tamen nouissimo idem est si procreatus fuit ex ancilla concubina postea manumissa, & ducta in matrimonium. *Nouella* 18. *cap. vlt. & Nouella* 78. 1 *cap.* 3.

c *Ad quam pater consuetudinem habuerat*. Hoc est, quam pater in concubinatu habuerat, *l. nuper* 11. *in princ. C. de natur. liber.* Sed Iure Canonico nati ex soluto & soluta per subsequens matrimonium efficiuntur legitimi, quamquam inter parentes eorum non esset concubinatus *Abb. in cap. tanta* 6. *sub num.* 14. *Qui fil. sint legit.*

f *Ex nostra Constitutione. l. Cum quis* 10. *C. de natural. liber.*

g *Dotalibus instrumentis compositis*. Hoc est, compositis Instru- 2 mentis nuptialibus. §. *Sui autem, Instit. de hæred. quæ ab intest. defer.* Non est igitur necessarium vt dos constituatur: sed vt matrimonium publicis literis consignetur. *Videte Cuiac. obseru. lib.* 13. *cap.* 4. Sed Iure Canonico per subsequens matrimonium legitimantur anteà geniti, licèt matrimonium contrahatur sine Instrumentis nuptialibus *Abb. in cap. tanta* 6. *sub num.* 2. *Qui fil. sint legit.*

h *In potestate patris efficiuntur*. [Legitimatus per subsequens matrimonium, non tantùm Ius suitatis, sed etiam Ius adgna- 3 tionis adquirit. Quod non similiter fit per oblationem Curiæ. Nàm eo modo legitimatus, patri tantùm suus & legitimus fit, *l. communium* 9. *C. de natural. liber.*

i *Quòd etsi alij liberi ex eodem matrimonio fuerint procreati, similiter nostra Constitutio præbuit*. Sic legendum existimo. Et sententia huius loci est: vt quamuis alij liberi ex eodem matrimonio fuerint procreati, nihilominus tamen etiam hi qui ante matrimonium ex concubinatu nati sunt, filiorum familias ius habeant, *d. l. cum quis* 10. *C. de natural. liber.* Scitè etiam H. hunc 4 locum ità restituit (Quòd etsi alij liberi nulli ex eodem matrimonio postea fuerint procreati, similiter nostra Constitutio præbuit) vt casum significet Iustinianus, de quo constituit in *l. nuper* 11. *C. de natural. liber.* nimirum, vt quamuis liberi ex matrimonio contracto nulli susceptisint, (quod ex verbis superioris legis requiri sanè videbatur) nihilominus tamen filiorum

rum familias ius adipiscantur anteà nati, ne de suo statu incertisint.

De (a) Adoptionibus.

TITVLVS XI.

Non solùm autem naturales (b) *liberi, secundùm* (c) *ea, quæ diximus, in potestate nostra sunt, verum etiam ij* (d) *quos adoptamus.* 1

a DE *Adoptionibus*. Adoptio naturæ similitudo est, vt aliquis filium habere possit, quem non generauit. *Gaius lib.* 1. *Inst. tit.* 5. vel Adoptio est. Actus legitimus naturam immitans ad eorum, qui liberos non habent, solatium inuentus. Et ideò dictum est adoptionem ad eorum, qui liberos non habent, solatium inuentam esse, non quod ij tantum adoptent, qui liberos non habent: nàm & ij qui habent, citra impedimentum adoptant, sed vt id quod plerumque fit ostendatur. *Theop. hìc.* 2

b *Naturales liberi*. Siue sint ex iustis nuptijs procreati, *princ. tit. de pat. pot.* siuè posteà legitimati. §. *vlt. de nuptijs*.

c *Secundùm ea, quæ diximus. In* §. *vlt. de nupt. & in princ. tit. de pat. pot.*

d *Verùm etiam hi, quos adoptamus*. Hodie tamen hoc procedit cum distinctione, de qua in §. *Sed hodie, hoc titulo*.

3

Ad §. Adoptio.

Adoptio autem (a) *duobus modis fit, aut principali* (b) *rescripto, aut imperio* (c) *magistratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos* (d) *easue, qui* (e) *quæue sui iuris sunt: quæ species adoptionis dicitur* (f) *arrogatio. Imperio magistratus adoptare licet eos easue, qui quæue in potestate parentum sunt: siuè primum gradum liberorum obtineant, qualis filius, filia: siuè inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis.* 4

a *Adoptio autem duobus modis fit*. Est igitur adoptio nomen generale habens sub se duas species, arrogationem, & adoptionem in specie, vt sequitur hic in textu.

b *Aut principali rescripto*. Olim arrogatio per populi rogationem fiebat. *Gellius lib.* 5. *cap.* 19. *Gaius lib.* 2. *Inst. tit.* 3. Sed

quoniam lege Regia, populus omne imperium suum & potestatem principi concessit. §. *Sed & quod principi, Inst. de Iur. nat. gen. & ciu.* Arrogationes ex Rescripto principali fieri cæperunt, *l. Arrogationes 6. C. de adop.* Arrogatio igitur ex indulgentia principali facta, perinde valet apud prætorem, vel præsidem intimata, ac si per populum Iure antiquo facta esset, *l. 2. in fine C. de Adop.*

c *Aut imperio magistratus.* Prætoris, Præsidis Prouinciæ, Proconsulis. §. *In plurimis, & ibi Theoph. h. t.*

d *Eos easue.* Nàm & fœminæ ex rescripto principis adrogari possunt, *l. nàm & fœminæ 21. ff. de adop.* Per populum verò Romanum, fœminæ quidem non adragabantur, *Vlp. in frag. tit. 8. §. per prætorem.* Causa illa erat, quia nulla cum fœminis comitiorum communio erat. *Gellius lib. 5. cap. 19.*

e *Qui quæue sui iuris sunt.* Per arrogationem ex sui iuris fiunt alieno iuri subiecti, subiectæue. §. *Illud proprium est. h. t.*

f *Dicitur arrogatio.* Vel quia olim per populi rogationem fiebat. *Gellius d. lib. 5. cap. 19.* Vel quia & ille qui adoptat interrogatur, vtrum illum quem adoptat filium habere velit: & ille qui adoptatur interrogatur, vtrùm id fieri velit. *Gaius Instit. lib. 1. tit. 5. l. 2. ff. de Adopt.*

Ad §. Sed hodie.

Sed hodie ex noſtra (a) *Conſtitutione, cum filiusfamilias à patre* (b) *naturali extraneæ* (c) *perſonæ in adoptionem datur, iura patris* (d) *naturalis minimè diſſoluuntur: nec quidquam ad patrem adoptiuum tranſit, nec in poteſtate eius eſt, licèt ab inteſtato iura ſucceſſionis ei à nobis tributa* (e) *ſint. Si verò pater naturalis non extraneo, ſed auo filij ſui materno, vel ſi ipſe naturalis pater fuerit emancipatus, etiam auo paterno, vel proauo ſimili modo paterno, vel materno filium ſuum dederit* (f) *in adoptionem: in hoc caſu, quia concurrunt in vnam perſonam & naturalia* (g), *& adoptionis iura, manet ſtabile* (h) *ius patris adoptiui, & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis nodo conſtrictum, vt & in familia, & in poteſtate* (i) *huiuſmodi patris adoptiui ſit.*

a EX *noſtra Conſtitutione.* Hæc conſtitutio eſt diciſio *l. Cum in adoptiuis 10. C. de adop.*

b *Naturali.* Et legitimo.

c *Extraneæ perſonæ.* Extraneum hic vocat Imperator eum, qui

qui non est in numero parentum. §. *Sed ea omnia, vers. nostra autem, de hered. quæ ab intest. defer.*

d *Iura patris naturalis minimè diffoluntur.* Olim, cum filiusfamilias à patre naturali etiam extraneæ personæ in adoptionem dabatur, potestas patris naturalis transibat in adoptidm. *Theoph. hic, d. l. Cum in adoptiuis* 10. *in princ. C. de adop.*

e *Tributa sint.* Habet adoptatus Iura successionis ab intestato, in bonis patris adoptiui, etiam cum legitimis & naturalibus. 1 *Mynf. hic sub num.* 2.

f *Dederit in adoptionem.* Actis interuenientibus apud competentem Iudicem, præsente eo, qui adoptatur, & non contradicente, nec non eo præsente, qui adoptat. §. *Sed & si pater, Inst. Quib. modis ius pot. sol.*

g *Et naturalia, & adoptionis iura.* Planiùs hoc loco Iustianus sic dixisset: Et naturalis, & adoptiuæ paternitatis iura. *H.*

h *Manet stabile ius patris adoptiui.* Cui filius adoptiuus acquirit quæ possunt acquiri. Et eidem necessario succedit patris verò 2 naturalis successionem molestare non potest, *d.l. Cum in adoptiuis* 10. §. *Si verò pater naturalis C. de adop.*

i *Et in potestate huiusmodi patris adoptiui sit.* Quod si ab eodem fuerit emancipatus, iterum ad patrem naturalem rauertitur, *d. l. Cum in adoptiuis* 10. §. *Si verò pater naturalis. C. de adop.*

Ad. §. Cùm autem impubes.

Cùm autem (a) *impubes per principale reseiptum adrogatur, causa* 3 (b) *cognita adrogatio permittitur: & exquiritur causa adrogationis an honesta sit, expediatque pupillo: & cum quibusdam conditionibus adrogatio fit, idest, vt caueat* (c) *arrogatur personæ* (d) *publicæ, hoc est tabulatio, si intra* (e) *pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui, si* (f) *adoptio facta non esset, ad successionem* (g) *eius venturi essent. Item, non aliàs emancipare eum potest adrogator, nisi causa cognita, dignus* (h) *emancipatione fuerit, & tunc sua* (i) *bona ei reddat. Sed si decedens pater eum exheredauerit, vel viuus sine iusta* (k) *causa cum emancipauerit:* 4 *iubetur* (l) *quartam* (m) *patrem ei bonorum suorum* (n) *relinquere, videlicèt præter bona, quæ ad patrem adoptiuum transtulit, & quorum commodum ei postea adquisiuit.*

a CVM *autem impubes.* Pupilli autèa quidem non poterant arrogari: nunc autem possunt ex constitutione Diui Antonini. *Vlp. in frag. tit. de adop. §. per prætorem.*

b *Causa cognita*. Ea, in quibus consistit hæc causæ cognitio, numerantur in *l. Nec ei* 17. §. *eorum ff. de adop.* Et notate, quod necesse est etiam omnes tutores suam auctoritatem præstare, *l. vlt.* §. *vlt. C. de auct. præst.*

c *Vt caueat arrogator*. Idoneis fideiussoribus datis, *l.* 2. *C. de adop.* Quæ satisdatio si omissa fuerit: vtilis actio in adrogatorem datur, *l. his verbis* 19. *ff. de adop.*

d *Personæ publicæ, Hoc est tabulario*. Sic legitur apud Cuiac. 1
Et hanc lectiuram Theph. comprobat.

e *Si intra pubertatem*. Hæc satisdatio vltra pubertatem non fuit producta. *Nàm pubertate finitur substitutio pupillaris*. §. *Qua ratione Inst. de pupill. substit.* Et si impubes non fuisset arrogatus, potuisset pubes iam factus, facto testamento, venientes ab intestato excludere. §. *Cum ergo. Inst. Qui & quib. ex caus. manumit. non poss.*

f *Si adoptio facta non esset*. Nàm adoptio agnationem, & pupillare testamentum peremit. §. *vlt. de legit. agnat. tut. &* §. *non* 2
tamen, Quib. mod. test. infir.

g *Ad successionem eius venturi essent*. Vel ex substiautione pupillari, vel ab intestato. *In l. Non aliter* 18. *ff. de adop.* legitur: ad quos res peruentura esset. *Et in l. seq.* additur, quod his verbis satisdaonis: Ad quos res peruentura esset: & libertatibus prospectum esse, quæ secundis tabulis datæ sunt, & multò magis substitituto seruo, Item legatarijs, nemo dubitat.

h *Dignus emancipatione fuerit*. Vt quia fortè quid eorum designauerit, ob quæ etiam exheredari potuisset iustus filius. *Mynſ.* 3
hic sub. num. 5.

i *Sua bona*. Quæ ad patrem adoptiuum transtulit, & quorum commodum ei postea adquisiuit, vt hic in texu in fine. §.

k *Sine iusta causa* Si impubes arrogatus causa cognita emancipatus fuerit, quartam perdit, *l. Vlt. ff. Si quid in fraud. pat.*

l *Iubetur*. Ex Constitutione Diui Pij, *d. l. vlt. ff. Si quid in fraud. pat.* Et proinde hæc quarta solet dici, quarta Diui Pij.

m *Quartum partem ei bonorum suorum*. Ideſt, quartam partem 4
omnium bonorum suorum, si hunc solum filium habeat, vel quartam debitæ ab intestato portionis si alij sint filij. *Cuiac. & Baro. hic.* Et hanc quartam impubes arrogatus cõsequitur ex bonis, quæ mortis tempore illius, qui adoptauit, fuerunt. Et si quid in fraudem eius alienatum fuerit: quasi per Caluisianam, vel Fauianam actionem reuocandum est. *d. l. vlt. ff. quid in fraud. pat.* Non tamen impubes arrogatus habet inofficiosi querelam,

sed

sed condictione ex rescripto Diui Pij dictam quartam consequitur, *l. Papinianus* 8. §. *Si quis impubes ff. de Inoffic. test.* Sed an hæc quarta hodie per *tex. in A. de tricnte, & semisse, cap.* 1. sit aucta eodem modo, quo aucta est quarta legitimorum, & naturalium. Respondetur negatiuè *glos. in d. A. de trien. & sem. cap.* 1. In verbo, hoc obseruando. Et hæc sententia communiter obtinuit. *Mynsh. hic sub num.* 13.

n *Relinquere.* Rectè, relinquere: Nàm hæc quarta non priùs debetur, quàm arrogator decesserit, *l.* 1. §. *Si impuberi ff. de collatione bonorum.* 1

Ad §. Minorem natu.

Minorem natu, maiorem non posse adoptare, placet: adoptio enim naturam imitatur: & pro monstro est, vt maior sit filius, quam pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, plena pubertate, ideſt, decem (a) *& octo annis præcedere.* 2

a *Decem & octo annis.* Cuiacius tamen hic in verbo, pubertate, existimat fœminam quatuordecim tantùm annis maiorem esse debere eo, quem sibi per arrogationem vel per adoptionem filium facit, vt quemadmodum maturius biennio fœminæ pubescunt, ita etiam maturius biennio plenam pubertatem adipiscantur. Iuuatur hæc sententia per *textum in l. Mela* 14. *ff. de aliment. & cib. leg.* 3

Ad §. Licet autem.

Licet autem & in locum nepotis vel pronepotis, vel in locum neptis vel proneptis, vel deinceps adoptare, quamuis (a) *filium quis non habeat.*

a *Quamuis filium quis non habeat.* Quia sufficit eum natura posse habere filium, & ex eo nepotem: In adoptionibus enim spectatur naturalis facultas, & potentia, non actus §. *Sed & illud, h. t.* Vnde & qui vxorem non habent, filios adoptare possunt, *l. Et qui vxorem* 30. *ff. de adop.* Sufficit enim quòd natura vxorem habere, & ex ea filios suscipere possint. 4

Ad

Ad §. Et tam filium.

Et tam (a) *filium alienum quis in locum nepotis adoptare poteſt, quàm nepotem in locum filij.*

a ET *tàm filium &c.* Huius loci ſententia hæc eſt: Filium alie- 1
num quis in locum nepotis adoptare poteſt, vel nepotem alienum in locum filij. Si tamen Titius habeat Gaium filium, & ex eo nepotem Seium, non poterit quis adoptare Seium in locum filij, & Gaium in locum nepotis ex Seio, ne Gaius qui eſt pater naturalis Seij, videatur eſſe filius eiuſdem Seij, quod eſt contra naturam. §. *Minorem, hoc titulo.* Nec etiam fratrem ſibi quiſquam per adoptionem facere poterit, *l. Nec apud* 10. *C. de hæred. inſtit.* Ratio eſt: quia adoptio imitatur naturam, *d. §. Minorem h. t.* Et hoc naturale eſt, quod frater à fratre non 2
naſcatur, *gl. in d. l. nec apud, in verbo, frater.*

Ad §. Sed ſi quis.

Sed ſi quis nepotis loco adoptet, vel quaſi ex eo filio quem habet iam adoptatum, vel quaſi ex illo quem naturalem in ſua poteſtate habet: in eo caſu, & filius (a) *conſentire debet, ne ei inuito ſuus heres adgnaſcatur. Sed ex contrario ſi auus ex filio nepotem det in adoptionem: non eſt neceſſe* (b) *filium conſentire.* 3

a ET *filius conſentire debet, ne ei inuito &c.* Igitur filius conſentire debet, non vt adoptio valeat, ſed vt auo, qui adoptauit, mortuo, nepos incipiat eſſe filio ſuus heres, *l. Si is qui filium* 11. *ff. de adop. Pacius hic in Analy. & legum Conciliatarum cent. 7. q. 86.*

b *Non eſt neceſſe filium conſentire.* Quia nepos ex filiofamilias non eſt in patris ſui, ſed in ſolius aui poteſtate. §. *vlt. Inſtit.* 4
de pat. pot.

Ad §. In plurimis.

In plurimis autem cauſis adſimilatur is qui adoptatus vel adrogatus eſt, ei qui ex legitimo matrimonio natus eſt, & idcò ſi quis per Imperatorem,

torem, siue apud Prætorem, vel Præsidem (a) *Prouinciæ non* (b) *extraneum adoptauerit, potest eundem alij in adoptionem dare.*

a *VEL Præsidem Prouinciæ.* Addit Theophilus: vel Proconsulem.

b *Non extraneum.* Hæc verba ad eam adoptionem quæ fit apud Prætorem, vel Præsidem Prouinciæ, referenda sunt, non etiam ad eam, quæ fit per Imperatorem, in qua nihil fuit à Iustiniano innouatum §. *Sed hodie h. t.* Si quis igitur Imperatoris auctoritate etiam extraneum adrogauerit, poterit eundem in adoptionem alij dare. Ius enim in adoptionem dandi, patriæ potestatis pars est, & adrogatus potestati adrogatoris indistinctè subijcitur, §. *Illud proprium est, h. t.* 1

Ad §. Sed & illud.

Sed & illud vtrinsque adoptionis commune est, quòd & ij, qui generare (a) *non possunt, quales sunt spadones,* (b) *adoptare* (c) *possunt: castrati* (d) *autem non* (e) *possunt.* 2

a *QVI generare non possunt.* Planiùs sic dixisset Iustinianus: Qui propter vitium quoddam, quod tamen sanabile est, generare non possunt. H.

b *Spadones.* Spadonum generalis appellatio est, quo nomine tam hi qui natura spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ: sed & si quod aliud genus spadonum est, continentur, *l. Spadonum 128. ff. de verb. sig.* Sed hoc loco spadones sunt, qui propter vitium aliquod aut frigiditatem membrorum genitalium, liberis operam dare non possunt, sed eo sublato, liberos suscipere possunt. *Theoph. hic.* 3

c *Adoptare possunt.* Quoniam sperare possunt fore, vt vitio, quo tenentur, cessante, liberos possint procreare.

d *Castrati.* Castrati sunt, quibus excisa sunt membra virilia. *Idem Theoph.*

e *Non possunt.* Quia sperare non possunt, vt liberis vnquam dent operam. Sed post Iustinianum Leo Imperator *Nouella 26.* castratis quoque adoptandi facultatem concessit. 4

Ad §. Fœminæ.

Fœminæ quoque adoptare non possunt: quia nec naturales liberos in sua potestate habent, sed ex indulgentia principis ad solatium (a) *liberorum amissorum adoptare* (b) *possunt.*

a *Ad solatium liberorum amissorum.* Sed Leo Imperator *Novella* 27. etiam fœminis, quæ matres non fuerint, adoptandi potestatem concessit. 1

b *Adoptare possunt.* Non vt ius potestatis consequantur, sed vt filium perindè atque ex se progenitum, ad vicem naturalis legitimique filij habeant, *l. mulier* 5. *C. de adop.*

Ad §. Illud proprium.

Illud proprium (a) *est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit: quòd is, qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit: non solùm* (b) *ipse potestati adrogatoris subijcitur, sed etiam* (c) *liberi eius in eiusdem fiunt potestate, tanquam nepotes. Sic enim* (d) *Diuus Augustus non antea Tiberium adoptauit, quàm is Germanicum adoptasset: vt protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Augusti nepos esse.* 2

a *Illud proprium est &c.* Ait Iustinianus: Illud proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit. Hoc est, illud proprium est arrogationis. Arrogatio enim per rescriptum Principis fit, quod sacrum oraculum appellatur. Oracula quidem ab eo ipso appellata sunt, quod est in his Deorum oratio, vt Cicero in Topicis author est. Sed quia Romani Principes aliquid Maiestatis super humanæ sibi attribuerunt, factum est, vt rescriptum eorum sacrum oraculum diceretur. *Mynsi. hic. In l. 2. §. vlt. ff. de adop.* Gaius simpliciter scripsit: Hoc verò proprium est eius adoptionis, quæ per Principem fit. 3

b *Non solùm ipse.* Omnia etiam, quæ eius fuerunt, & adquiri possunt, tacito iure ad eum transeunt, qui adrogauit, *l. Si pater familias* 15. *ff. de adop.* Et hæc adrogatori antea quidem pleno iure adquirebantur: nunc autem quoad vsumfructum tantùm adquiruntur eidem. *§. 1. de adquis. per arrog.* 4

c *Sed etiam liberi eius*, Sed & hi, qui postliminio redeunt, vel qui

qui in vterò fuerunt cùm adrogaretur, simili modo in potestatem adrogatoris rediguntur, *d.l.si paterfamilias 15. ff.de adop.*

d *Sic enim Diuus Augustus, non antea Tiberium adoptauit &c.* Romam reuersus Tiberius adoptatur ab Augusto: coactus prius ipse Germanicum fratris sui filium adoptare. Suetonius in Tiberio.

Ad §. Apud Catonem. 1

Apud (a) *Catonem benè scriptum refert antiquitas: seruos, si à domino adoptati sint, ex hoc ipso* (b) *posse liberari. Vnde & nos eruditi, in nostra* (c) *Constitutione etiam eum seruum, quem dominus actis* (d) *interuenientibus filium suum nominauerit, liberum esse constituimus, licèt hoc ad ius filij accipiendum non sufficiat.*

a *Apud Catonem.* Hic est M.Cato, M.Catonis Censorij filius, quem *Gellius lib.13. cap.18.* egregios de Iuris disciplina 2
libros reliquisse tradit.

b *Ex hoc ipso posse liberari.* Non tamen filiorum iure donari: qnia talis adoptio non valet. *Theoph.*

c *In nostra Constitutione. In l.vnica, §. Similique modo C. de lat. lib. tol.*

d *Actis interuenientibus.* Inter acta, *d. l. vnica. §. Similique modo.* Acta commentarij sunt seù monumenta eorum, quæ aguntur in iudicio. *Cuiac. hic.*

3

Quibus modis ius (a) potestatis soluitur.

TITVLVS XII.

Videamus (b) *nunc quibus modis ij, qui alieno* (c) *iuri sunt subiecti, eo iure liberentur. Et quidem serui quemadmodum potestate liberantur, ex ijs intelligere possumus, quæ de seruis manumittendis superiùs* (d) *exposuimus. Hi verò, qui in potestate parentis sunt,* 4
mortuo eo, sui iuris fiunt: Sed hoc distinctionem recipit. Nam mortuo (c) *patre, sanè* (f) *omnimodo filij filiæque sui iuris efficiuntur. mortuo verò auo, non omnimodò nepotes neptesque sui iuris fiunt: sed ita, si post mortem aui in potestatem patris sui recasari non sunt. Itaque si moriente auo pater eorum viuit, & in potestate* (g) *patris sui est; tunc post obitum aui in potestate patris sui fiunt. Si verò is,*

quo tempore auus moritur, aut iam mortuus est, aut exüt (h) *de potestate patris: tunc ij, quia in potestatem eius cadere non possunt, sui iuris fiunt.*

a *Quibus modis ius potestatis soluitur.* Sic concipiendus est titulus. Non autem hoc modo: Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur: vt in libris vulgatis. Nàm non solùm agitur in hoc titulo de modis, quibus soluitur patria potestas, sed etiam in principio tituli significatur quomodo 1
potestas dominorum dissoluatur.

b *Videamus nunc &c.* Quasi dicat: Vidimus supra quomodo quis alieno iuri subijciatur: Videamus nunc quibus modis ij, qui alieno iuri sunt subiecti, eo iure liberentur.

c *Alieno iuri.* Hoc est, dominicæ, vel patriæ potestati.

d *Superius exposuimus.* Præsertim sub tit. de libertinis. §. *Multis autem modis.*

e *Nàm mortuo patre.* In cuius potestate erant filij filiæue.

f *Omnimodo.* Sine vlla distinctione. 2

g *Et in potestate Patris sui est.* Et nunquam exijt de potestate patris sui. Nàm si pater filium, ex quo nepos illi est in potestate, emancipauerit, & postea cum adoptauerit: mortuo auo, nepos in patris potestatem non reuertitur, *l. Si pater filium* 41. *ff. de adop.*

h *Aut exijt de potestate patris.* Per emancipationem, vel alio modo. Nisi fortè per dignitatem exiuisset: tunc enim post mortem aui recidunt nepotes nepteſque in potestatem patris sui, *Nouella* 81. *cap.* 2. 3

Ad §. Cùm autem.

Cùm autem is, qui ob aliquod (a) *maleficium in insulam deportatur, ciuitatem* (b) *amittat: sequitur,* (c) *vt eo qui eo modo ex numero Ciuium Romanorum tollitur, perinde* (d) *quasi mortuo, desinant* (e) *eius liberi in potestate esse. Pari ratione, & si is, qui in potestate parentis est, in insulam deportatus fuerit, desinit* (f) *in potestate parentis esse. Sed si ex indulgentia principali* (g) *restituti fuerint,* 4
per omnia pristinum statum recipiunt. Relegati (h) *autem patres in insulam, in potestate sua liberos retinent. Et ex contrario liberi relegati, in potestate parentum remanent.*

a *Ob aliquod maleficium &c.* Plura maleficia, ob quæ in insulam quis deportatur, videre potes in *tit. de pub. iud.* §. *Item lex Cornelia de falsis, cum* §§. *seq.*

Ciui-

b *Ciuitatem amittat*. Per pœnam deportationis ad peregrinationem redigitur deportatus, *l. sed etsi* 10. §. *Si per pœnam ff. de, in ius voc.* Et consequenter fine ciuitate est: vt ea, quæ Iuris Ciuilis sunt, non habeat, *l. Quidam* 17. *ff. de pœnis*, *l. prima C. de hæred. instit.*

c *Sequitur, vt eo qui eo modo &c.* H. hic contra librorum omnium auctoritatem sic locum hunc rectè emendat: Sequitur, vt eo qui eo modo ex numero Ciuium Romanorum tollitur, 1
periude quasi mortuo, desinant eius liberi in potestate esse.

d *Perinde quasi mortuo*. Deportati enim mortuorum loco habentur, *l.* 1. §. *Quidam filium ff. de bon. pos. cont. tab.*

e *Desinant eius liberi in potestate esse*. Neque enim possunt liberi, qui Ciues Romani sunt, in peregrini potestate esse: cum soli Ciues Romani liberos in potestate habeant. *Theoph. hic*, *Vlp. in frag. tit.* 10. §. *Si patri*.

f *Desinit in potestate parentis esse*. Cùm enim sit peregrinus, 2
in potestate Ciuis Romani esse non potest. *Theoph. & Vlp. vbi suprà*.

g *Sed si ex indulgentia principali restituti fuerint &c.* Si restitutio concepta sit in infinitum, veluti si Princeps dicat: Restituo te in integrum: & patria potestas, & dignitas, & cætera omnia restituta intelliguntur, *l.* 1. *& vlt.* §. *vlt. C. de sent. pass.* Secus est si restitutio finita sit, v. g. si præcedens dignitas restituta fit, potestas patria repetita non videtur, *l. In insulam* 6. *C. de sent. pass.* Generalis verò ac simplex indulgentia Principis, pœnæ tantùm gratiam facit, & reditum exulibus, seù deportatis tri- 3
buit, *l. vlt. C. de generali abolitione*, *l. generalis* 7. *C. de sent. pass.*

h *Relegati autem &c.* Relegatio non tollit patriam potestatem, quia Relegati Ciuitatem Romanam retinent, *l. Relegatorum* 7. §. *Siue ad tempus ff. de Interdict. & releg.* Obiter hic notate, quod præcipuæ differentiæ inter deportatos & relegatos hæc sunt. Relegati Ciuitatem, patriam potestatem, testamenti factionem, bona, & omnia alia sua iura retinent, & interdum, non in perpetuum, sed ad tempus relegantur, *l.* 1. *l.* 3 *relegati* 4. *l. relegatorum* 7. §. *Siue ad tempus ff. de Interdict. & releg.* Deportati 4
omnia illa amittunt, & in perpetuum semper deportantur. §. *Cum autem h. t. l. eius qui* 8. *ff. de testam. d. l. relegatorum* 7. §. *Hæc est differentia*. Non est tamen inter deportatos & relegatos differentia in libertate. Nàm etiam deportati remanent liberi, *l. Sed si alia*, §. *Quod si ff. de bonis damnatorum*.

Ad §. Pœnæ seruus.

Pœnæ seruus effectus, filios (a) *in potestate habere desinit. Serui* (b) *autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum* (c) *damnantur, & qui bestijs* (d) *subijciuntur.*

a FIlios in potestate habere desinit. Quia pœnæ seruus effectus & Ciuitatem, & libertatem perdit, *l. Qui vltimo 29. ff. de pœnis*. Vnde etiam è contra, si filius familias fiat seruus pœnæ, ius patriæ potestatis soluitur. 1

b *Serui autem pœnæ &c.* Pœnæ autem serui ideò dicuntur hi, qui in metallum damnantur, & qui bestijs subijciuntur, quia nullius planè nisi supplicij serui sunt: Ideòque si quid eis testamento datum fuerit, pro non scripto est: quasi non Cæsaris seruo datum, sed pœnæ, *l. Quidam sunt 17. ff. de pœnis, l. 3. ff. de his, quæ pro non script. hab.* Sed Iure nouissimo nemo ingenuus ex supplicio fit seruus. *A. de nupt. cap. 2. §. Quod autem.* 2

c *Qui in metallum damnantur.* Idest, ad inquirendas eruendasque venas metalli. Inter eos autem, qui in metallum, & eos, qui in opus metalli damnantur, differentia in vinculis tantùm est: quòd qui in metallum damnantur, grauioribus vinculis præmuntur: qui in opus metalli, leuioribus. quòdque refugæ ex opere metalli, in metallum dantur: ex metallo, grauius coercentur, *l. aùt damnum 8. §. Inter eos ff. de pœnis*. In locum pœnæ metalli subrogata est triremium pœna in perpetuum. *Ludou. à Peguera decis. 24. sub num. 23.* 3

d *Et qui bestijs Subijciuntur.* Qui in cibum dantur bestijs, subijci bestijs dicuntur: qui verò cum bestijs depugnandi causa in arenam intromittuntur, obijci bestijs magis dicuntur. Baro hic. Hodie tamen his pœnis non vtimur.

Ad §. Filiusfamilias.

4

Filiusfamilias si militauerit, vel si Senator vel Consul factus fuerit, remanet in potestate patris. Militia enim, vel consularis (a) *dignitas potestate patris filium non liberat. Sed ex Constitutione* (b) *nostra summa* (c) *patriciatus dignitas, illico Imperialibus* (d) *codicillis præstitis, filium* (e) *à patria potestate liberat. Quis enim patiatur, patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus*

xibus filium relaxare: imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, quem sibi (f) patrem elegit, ab aliena eximere potestate?

a *VEL consularis dignitas &c.* Hodie tamen consularis dignitas filium à patria potestate liberat. A. Constitutio, quæ dignitatibus &c. *cap.*1.

b *Ex Constitutione nostra. In l.vlt. C.de consulibus lib.*12.

c *Summa patriciatus dignitas &c.* Hæc patriciatus dignitas summa in contextu vocatur, non quia sit maior cæteris omnibus, sed quia inter summas dignitates numeratur: Constat enim ex *Cassiodoro Variarum lib.6. cap.*2. Consulatum patriciatu superiorem fuisse. Porrò, Iure Institutionum, sola patriciatus dignitas filium à patria potestate eximebat. Et patricij, de quibus hoc loco Iustinianus loquitur, sunt hi, quos Imperator sibi patres elegit, vt hic in *text. & in d. l.vlt. C. de Consulibus lib.*12. hoc est, supremi eius consiliarij. Sed hodie omnis dignitas & omne cingulum à Curia liberare valens, & Episcopalis ordi- 2
natio liberos à patria potestate liberat. *A. Constitutio, quæ dignitatibus &c. cap.*1. *& 3. collat.6.* Et quædam harum dignitatum numerantur in *d. A. cap.*1. *& aliæ in l. vlt. C. de decur. lib.*10. Est tamen notandum, quod liberati per dignitatem à patria potestate, non perdunt aliquod legitimorum ius, sed sunt & generi ad eos, & ipsis ad genus intacta legitima, & ex natura seruata iura, & filij eorum post mortem auorum sub eorum reciduntpotestatem, ac si contigisset eorum parentes morte suorum patrum, & non per dignitatem suæ potestatis fieri *d. A.* 3.
*Constitutio, quæ dignitatibus &c. cap.*2.

d *Imperialibus Codicillis.* Ideſt, literis, diplomatibus.

e *Filium à patria potestate liberat.* Leges tantam patricijs reuerentiam detulerunt, vt in sacris positus, cum hoc fuerit honore præcinctus, paternæ potestatis nexibus exuatur, nisi contra specialiter à Principe caueatur. *Cassiodorus Variarum lib. 6. cap.* 2.

f *Quem sibi patrem elegit.* Hinc eleganter scribit Claudianus, de Eutropio patriciatus dignitate affecto. 4

Præsidium legum, genitorque vocatur
Principis, & famulum dignatur regia patrem.
Et ad eundem Eutropium post damnationem & publicationem bonorum.
Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras Principis esse pater.

Ad

Ad §. Si ab hostibus.

Si ab (a) *hostibus captus* (b) *fuerit parens, quamuis seruus hostium fiat, tamen pendet* (c) *ius liberorum propter* (d) *ius postliminij: quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reuersi* (e) *fuerint, omnia pristina* (f) *iura recipiunt. idcirco reuersus etiam liberos habebit in potestate, quia postliminium fingit eum, qui* (g) *captus est, semper in ciuitate* 1
fuisse. Si verò (h) *ibi decesserit, exinde, ex quo captus est pater, filius sui iuris fuisse videtur. Ipse* (i) *quoque filius, neposue, si ab hostibus captus fuerit, similiter dicimus propter ius postliminij, ius quoque potestatis parentis in suspenso esse. Dictum est autem postliminium à limine,* (k) *& post. Vndè eum qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum recte dicimus. Nam limina, sicut in domibus finem quendam faciunt: sic & imperij finem limen esse veteres voluerunt. Hinc &* (l) *limes dictus est, quasi finis quidam & terminus: ab eo postliminium dictum, quia* 2
(m) *eodem limine reuertebatur, quo amissus fuerat. Sed & qui captus victis hostibus recuperatur, postliminio redysse* (n) *existimatur.*

2 *SI ab hostibus &c.* Hostes sunt, quibus bellum publicè populus Romanus decreuit, vel ipsi populo Romano, *l. hostes 24. ff. de capt. & postlim. reu. l. hostes 118. ff. de verb. sig.* Et cum in orbe Romano, qui sunt, ex Constitutione Diui Antonini Ciues Romani effecti sint, *l. In orbe Romano 17. ff. de stat. hom.* sequitur omnes Christianos hodie populum Romanum esse. 3
Hinc que videmus antiquissima consuetudine introductum, vt capti in bello inter Christianos libertatem non amittant, sed præstita victori pecunia, veniam recedendi impetrent. Capti verò in bello, quod cum Turcis, & Saracenis indictum nobis est, efficiuntur capientium, suntque vicissim iura postliminij. *Alciatus in d. l. hostes 118. ff. de verb. sig. & Mynsi. hic.*

b *Captus.* Et intra præsidia hostium perductus. Antequam enim in præsidia perducatur hostium, manet ciuis, *l. Postliminij 5. ff. de capt. & postlim. reu.* 4

c *Pendet ius liberorum.* Non quia nec in patris, nec in sua sint potestate, quod est maximè absurdum, *l. vlt. §. Ita tamen C. de sent. pass.* Sed quia in incerto sunt, vtrum sui iuris facti, an adhuc pro filijs familias computentur. Nàm defuncto patre apud hostes, ex quo captus est: patresfamilias, reuersi: nunquam suæ potestatis fuisse creduntur, *text. hic, l. In bello 12. §. Si*

quis

quis capiatur, & l. bona 22. §. Quod si filius ff. de capt. & postlim. 3
reuerſ. Quamobrem ſi pater apud hoſtes moriatur, defuncto iàm in Ciuitate filio: credimus patrem familias deceſſiſſe. Itaque hæredem habiturus eſt iſte non reuerſo patre. Sed ſi poſtliminio redierit pater iam defuncto filio: quidquid medio tempore per eum quæſitum eſt, habebit, *l. Si pater 15. ff. de ſuis, & legit. hered.* Similiter pecunia credita filio, qui patrem apud hoſtes habet, ſi reciderit filius in poteſtatem: Senatus Conſulto 1
Macedoniano locus erit. Si minus: ceſſat. *l. 1. §. Si pendeat ff. ad Senat. Conſ. Maced.*

d *Propter ius poſtliminij.* Eſt autem poſtliminium ius quoddam, quod ijs qui ab hoſtibus redeunt priſtinam omnem conditionem reſtituit. *Theoph. hic.* Seù Poſtliminium, vt Pleniùs definitur in *l. poſtliminium 19. ff. de capt. & poſtlim. reu.* Eſt ius amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos, ac liberos populos, regeſque, moribus, legibus conſtitutum. 2

e *Si reuerſi fuerit.* Nihil intereſt, quomodo captiuus reuerſus eſt, vtrum dimiſſus, an vi vel fallacia poteſtatem hoſtium euaſerit: ita tamen ſi ea mente venerit, vt non illò reuerteretur, *l. Nihil intereſt 25. ff. de capt. & poſtlim. reu.*

f *Omnia priſtina iura recipiunt.* Non tamen reſtituuntur eis, quæ in facto conſiſtunt, vt poſſeſſio v. g. ſi is, qui pro emptore poſſidebat, ante vſucapionem ab hoſtibus captus ſit, interrumpitur vſucapio, quia certum eſt eum poſſidere deſiiſſe, nec poſtliminium ei prodeſt, vt videatur vſucepiſſe, *l. ſi is,* 3
qui 15. ff. de vſucap. l. denique 19. ff. ex quib. cauſ. maior. l. in bello 12. §. facti autem ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.

g *Qui captus eſt.* Et ab hoſtibus aduenit, *l. retro 16. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.*

h *Si verò ibi deceſſerit, exinde, ex quo captus eſt &c.* In omnibus partibus Iuris is, qui reuerſus non eſt ab hoſtibus, quaſi tunc deceſſiſſe videtur, cùm, captus eſt, *l. In omnibus 18. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.* Et hæc dicitur fictio legis Corneliæ, introducta, vt captis ab hoſtibus, qui ibidem decedebant, ſucced- 4
poſſet, l. *lege Cornelia 12. ff. de teſtamentis, l. lex Cornelia 28. ff. de vulg. & pupill.*

i *Ipſe quoque filius &c.* Cùm filius reuertitur ab hoſtbus, duplicem in eo cauſam eſſe oportet poſtliminij: & quòd pater eum recuperet, & ipſe ius ſuum, *l. cum duæ 14. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.*

Ali-

k *A limine, & post.* Postlimium Scævola iunctum putat esse verbum, vt sit in eo, & post, & limen: vt quæ à nobis alienata sunt, cùm ad hostem peruenerit, & ex suo tamquam limine exierint, deinde cùm redierint post ad idem limen, postliminio videantur redijsse. *Cicero in Topicis.*

l *Hinc & limes dictus est.* Hanc lecturam confirmat Theophilus. In libris vulgatis legitur: *Hinc & limen dictum est.*

m *Quia eodem limine reuertebatur, quo amissus fuerat.* Hæc lectura confirmatur ex Theophilo. Vulgò legitur: *Quia ad idem limen reuertebatur, quod amiserat.* 1

n *Postliminio redijsse existimatur.* Receptum enim cum, non captum indicare debemus: & militem nostrum eius defensorum decet esse, non dominum, *l. Ab hostibus 12. C. de capt. & postlim. rev.*

Ad §. Præterea.

2

Præterea (a) *emancipatione quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio antea quidem vel per antiquam legis obseruationem procedebat, quæ per imaginarias* (b) *venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur, vel ex Impetriali* (c) *Rescripto. Nostra* (d) *autem prouidentia etiam hoc in melius per* (e) *Constitutionem reformauit, vt fictione* (f) *priſtina explosa, recta via ad competentes* (g) *iudices, vel* (h) *magistratus, parentes intrent: & filios suos,* (i) *vel filias, nepotes, vel neptes, ac deinceps, sua manu* (k) *dimitterunt. Et tunc ex edicto Prætoris in bonis huiusmodi* 3 *filij, vel filiæ, nepotis, vel neptis, qui, quæue* (l) *à parente manumissus, vel manumissa fuerit, eadem iura præstantur* (m) *parenti, quæ tribuuntur* (n) *patrono in bonis liberti. Et præterea si impubes sit filius, vel filia, vel cæteri, ipse parens ex manumissione tutelam eius* (o) *nanciscitur.*

2 *Præterea emancipatione &c.* Emancipatio est actus legitimus, quo parentes liberos suos de potestate dimittunt, ac sui iuris faciunt. *Pac. hic in Analy.* Est autem emancipatio triplex, 4 legitima, Anastasiana, & Iustiniana. Legitima per antiquam legis duodecim tabularum obseruationem procedebat, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur, vt in sequenti nota explicabitur. Anastasiana per Constitutionem Anastasij, omissis imaginarijs venditionibus, & manumissionibus, fit ex Imperiali rescripto apud competen-

petentem iudicem insinuato, *l. penult. C. de emancip. liber.* Iustiniana per Constitutionem Iustiniani, sine Imperiali rescripto, apud competentes Iudices, vel Magistratus perficitur, *l. vlt. C. de emancip. liber. tex. hic.*

b *Quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur.* Legislator Romanus patri concessit, licere illi terna filij venditione pecuniam quærere; maiorem largitus potestatem patri in filium, quàm hero in mancipium. Seruus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus, in posterum sui iuris est. filius verò à patre venditus, si liber fieret, rursum sub patris potestatem redigebatur: iterum quoque venditus & liberatus, in potestate vt ante patris erat, post tertiam demum venditionem eximebatur è patris potestate. Hanc legem post sublatam Monarchiam Decemuiri qui à populo acceperant potestatem colligendarum legum & conscribendarum, retulerunt inter cæteras: extatque in XII. Tab. (vt vocant) quarta, quas tunc in foro posuere. *Dyonis. Halicar. lib. 2.* Iuris Consulti autem cum ratio patriæ potestatis tollendæ compendiaria quæreretur, imaginariam liberorum venditionem & manumissionem ad similitudinem dictæ veræ venditionis, & manumissionis excogitarunt. Sed filius quidem ter mancipatus, idest, imaginariè venditus, ter manumissus, sui iuris fiebat. Cæteri autem liberi præter filium tam masculi, quàm fœminæ, vna mancipatione manumissioneque sui iuris fiebant. *Vlp. in frag. tit. 10* Quæ omnia copiosius exponunt *Theophilus hic, & Gaius lib. 1. Instit. tit. 6. §. Item per emancipationem.*

c *Vel ex Imperiali rescripto.* Hæc est Anastasiana emancipatio, de qua suprà dixi.

d *Nostra autem prouidentia &c.* Hic agitur de Iustiniana emancipatione.

e *Per Constitutionem. In l. vlt. C. de emancip. liber.*

f *Vt fictione pristina explosa, recta via &c.* Sunt igitur in emancipationibus imaginariæ venditiones, & manumissiones sublatæ: neque necessarium est, vt fiat emancipatio ex Imperiali rescripto, *dicta l. vlt.*

g *Ad competentes Iudices.* Ad quorum iurisdictionem actus emancipationis pertinet, *l. Tubemus 5. C. de emancip. liber.*

h *Vel Magistratus.* Quibus hoc facere vel legibus vel ex longa consuetudine permissum est, *l. vlt. C. de emancip. liber.*

i *Et filios suos, vel filias &c.* Consentientes tamen. Nàm soluere ius patriæ potestatis inuitis filijs permissum non est pa-

rentibus. *Novella 89. cap. 3. §. Generaliter.* Vnde infantes, quia consentire non possunt, ex Imperiali rescripto debent emancipari iuxta *l. Iubemus 5, C. de emancip. liber.*

k *Sua manu dimitterent.* V. g. simpliciter diciendo: Hunc filium ego emancipo, & à manu mea dimitto. *Theoph.*

l *Qui quæue à parente manumissus, vel manumissa fuerit.* In emancipationibus præter naturalem patrem, alius pater adhibetur qui fiduciarius nominatur. Cùm ergo tertio mancipatus fuerit filius à patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, vt ei à fiduciario patre remancipetur, & à naturali patre manumittatur: vt si filius ille mortuus fuerit, ei in hæreditate naturalis pater, non fiduciarius succedat. Et quamuis fœminæ, vel nepotes masculi ex filio, vna mancipatione de patris, vel aui potestate exeant, nisi tamen, & hi ipsi à patre fiduciario remancipati fuerint, & à naturali patre manumissi succedere eis naturalis pater non potest. *Gaius lib. 1. Instit. tit. 6.* Et licèt hodie emancipationes liberorum aliter fiant, vt in prima nota huius §. semper tamen videntur contracta fiducia fieri. *§. vlt. de legit. adgnat. success.* Et ex *Novella 118.* In successionibus ab intestato nulla habetur emancipationis ratio. 1 2

m *Præstantur parenti.* Liberos autem manumissoris non venire ad contra tabulas bonorum possessionem emancipati filii constat, quamuis liberi patroni veniant *l. 1. §. Liberos autem ff. Si à parente quis manumiss. sit.*

n *Quæ tribuuntur patrono in bonis liberti.* Si libertus intestatus sine liberis decesserit, ad omnem hæreditatem patronus vocatur. Si verò testamentum fecerit, & patronum prætererit, cum liberos non haberet: per bonorum possessionem contra tabulas tertiam partem bonorum liberti consequitur patronus: quemadmodum infrà in *tit. de success. libert.* copiosius tractabitur. Æquissimum autem prætori visum est, vt parens exemplo patroni ad contra tabulas bonorum possessionem admittatur, quia à parente beneficium habuit bonorum quærendorum quippe si filius familias esset, quodcunque sibi acquireret, eius emolumentum patri quæreret, *l. 1. ff. Si à parente quis manumiss. sit.* 3 4

o *Tutelam eius nancisci tur.* Quia plerumque vbi successionis est emolumentum, ibi & tutulæ onus esse debet, vt in fine *tituli de legit. patron. tutela.* Et de hac tutela parentum videbimus in *titulo de legit. parent tutela.*

Ad

Ad §. Admonendi.

Admonendi autem sumus, liberum (a) *arbitrium esse ei, qui filium, & ex eo nepotem, vel neptem in potestate habebit: filium* (b) *quidem de potestate dimittere, nepotem verò vel neptem retinere. Et è conuerso filium quidem in potestate retinere, nepotem verò vel neptem manumittere,* (c) *vel omnes sui iuris efficere. Eadem & de pronepote & pronepte dicta esse intelligantur.* 1

a *Liberum arbitrium esse ei, qui filium &c.* Non tamen permissum est parentibus liberos inuitos de potestate dimittere. Nisi ex iusta causa, vt videbimus ad §. *vlt. h. t.*

b *Filium quidem de potestate dimittere &c.* Si pater filium, ex quo nepos illi est in potestate, emancipauerit, & postea eum adoptauerit: mortuo eo, nepos in patris potestatem non reuertitur, *l. Si pater filium* 41. *ff. de adop.* 2

c *Manumittere.* Ex dictis in præcedenti §. constat quare parentes, qui liberos de potestate dimittunt, dicantur eos manumittere.

Ad §. Sed & si Pater.

Sed & si pater filium, quem in potestate habet, auo, (a) *vel proauo naturali secundùm nostras* (b) *Constitutiones super his habitas, in adoptionem dederit: ideſt, si hoc ipsum actis* (c) *interuenientibus* 3 *apud competentem* (d) *Iudicem manifestauerit, præsente eo,* (c) *qui adoptatur, & non contradicente, necnon eo præsente, qui adoptat, soluitur ius potestatis patris naturalis: transit autem in huiusmodi parentem adoptiuum, in cuius persona & adoptionem esse pleniſſimam anteà* (f) *diximus.*

a *Auo, vel proauo.* Auo, vel proauo filij sui materno, vel etiam paterno, si ipse pater fuerit emancipatus, *l. Cùm in adoptiuis* 10. §. *Si verò C. de adop.* §. *Sed hodie, inst. de adop.* 4

b *Secundum nostras Constitutiones. Dicta l. Cùm in adoptiuis* 10. §. *Si verò, & l. vlt. C. de adop.*

c *Actis interuenientibus.* Ideſt, inter acta. §. *vlt. Instit. de adop.* iuncta *l. vnica.* §. *Similique modo C. de lat. libert. tol.*

d *Apud competentem Iudicem.* Veluti apud Prætorem, vel Præsidem Prouinciæ. §. *In plurimis, Instit. de adop.*

e *Præsentè eo, qui adoptatur, & non contradicente.* Neque enim absens, neque dissentiens in adoptionem dari potest, *l. In adoptionibus 5. l. Neque absens 24. ff. de adop.*

f *Antèà diximus. Ad §. Sed hodie, de adop.*

Ad §. Illud autem.

Illud autem scire oportet, quòd si nurus tua ex filio (a) *tuo conceperit,* 1
& filium postèà emancipaueris, vel in adoptionem dederis, prægnante nuru tua: nihilominus quod ex ea nascitur, in potestate (b) *tua nascitur. Quòd si post emancipationem, vel adoptionem conceptus fuerit: patris sui emancipati, vel aui adoptiui potestati subijcitur.*

a EX *filio tuo.* Etiam adoptiuo. *Facit l. Si me tibi 13. ff. de capt. & postlim. reu.*

b *In potestate tua nascitur.* In his enim qui ex iustis nuptijs nascuntur, tempus conceptionis spectatur. *Theoph. hic.* 2

Ad §. Et quòd.

Et (a) *quòd neque naturales* (b) *liberi, neque adoptiui vllo* (c) *penè modo possunt cogere parentes, de potestate sua eos dimittere.*

a ET *quòd.* Et illud etiam scire oportet, quòd &c.

b *Naturales.* Et legitimi.

c *Vllo penè modo &c.* Certis tantùm casibus pater liberos suos 3
emancipare compellitur. Primò qui agnouerit, quod sibi relictum est hac contemplatione, vt liberos suos emanciparet, erit extra ordinem cogendus emancipare, *l. Si cui legatum 91. ff. de condit. & demonst.* Secundò cogitur pater emancipare filium, quem malè contra pietatem afficit, *l. vlt. ff. si à patre quis manumiss. sit.* Tertiò si lenones patres suis filiabus peccandi necessitatem imposuerint, cogendi erunt eas emancipare, *l. Si lenones 13. C. de Episcop. aud.* Quartò impubes, qui adoptatus est, si pubes factus probauerit non expedire sibi in potestatem 4
patris adoptiui redactum fuisse, emancipandus erit à patre adoptiuo, *l. nonnunquam 32. & l. seq. ff. de adop.* Quintò si quis minor vigintiquinque annis adrogandum se dederit, & in ipsa adrogatione se circumuentum dicat, in integrum restituendus erit, *l. denique 3. §. Si quis minor ff. de minoribus.* Et secundum *Oinot. in §. Præterea h. t. sub num. 7.* potest pater compelli ad emancipan-

cipandum filium ex eisdem causis, propter quas potest à filio exheredari, quæ causæ numerantur in *A. vt cum de appell. cog. cap.4.* E contrà filij inuiti non possunt à parentibus emancipari *Nouella 89. cap.3. §.Generaliter.* Ex causis tamen, propter quas possunt à parentibus exheredari, poterunt etiam inuiti emancipari. *Oinot. vbi suprà sub num. 6. & Mynsi. hic sub num. 4.* Quæ causæ numerantur in *d. A. vt cum de appell. cog. cap.3.* Et etiam poterit filius inuitus emancipari, si agnouerit legatum contemplatione emancipationis sibi relictum, *vt not. in addit. ad glos. vlt. h. t.* 1

De Turelis.

TITVLVS XIII.

Transeamus (a) *nunc ad* [b] *aliam diuisionem* (b) *personarum. Nam ex his personis, quæ in* (c) *potestate non sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quædam neutro iure tenentur. Videamus ergo de his, quæ in tutela vel curatione sunt. Ita enim* (d) *intelligemus cæteras personas, quæ neutro iure tenentur. Ac* (c) *priùs dispiciamus de his, quæ in tutela sunt.* 2

a *Transeamus nunc &c.* Diximus suprà in *princ. tit. de ijs qui sui, vel alieni iuris sunt*, quod quædam personæ sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ. Cum autem de his, quæ alieno iuri subiectæ sunt, hactenus dictum sit: proximum est, vt alteram diuisionis partem deinceps explicemus. Et quia personarum, quæ sui iuris sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione: quædam neutro iure tenentur. Videamus de his, quæ in tutela, vel in curatione sunt. ita enim intelligemus cæteras personas, quæ neutro iure tenentur. Ac priùs dispiciamus de his, quæ in tutela sunt. *tex. hic.* 3

b *Ad aliam diuisionem.* Ideſt, subdiuisionem. Nàm primum membrum diuisionis positæ suprà, de ijs qui sui vel *alien. iur. sunt*, subdiuiditur. *Faber hic.* 4

c *Quæ in potestate nostra sunt.* Parentum, vel dominorum.

d *Ita enim intelligemus &c.* Quicunque enim non sunt inter personas, quæ in tutela vel in curatione sunt, apertum est inter eas esse, quæ neutro iure tenentur. *Theoph. hic.* Et animaduertite, quod non ex contrarijs, vt plerique falsò existimant, con-

constat hæc nostri textus argumentatio, sed ex enumeratione partium. Similem argumentationem habemus in *princ. tit. de ijs qui sui, vel alien. iur. sunt.*

c *Ac priùs dispiciamus de his, quæ in tutela sunt.* Quia tutela precedit curam, vt impubes puberem, ordinem ipsum naturæ secutus Imperator, primitus de tutelis generali tractatu disserit. *Mynsh. hic.*

Ad §. Est autem tutela.

1

Est autem (a) *tutela* (*vt Seruius definit*) *vis ac potestas in capite* (b) *libero ad tuendum eum*, (c) *qui propter ætatem se defendere nequit, iure ciuili* (d) *data ac permissa.*

a *EST autem tutela vis ac potestas &c.* Sensus est: Tutela est legitima facultas & auctoritas ad tuendum pupillum etiam inuitum. 2

b *In capite libero.* In capite libero dicitur, pro in caput liberum: hoc est, in personam sui iuris. In tutela enim esse, res est in ijs qui alieno iuri subditi sunt, inepta alienaque, sed eorum propria est qui sui iuris sunt. *Theoph. hic, & in fine princ. h. t.*

c *Ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit.* Hoc est, ad tuendum pupillum. Pupillus enim est is, qui propter ætatem se defendere nequit: quia talis ætas neque scire, neque discernere potest quid agendum, *l. Pupillus 9. ff. de acquir. vel omit. hæred.* Et quid videat, ignorat, *l. prima, circa finem C. de falsa mon.* Et per hæc verba definitionis: ad tuendum eum &c. à curatione tutela distinguitur. Tutor enim principaliter datur ad tuendum personam pupilli, qui propter ætatem se defendere nequit, vt hic, & §. *Certæ, qui testam. tut. dari poss.* Curator verò principaliter datur ad defensionem bonorum minoris, qui propter ætatem ea defendere non potest, *l. In copulandis 8. C. de nupt. iuncta l. quod si forte 14. §. vlt. ff. de solut. & liber. & l. non quasi 4. in fine ff. rem pup. sal. for.* Vel ad tuitionem bonorum maioris, qui propter aliam iustam causam, puta, propter furorem, aut prodigalitatem, sibi, rebusque suis superesse nequit, *d. l. 14. & d. l. 4.* Quidam tamen dicunt, quod curator, qui datur furioso, & similibus personis, principaliter datur personæ ad exemplum pupilli. Quæ sententia confirmatur apertè ex lege duodecim tabularum; si furiosus existit, agnatorum 3 4

torum, gentiliumque in eo, pecuniaque eius potestas esto. *Cicero ad Heren. lib. 1. & de inuent. lib. 2.*

d *Iure ciuili data ac permissa.* Per Ius Ciuile strictissima significatione lex duodecim tabularum intelligitur. Et ea lege data est tutela legitima, *princ. tit. Inst. de legit. adgnat. tut.* Permissa testamentaria §. *Permissum h. t. l. 1. ff. de testam. tut.* Vnde aliqui dicunt, quod hæc definitio ad legitimam & testamentariam tutelam tantùm pertineat, non ad datiuam, quæ ex alijs legibus descendit. *tot. tit. Inst. de Atil. tut. &c.* Sed forsitan non malè Ius ciuile in hac definitdne poterit accipi largè, ita vt per Ius Ciuile, aliæ etiam leges intelligantur, atque ità definitio ad tutelam quoque datiuam pertinebit. 1

Ad §. Tutores.

Tutores autem sunt, qui eam (a) *vim ac potestatem habent, exque* (b) *ipsa re nomen acceperunt. itaque appellantur tutores, quasi tuitores* (c) *atque defensores: sicut æditui* (d) *dicuntur, qui ædes tuentur.* 2

a *Eam vim ac potestatem.* De qua dixi in explicatione definitionis tutulæ.

b *Exque ipsa re.* Ex eo quod ab ijs agendum est. *Theoph.*

c *Quasi tuitores atque defensores.* Pupilli enim tuitio atque defensio ipsis commissa est.

d *Æditui.* Erant æditui sacerdotes qui ædes sacras curabant & & tuebantur. *Cuiac. hic.* 3

Ad §. Permissum.

Permissum (a) *est itaque parentibus, liberis impuberibus, quos in* (b) *potestate habent testamento* (c) *tutores* (d) *dare. Et hoc in filios filiasque procedit omnimodo. Nepotibus tamen, neptibusque ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in patris sui potestatem non sunt recasuri. Itaque si filius tuus mortis tuæ tempore in potestate* (e) *tua sit, nepotes ex eo non poterunt* (f) *testamento tuo tutores habere, quamuis in potestate tua fuerint: scilicet quia mortuo te, in potestatem patris sui recasuri sunt.* 4

a *Permissum est.* Lege duodecim tabularum, *l. 1. ff. d. testam. tut.*

b *Quos in potestate habent.* Sed si emancipato filio tutor à patre testamento datus fuerit, confirmandus est ex sententia præ-

præsidis sine inquisitione, vt videbimus ad §. *vlt. h. t.* Item si naturalibus liberis patres eorum in his rebus quas quocunque modo eis dederint, vel reliquerint, tutorem relinquant: debet apud competentem iudicem confirmari, *l. vlt. C. de confir. tut.* Item si mulier liberis testamento tutorem dederit, decreto prætoris, vel proconsulis ex inquisitione confirmabitur, *l. 2. ff. de confir. tut.* Et generaliter, si fuerit persona talis, quæ non potest dare tutorem: aut persona, cui non potest tutor 1
dari: tunc quod deficit, repleri à magistratu constitutiones concesserunt, & secundum mentem confirmari tutores. Et si quidem pater fuerit qui dederit tutorem, amplius nihil inquirit magistratus: sed simpliciter eum confirmat. Si autem alius quis dederit: tunc inquirit personam, si apta sit, *l. 1. ff. de confir. tut.* Si tamen prætor aliquid de tutore compertum habeat, quod ipsi patri fuit incognitum, tutorem confirmare non debet, *l. vtilitatem 10. ff. de confir. tut.* Et notate, quod pater heredi instituto filio, vel ex heredato tutorem dare potest mater 2
autem non, nisi instituto: quasi in rem potius: quàm in personam tutorem dere videatur, *l. pater 4. ff. de testam. tut.*

c *Testamento tutores dare.* Testamento datos tutores accipere debemus etiam eos, qui codicillis testamento confirmatis scripti sunt, *l. 3. ff. testam. tut.* Quod si pater filio in codicillis non confirmatis dederit tutorem: confirmandus erit à magistratu sine inquisitione, *d. l. 1. ff. de confir. tut.* Et etiam voluntas patris, qui per epistolam, aut ex imperfecto testamento tutorem dedit, in constituendis tutoribus à Iudice, ad cuius officium 3
hæc res pertinet, seruari solet, *l. 2. C. de confir. tut.*

d *Tutores.* Curator testamento non datur, datus tamen confirmatur decreto prætoris, vel præsidis §. dantur autem, de curatoribus, *l. 1. in fine ff. de confir. tut.* Vide notata ad d. §. Dantur autem.

e *In potestate tua sit.* Et nunquam exijt de potestate tua. Nàm si filium tuum, ex quo nepos tibi est in potestate, emancipaueris, & postea eum adoptaueris: Mortuo te, nepos in patris potestatem non reuertitur, *l. Si pater filium 41. ff. de adop.* Et 4
consequenter potest ex testamento tuo tutorem habere.

f *Non poterunt testamento tuo tutores habere.* Si verò filius tuus mortis tuæ tempore, aùt iam mortuus est, aùt exijt de potestate tua: tunc nepotes ex eo, quia in potestatem eius cadere non possunt, sui iuris fiunt, *princ. tut. Instit. Quib. mod. ius pot. sol.* & consequentur poterunt testamento tuo tutorem habere.

Ad

Ad §. Cum autem.

Cum autem in compluribus aliis causis postumi (a) *pro iam* (b) *natis habeantur, & in hac causa placuit non minus postumis, quàm iam natis, testamento tutores dari posse: si modò in ea causa sint, vt si viuis parentibus nascerentur, sui,* (c) *& in potestate eorum fierent.*

a *Postumi.* Postumi propriè dicuntur, qui post mortem parentis nascuntur, *l. 3. §. 1. ff. de iniusto rupto &c.*

b *Pro iam natis habeantur.* Qui in vtero sunt, in rerum natura esse intelliguntur, quoties de commodis eorum quæritur, *l. Qui in vtero 7. & l. Qui in vtero 26. ff. de stat. hom.*

c *Sui.* Postumis suis postumi alieni opponuntur. Postumus alienus est qui natus, inter suos heredes testatori futurus non est §. *Postumo, Inst. de legatis.* Contrà igitur Postumus suus est qui natus, inter suos heredes testatori futurus est. Seù palnius: 2
Postumus suus est qui si viuo patre familias natus esset, ei suus heres fuisset. Veluti filius: aut, filio de familia sublato, nepos.

Ad. §. Sed si.

Sed si (a) *emancipato filio tutor à patre testamento datus fuerit, confirmandus* (b) *est ex sententia* (c) *præsidis omnimodo, ideſt, sine* (d) *inquisitione.*

3.

Sed si emancipato &c. Si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento: necessaria est magistratus confirmatio: quoniam parentibus permissum est tantùm liberis, quos in testate habent, testamento tutores dare §. *permissum h. t.* Præferri autem hunc legitimo dubium non est: cùm pro rectè dato habeatur. *Baro hic.*

b *Confirmandus est.* Si tamen causa propter quam tutor datus videbatur in eo mutata sit, veluti si ex amico inimicus, vel ex diuite pauperior effectus sit, non est confirmandus, *l. In confirmando 8. ff. de confir. tut.* Idem est dicendum si prætor aliquid de tutore compertum habeat, quod ipsi patri fuit in cognitum, *d. l. In confirmando 8. & l. vtilitatem 10. ff. de confir. tut.* 4

c *Ex sententia præsidis.* Addit Theophilus, Prætoris vel Proconsulis.

d *Sine inquisitione*, Non disquiritur ampliùs idonea persona

sit, nec ne, *l. 1. ff. de confir. tut.* Et etiam satisdatio ei remittitur, *l. 3. ff. eodem*, Inuestigandum tamen est, an durauerit patris voluntas. Vide notata suprà In Verbo, Confirmandus est.

Qui (a) testamento tutores dari possunt.

TITVLVS XIV.

Dari autem testamento tutor potest non solùm paterfamilias sed etiam (b) *filius familias.*

a QVI *testamento &c.* Dictum est in titulo præcedenti qui possint dare & quibus dentur tutores testamentarij. nunc videndum quinam testamento tutores dari possint.

b *Sed etiam filiusfamilias.* Quia tutela publicum munus est, *princ. tit. Instit. de excusat. tut. vel cur.* & filiusfamilias in publicis causis loco patrisfamilias habetur. *l. filiusfamilias 9. ff. de ijs, qui sui vel alien. iur. sunt.* 2

Ad §. Sed & seruus.

Sed & seruus proprius, testamento cum libertate rectè tutor dari potest. Sed sciendum est, cum & sine libertate tutorem datum, tacitè libertatem directam (a) *accepisse* (b) *videri, & per hoc rectè tutorem esse. Planè si per errorem,* (c) *quasi liber, tutor datus sit, aliud dicendum est. Seruus autem alienus purè* (d) *inutiliter testamento datur tutor: sed ita, cum liber erit, vtiliter* (e) *datur. Proprius autem* (f) *seruus inutiliter eo modo tutor datur.* 3

a L*ibertatem directam.* Vel directam ex mente Iustiniani, vt hic in textu, vel fiedicommissariam iure antiquo, *l. & si non adscripta 9. C. de fideicom. libert.* Vt planè sit liberum, vt opinor, seruo vel ex *d. l. & si non adscripta*, sibi adferere fideicommissariam libertatem, vel ex hoc nostro textu directam, *arg. l. Si quis seruo 56. ff. de manumiss. testam.* Ac siquidem eligat directam, statim tutor erit: si fideicommissariam, non nisi post acceptam libertatem, & confirmationem prætoris, vel præsidis. *Cuiac. hic & Obser. lib. 18. cap. 5.* 4

b *Accepisse videri* Nàm si aliquo concesso, quæ necessariò antecedunt concessa intelliguntur, dare libertatem videtur, qui ser-

seruo proprio tutelam mandat: cum ad tutelam recipiendam libertas sit necessaria. *H. hic.*

c *Planè si per errorem, quasi liber. &c.* Hoc est, Si quis tutorem dederit filio suo seruum, quem putabat liberum esse, cum esset seruus: is neque tutor, neque liber erit, *l. Si quis tutorem 22. ff. de testam. tut.* Non erit liber, quoniam seruo, qui tutor datus fuit testamento, ex defuncti voluntate libertas debetur: in hoc autem casu, nulla huiusmodi defuncti voluntas inueniri potest. Quomodo enim? cum is eum liberum esse putauerit. *Theoph hic. Non erit tutor.* Quoniam tutela Iuris Ciuilis est. *§. Est. autem tutela Inst. de tuielis.* Et serui, quantum ad Ius Ciuile attinet, pro nullis habentur, *l. quod attinet 33. ff. dereg. Iur.* b

d *Purè inutiliter testamento tutor datur &c.* Quinimò & si purè datus sit: videtur inesse hæc conditio, cum liber erit. Potest igitur & huic fideicommissaria libertas defendi: si defuncti voluntas apertissimè non refragetur, *l. si hereditas 10. §. vlt. ff. de testam. tut. l. Et si non ascripta §. vlt. C. de fideicom. liber.* Vnde quod c dicitur: Seruum alienum purè inutiliter testamento tutorem dari: debet intelligi, quod detur inutiliter, si appareat quod testator omninò voluerit eum statim tutorem esse *Cuiac. hic in verbo, Purè. Vide Pac. leg. Concil. Ceut. 5. q. 71.*

c *Vtiliter datur.* Et fideicommissaria libertas ei data intelligitur, *l. si hereditas 10. § vlt. ff. de testam. tut. l. & si non ascripta 9. §. vlt. C. de fideicom. liber.* Videtur igitur testator heredem rogare, vt seruum illum emat, & manumittat, vt tutelam recipiat.

f *Proprius autem seruus inutiliter eo modo &c.* Proprius seruus inutiliter sub hac conditione, cum liber erit, tutor datur, quia: Quod in potestate nostra habemus, id in casum conferre non debemus. *Theoph.* d

Ad §. Furiosus.

Furiosus, vel minor vigintiquinque annis tutor testamento datus, tutor (a) *tunc erit, cum* (b) *compos mentis, aut maior* (c) *vigintiquinque annis factus fuerit.* 4

a TVtor *tunc erit &c.* Interim autem alius tutor à magistratu dandus est, *l. si quis 11. ff. de testam. tut. vel. curator, l. non solum 12. §. si libertus ff. de excus. tut.*

b *Cum compos mentis.* Intelligitur enim ita dari, cum suæ mentis esse cœperit, *l. Furiosus 11. ff. de tutelis.*

c *Aut maior vigintiquinque annis &c.* Intelligitur enim ita dari, cum minor esse desierit.

Ad §. Ad certum tempus.

Ad certum (a) *tempus, vel ex* (b) *certo tempore, vel* (c) *sub conditione, vel ante heredis institutionem posse* (d) *dari tutorem, non dubitatur.* 1

a *Ad certum tempus.* Veluti, vsque ad duos annos Titius tutor esto.

b *Vel ex certo tempore.* Veluti, post duos annos, quam mortuus ero, Mæuius tutor esto.

c *Vel sub conditione.* Vel vsque ad conditionem, *l. tutor datus 8. ff. de testam. tut.* Sub conditione, veluti, Si nauis ex Asia venerit, Gauis Tutor esto. Vsque ad conditionem, veluti, donec nauis ex Asia venerit, Sempronius Tutor esto. 2

d *Posse dari.* A testatore §. *sed & si, Inst. de Atil. tut.* Et magistratus supplebit quod in testamentaria tutela desiderabitur *d.* §. *sed & si, l. si quis sub conditione* 11. *ff. de testam. tut.* At magistratus si diem, vel conditionem adiecerit dationi tutoris, eam vitiabit, tum quia datio tutoris, quæ fit à magistratu, est actus legitimus, & actus legitimi qui recipiunt diem vel conditionem, : in totum vitiantur per temporis vel conditionis adiectionem, *l. Actus legitimi 77. ff. de reg. iur.* tum etiam quia non debet actio magistratus esse imperfecta. 3

Ad §. Certæ autem.

Certæ (a) *autem rei vel causæ tutor* (b) *dari non potest: quia* (c) *personæ, non causæ, vel rei tutor datur.*

a *Certæ autem rei vel causæ.* Veluti, Ille tutor esto in hoc fundo, aut in hac lite.

b *Tutor dari non potest.* Si tamen tutor detur rei Africanæ, vel rei Syriacæ: vtilis datio est, *l. si tamen 15. ff. de testam. tut.* Hoc est, Datio propter vtilitatem pupilli benignè sustinetur. 4

c *Quia personæ, non causæ, vel rei tutor datur.* Tutor personæ principaliter datur, rebus autem per consequentiam. Ideòque certæ rei vel causæ tutor dari non potest, vt hic in textu. Curator verò principaliter datur rebus, personæ autem per consequen-

sequentiam. Vnde Curator & ad certam rem vel causam dari potest. §. *Item inuiti, Inst. de curat.* Furio sitamen curator, aut dementis, datus personæ nihilominus videtur, quam ipsis rebus, quod agnatorum, gentiliumque non modò in eius pecunia, sed etiam in eo potestas sit lege duodecim tabularum constituta. *Cicero ad Heren. lib. 1.*

Ad §. Si quis filiabus. 1

Si quis filiabus (a) *suis, vel filijs tutores dederit, etiam postumæ vel postumo dedisse videtur: quia filij vel filiæ appellatione, & postumus & postuma continentur. Quòd si nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint? Dicendum est, vt & ipsis quoque dati videantur, si modò* (b) *liberos dixit. Cæterùm si filios,* (c) *non continebuntur: aliter enim filij, aliter nepotes appellantur. Planè si* (d) *postumis dederit, tam filij postumi, quàm cæteri* (e) *liberi continebuntur.* 2

a *Si quis filiabus suis vel filijs.* Si quis filijs suis tutores dederit, etiam filiabus dedisse videtur. Si quis verò filiabus suis tutores dederit, non etiam filijs dedisse intelligitur. Exemplo enim pessimum est, fœmineo vocabulo, etiam masculos contineri, *l. Si ita scriptum sit 46. ff. de legatis.*

b *Si modò liberos dixit.* Liberorum enim appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique qui ex his descendunt, continentur, *l. liberorum 220. ff. de verb. sig.* 3

c *Cæterùm si filios, non continebuntur.* Filiorum appellatione in hac causa nepotes non continentur, qui non nisi interpretatione benigniori voluntatis, hoc sermone comprehendi possunt, *l. liberorum ff. de verb. sig.* Quid autem opus est in tutela, à verborum significatione recedere? cùm præsertim qui testatoris prouidentia tutores non habeant, à magistratu nullo negotio tutores accipiant. *Eguin. Baro hic.*

d *Planè si postumis.* Haloander legit, posteris. Legendum est, postumis, vt in libris vulgatis: quibus etiam Florentini consentiunt, in *l. quid si nepotes 6. ff. de testam. tut.* 4

e *Cæteri liberi.* Cæteri liberi postumi.

De (a) legitima adgnatorum tutela.

TITVLVS XV.

Quibus autem (b) *testamento tutor datus non est, his ex lege* (c) *duodecim tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur* (d) *legitimi.* 1

a *DE legitima adgnatorum tutela.* Quibus testamento tutor datus non est, his ex lege duodecim tabularum adgnati sunt tutores, qui vocantur legitimi. Ideòque expeditus Imperator à testamentaria tutela, ad legitimam adgnatorum tutelam transitum facit.

b *Quibus autem testamento &c.* Intestato parente mortuo, agnatis defertur tutela, *l. Intestato 6. ff. de legit. tut.* Quis autem in hac causa decessisse dicatur ab intestato, explicatur in §. *Quòd autem lex h.t.* 2

c *Ex lege duodecim tabularum agnati sunt tutores.* Legitimos tutores nemo dat: Sed lex duodecim tabularum fecit tutores, *l. legitimos 5. ff. de legit. tut.* Legitimæ autem tutelæ agnatis lege duodecim tabularum summa prouidentia delatæ sunt: vt qui sperarent successionem, ijdem tuerentur bona, ne dilapidarentur, *l. 1. ff. de legit. tut.* Sed hodie sicut proximiores gradu ad successionem vocantur, siue sint agnati, siue cognati: ità etiam vocantur ad tutelam, dummodò tamen sint capaces exercendi munus tutelæ, *Nouella 118. cap. 5.* 3

d *Qui vocantur legitimi.* Legitimi tutores sunt, qui ex lege aliqua descendunt. Per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege duodecim tabularum introducuntur. *Vlp. in frag. tit. 11. §. Legitimi.*

Ad §. Sunt autem adgnati. 4

Sunt autem adgnati, (a) *cognati per virilis sexus cognationem coniuncti, quasi à patre* (b) *cognati: veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, nepòsue ex eo: item patruus, & patrui filius, nepòsue ex eo. At qui per fœminini sexus personas cognatione iunguntur, non sunt adgnati, sed aliàs naturali iure cognati. Itaque amitæ tuæ filius, non est tibi adgnatus, sed cognatus: & inuicem tu illi eodem iure*

iure coniungeris : quia qui ex ea nascuntur , patris , non matris , familiam (c) *sequuntur .*

a *Sunt autem adgnati &c.* Inter adgnatos , & cognatos hoc interest , quod inter genus & speciem . Nàm qui est adgnatus , & cognatus est . Non vtique autem qui cognatus est , & adgnatus est . Alterum enim ciuile , alterum naturale nomen est , *l.vlt. §.Inter adgnatos ff. de grad.* v.g. patris frater , ideſt , patruus , & adgnatus est , & cognatus : matris autem frater , ideſt 1
auunculus , cognatus est , adgnatus non est , *l. Inter adgnatos 5. ff. Vnde legitimi .*

b *Quasi à patre cognati .* Quasi per patrem cognati , *d.l.vlt.§.1. ff. de grad.*

c *Familiam .* Ideſt , adgnationem .

Ad §. Quod autem .

Quòd autem (a) *lex ab intestato vocat ad tutelam adgnatos , non hanc* 2
habet significationem , si omninò non fecerit testamentum is , qui poterat tutores dare : sed si quantum ad tutelam pertinet , intestatus decesserit , quod tunc quoque accidere intelligitur , cum is , qui datus est tutor , viuo testatore decesserit .

2 *Quòd autem lex ab intestato &c.* Intestato parente mortuo adgnatis defertur tutela . Intestatus autem videtur non tantùm is , qui testamentum non fecit , sed & is , qui 3
testamento liberis suis tutores non dedit , quantum enim ad tutelam pertinet , intestatus est . Idem dicemus , si tutor testamento datus , viuo testatore decesserit , *tex.hic , l.Intestato 6. ff.de legit. tut.* Si verò mortuo testatore decesserit is , qui iam cœperat ex testamento tutor esse , tutela ad legitimum non reuertitur , sed in locum tutoris defuncti datur alius . *Cuiac.hic .*

Ad §. Sed agnationis .

Sed agnationis quidem ius omnibus modis (a) *capitis deminutionis ple-* 4
rumque (b) *perimitur , nam adgnatio* (c) *iuris est nomen , cognationis* (d) *verò ius non omnibus* (e) *modis commutatur : quia ciuilis* (f) *ratio ciuilia quidem iura corrumpere potest , naturalia verò non vtique .*

a *Omnibus modis capitis deminutionis .* Ideſt , quauis capitis deminutione . *Theoph. hic .*

Ple-

b *Plerumque perimitur*, Quid hic facit plerumque? Nempe vt intelligamus non semper ius familiæ minima capitis deminutione perimi. Est Anastasij Constitutio, ex qua fratres emancipati ad fratrum legitimam successionem, tutelam, curationem vocantur. §.1. *infrà de success. cog. l. frater* 4. *C. de legit. tut. l. ne lucrum* 5. *C. de curat. fur.* Est Iustiniani Constitutio, ex qua & fratrum emancipatorum filij vocantur, *l. vlt. C. de legit. hered.* Est rursus alia Anastasij Constitutio, qua cautum est, vt ne- 1
iura familiæ amittant, qui Anastasiana emancipatione fuerint liberati, videlicet si ita nominatim id in Imperiali rescripto comprehensum sit, *l. si ab eo C. de legit. hared. Cuiac. hic*. Olim igitur legitima adgnatorum successio, & tutela, etiam minima capitis deminutione plerumque perimebatur. Sed Iure nouissimo proximiores gradu ad successionem & tutelam vocantur, siue sint adgnati, siue cognati. *Nouella* 118. *cap.* 5.

c *Nam adgnatio iuris est nomen*. Adgnatio enim ciuile, cognatio naturale nomen est, *l. vlt.* §. *Inter adgnatos ff. de grad.* 2

d *Cognationis verò ius*. Hoc est, Ius cognationis causa institutum. Sanè Iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt, *l. Iura sanguinis* 8. *ff. de reg. iur.*

e *Non omnibus modis*. Idest, non omni capitis deminutione. Perit enim cognationis ius maxima tantùm, & media capitis deminutione, non autem minima. §. *Quod autem, de capit. demin.* Maxima verò & media capitis deminutione iura cognationis pereunt, quia quæ iura cognationis causa instituta sunt, ea inter ciues tantùm instituta intelliguntur. Quare cùm alter 3
ex cognatis ciuis esse desinit, ius quoque cognationis in illo peremptum extinctumque est. *H. in penult. not. h. t.*

f *Quia ciuilis ratio &c.* Hoc loco mens Iustiniani est demonstrare, quòd capitis deminutio, quæ Iuris est Ciuilis, Iura adgnationis, quæ ratione quadam ciuili constituta sunt, minore negotio corrumpere potest. quàm iura cognationis, quæ naturali ratione sunt instituta.

De Capitis (a) deminutione. 4

TITVLVS XVI.

Est autem capitis deminutio, prioris status commutatio. eáque (b) tribus modis accidit. Nam aut maxima est capitis deminutio:

aut

aut minor, quam quidam mediam vocant: aut minima.

a *De capitis deminutione.* Dictum fuit in fine superioris tituli, quod adgnationis ius per capitis deminutionem plerumque perimitur. Obiter igitur nunc de capitis deminutione subijcitur. Caput significat personæ statum: deminutio mutationem. Statum autem mutare is dicitur, qui vel libertatem, vel ciuitatem, vel familiam amittit, vt in *seq. nota.* 1

b *Eaque tribus modis accidit &c.* Capitis deminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima. Tria enim sunt quæ habemus: libertatem, ciuitatem, familiam. Igitur cùm hæc omnia amittimus: hoc est, libertatem, & ciuitatem, & familiam: maximam esse capitis deminutionem. cùm verò amittimus ciuitatem, & consequenter etiam familiam, libertatem tamen retinemus: mediam esse capitis deminutionem. cùm autem, & libertas & ciuitas retinetur, familia tantùm mutatur: minimam esse capitis deminutionem constat, *l. vlt. ff. de capit. demin. tex. hic, & in §§. seq.* 2

Ad §. Maxima.

Maxima capitis deminutio est, cum aliquis simul & Ciuitatem (a) *& libertatem amittit. quod accidit in his, qui serui* (b) *pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ: vel libertis,* (c) *vt ingratis erga patronos condemnatis: vel his, qui se* (d) *ad pretium participandum venundari passi sunt.* 3

a *Et Ciuitatem, & libertatem amittit.* Et consequenter etiam familiam. *Paulus in l. vlt. ff. de capit. demin.* Cùm amittimus libertatem, & ciuitatem, & familiam: maximam esse capitis deminutionem constat.

b *Qui serui pœnæ efficiuntur.* De hac pœna dixi ad §. *Pœnæ seruus, Quib. mod. ius pot. solu.*

c *Vel libertis vt ingratis &c.* Legendum est: vel libertis, ingrati erga patronos condemnatis. Est enim vetus locutio Ingrati damnari, pro ingratitudinis: & subauditur, actione, crimine, iudicio. *H. hic.* Et ingratitudinis erga patronos condemnantur liberti etiam si leuis offensæ contraxerint culpam, *l. 2. C. de libert. & cor. lib.* 4

d *Vel his, qui se ad pretium participandum &c.* De hac re dixi ad §. *penult. de Iure personarum, in penult. & vlt. Nota.*

Ad §. Minor.

Minor, sive media capitis deminutio est, cum ciuitas (a) *quidem amittitur, libertas verò retinetur. quod accidit ei, cui aqua* (b) *& igni interdictum fuerit, vel ei,* (c) *qui in insulam deportatus est.*

a CVM *ciuitas quidem amittitur*. Et consequenter etiam familia. 1

b *Cui aqua & igni interdictum fuerit. Lactantius Firmianus Diuin. instit. lib. 2.* Exulibus quoque ignis & aqua interdici solebat. adhuc enim videbatur nefas, quamuis malos, tamen homines, supplicio capitis afficere. Interdicto igitur vsu earum rerum, quibus vita constat hominum; perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte multatus. adeò ista duo elementa prima sunt habita: vt nec ortum hominis, nec sine his vitam crediderint posse constare. Hactenus Lactantius. 2
In locum aquæ & ignis interdictionis successit deportatio, *l. 3. ff. ad leg. Iul. peculi. l. 2. §. Constat ff. de pœnis.*

c *Vel ei, qui in insulam deportatus est*. De deportatis in insulam, vide notata ad §. *Cum autem, Quib. mod. ius pot. sol.*

Ad §. Minima.

Minima capitis deminutio est, cum & ciuitas & libertas retinetur, sed (a) *status hominis commutatur. quod accidit in his, qui cum sui iuris fuerunt, cæperunt* (b) *alieno iuri subiecti esse, vel contrà.* (c) 3

a SED *status hominis commutatur. Paulus in l. vlt. ff. de capit. demin.* planiùs *locutus est*: Cùm autem, inquit, & libertas & ciuitas retinetur, familia tantùm mutatur, minimam esse capitis deminutionem constat. Vide notata ad *princ. h. t.*

b *Cæperunt alieno iuri subiecti esse*. Arrogatione, scilicet. Qui autem arrogantur, ideò minima capitis deminutione afficiuntur, quia transferuntur ex sua familia in alienam familiam. De 4
arrogatione dictum fuit suprà in *tit. de adop.*

c *Vel contrà*. Legendum est: vel contrà, si filiusfamilias emancipatus fuerit, est capite deminutus. Emancipato autem filio, capitis minutio manifestè accidit: cum emancipari nemo possit, nisi in imaginariam seruilem causam deductus, *l. 3. §. Emancipato ff. de capit. demin.* Et licèt hodie emancipationes liberorum

rum aliter fiant. §. *Prætereà, quibus mod. ius pot. fol.* tamen perinde habentur, ac si fierent secundum veterem formulam. *arg.* §. *vlt. de legit. adgnat. succeſs. Pac. hic in Analy.* vel dicamus cum H. hoc eodem loco, quod ratio cur emancipatus capite minui dicatur est quia nomine excepto, nihilo plus in patris familia iuris habet, quam extraneus, aut in adoptionem alteri familiæ traditus. Vndè & extraneorum emancipati habentur loco. §. *Emancipatos, de exhered. liber.* de emancipatione abundanter dixi ad §. *Prætereà, Quib. mod. ius pot. fol.* 1

Ad §. Seruus autem.

Seruus autem manumiſſus, capite non minuitur: quia nullum (a) *caput habuit.*

a *Nullum caput.* Nullum ius, nullum statum libertatis, ciuitatis, familiæ, *l. 3. in fine, & l. 4. & vlt. ff. de capit. demin.* 2 Vide notata ad *princ. h. t.*

Ad §. Quibus autem.

Quibus autem (a) *dignitas magis, quàm ſtatus permutatur, capite non minuuntur: & ideò Senatu motum, capite* (b) *non minui conſtat.*

a *Quibus autem dignitas magis &c.* Hoc est, quibus dignitas permutatur, non status. Particula enim magis, hoc 3 loco positiuè, non comparatiuè accipienda est.

b *Capite non minui conſtat.* Nàm Senatu motus neque libertatem, neque ciuitatem, neque familiam amittit.

Ad §. Quod autem.

Quod autem (a) *dictum eſt, manere cognationis ius etiam poſt capitis deminutionem: hoc ita eſt, ſi minima* (b) *capitis deminutio interueniat. Manet enim cognatio. Nam ſi maxima capitis deminutio currat, ius quoque* (c) *cognationis perit, vt putà ſeruitute alicuius cognati: & ne quidem,* (d) *ſi manumiſſus fuerit, recipit cognationem. Sed & ſi in inſulam* (e) *quis deportatus ſit, cognatio* (f) *ſoluitur.* 4

a *Quod autem dictum eſt.* In §. vlt. præcedentis tituli.

b *Si minima capitis deminutio interueniat.* Veluti, ſi paterfa-

milias arrogatus sit, vel contrà, si filiusfamilias emancipatus fuerit. §. *Minima. h. t.*

c *Ius quoque cognationis perit.* Hoc est, Ius cognationis causa institutum. Sanè Iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt, *l. Iura sanguinis* 8. *ff. de reg. iur.* Maxima verò capitis deminutione, vel etiam media, vt sequitur hic in textu, Iura cognationis pereunt, quia quæ iura cognationis causa instituta sunt, ea inter ciues tantùm instituta intelliguntur. Quare cùm alter ex 1
cognatis ciuis esse desinit, ius quoque cognationis in illo peremptum extinctumque est, vt dixi *ad* §. *Sed agnationis, de legit. adgnat. tut.*

d *Et ne quidem si manumissus fuerit, recipit cognationem, l. Is, qui* 7. *ff. Vnde cog. l. homo liber* 21. *ff. de stat. hom.* Recipit tamen cognationem is, qui seruus pœnæ effectus, beneficio principis fuit restitutus, *l.* 1. §. *filio ff. ad Senat. Conf. Tertyl. l.* 1. *in fine, & l.* 2. *ff. de bon. poss. cont. tab.*

e *Sed & si in insulam quis deportatus sit.* Deportatus in insulam 2
incidit in mediam capitis diminutionem, §. *minor h. t.* De deportatis in insulam dixi *ad* §. *Cùm autem, Quib. mod. ius pot. sol.*

f *Cognatio soluitur.* Soluitur ius cognationis causa institutum. Vide notata suprà. In verbo, *Ius quoque cognationis perit.*

Ad §. Cum autem.

Cùm autem (a) *ad agnatos tutela pertineat: non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantùm, qui* (b) *proximiores gradu sunt: vel si plures eiusdem gradus sunt, ad omnes* (c) *pertinet: veluti si plures* (d) *fratres sunt, qui vnum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.* 3

a *Cvm autem ad agnatos &c.* Hodie, sicut hæreditas defertur proximioribus, agnatione non inspecta, ita & tutela. *Nouella* 118. *cap.* 5.

b *Qui proximiores gradu sunt.* Veluti, est agnatus frater, est & patruus. Magis est, frater ad tutelam vocetur. *Theoph. hic.*

c *Ad omnes pertinet.* Vni tamen decerni tutela potest, *l. legitimos* 5. §. *In legitimis ff. de legit. tut.* 4

d *Veluti si plures fratres &c.* Aliàs hæc extrema clausula abest. Habet tamen bonam & consonantem sententiam.

De legitima (a) patronorum tutela.

TITVLVS XVII.

Ex eadem lege duodecim tabularum, libertorum & libertarum tutela ad patronos liberòsque eorum pertinet, quæ & ipsa legitima tutela vocatur: non quia nominatim in ea lege de hac tutela caueatur, sed 1
quia (b) *perinde accepta est per interpretationem, atque si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso, quòd hereditates libertorum libertarùmque, si intestati* (c) *decessissent, iusserat lex ad patronos liberòsue eorum pertinere: crediderunt veteres, voluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere: cum & adgnatos,* (d) *quos ad hæreditatem lex vocat, eosdem & Tutores esse iusserit; quia plerumque vbi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Ideo autem diximus: plerumque, quia* (e) *si à fœmina impubes manumittatur, ipsa ad hæreditatem vocatur, cum* (f) *alius sit tutor.* 2

a *De legitima &c.* Diximus suprà de legitima adgnatorum tutela, quæ verbis legis duodecim tabularum fuit introducta. Nunc subijcitur de legitima patronorum tutela, quæ per interpretationem eiusdem legis introducta fuit, quemadmodum eleganter hìc in textu explicatur.

b *Sed quia perinde accepta est per interpretationem Vlpianus in l. nominis 6. ff. de verb. sig.* Verbum, ex legibus, sic accipiendum est, tàm ex legum sententia, quàm ex verbis. 3

c *Si intestati decessissent.* Sine liberis. *Theoph. hic.*

d *Cùm & adgnatos, quos ad hereditatem &c.* Legitimæ tutelæ adgnatis lege duodecim tabularum summa prouidentia delatæ sunt: vt qui sperarent successionem, ijdem tuerentur bona, ne dilapidarentur, *l. 1. ff. de legit. tut.* Sed Iure nouissimo proximiores gradu ad successionem & tutelam vocantur, siue sint adgnati, siue cognati. *Nouella 118. cap. 5.*

e *Quia si à fœmina &c.* Item si à minore vigintiquinque annis impubes manumittatur, ipse minor ad hereditatem vocatur, 4
cùm alius sit tutor. Nàm Iustiniani Constitutio generaliter in omnibus tutelis obseruari præcepit, quod hi tantùm ad tutelam vocentur, qui perfectæ ætatis sunt, vt infrà *de fiduc. tut. vers. vlt. & l. vlt. C. de legit. tut.*

f *Cum alius sit tutor.* Quoniam tutorem esse, virile officium est, & alienum à fœminis. *Theoph. hic, l. 1. C. quando mul. tut. offic.*

offic.&c. Matri tamen, & auiæ liberorum tutela permittitur. *Nouella* 118. *cap.* 5.

De legitima (a) parentum tutela.

TITVLVS XVIII.

Exemplo (b) *patronorum recepta est & alia tutela, quæ & ipsa legitima* (c) *vocatur. Nam si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, & deinceps impuberes* (d) *emancipauerit, legitimus eorum* (e) *tutor erit.* 1

a DE *legitima &c.* Dictum fuit suprà de legitima patronorum tutela. Nunc subijcitur de legitima parentum tutela, quæ patronorum exemplo recepta est, *vt in princ. h. t.*

b *Exemplo patronorum &c.* Iuris Consulti parenti manumissori ad patroni exemplum manumissorum liberorum hereditatem deberi ratiocinati sunt. Et quia mens legis duodecim tabularum hæc fuit, vt qui sperarent successionis emolumentum, ijdem tutelæ onus susciperent: ob eam causam parentem manumissorem tutorem quoque liberorum manumissorum esse debere ad exemplum patroni, pronunciarunt. De hac manumissione liberorum, & successione, & tutela parentum. Vide notata suprà *ad §. præterea, Quib. mod. inf. pot. sol.* 2

c *Quæ & ipsa legitima vocatur.* Quia exemplo legitimæ tutelæ patronorum recepta est per interpretationem, scù productionem legis duodecim tabularum, vt suprà dixi. 3

d *Emancipauerit.* Et ipse eos posterior manumiserit, *princ. tit. de fiduc. tut.* Hodie semper intelligitur pater qui emancipat manumissor extitisse. §. *vlt. de legit. agnat. succeff.*

e *Legitimus eorum tutor erit.* Ex productione legis duodecim tabularum vt supra dixi. *A Vlpiano in l. 3. §. vlt. ff. de legit. tut.* Vicem legitimi tutoris sustinere dicitur. Et idem *Vlpianus in frag. tit.* 11. ait, dici eum Tutorem fiduciarium. Vnde *Cuiac. hic, & in notis ad d. tit.* 11. *Vlpiani scribit*, quod parens manumissor liberorum manumissorum est tutor fiduciarius ex contractu fiduciæ: sed moribus receptum, vt nominetur legitimus. De contractu fiduciæ vide notata supra *in tit. Quib. mod. ius pot. sol. ad §. præterea*, In verbo, *Qui quæue à parente &c.* 4

De

De fiduciaria (a) tutela.

TITVLVS XIX.

Est & alia tutela, quæ (b) *fiduciaria appellatur. Nam si parens filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes manumiserit: legitimam* (c) *nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi eius virilis sexus exiſtant: fiduciarij* (d) *tutores filiorum suorum, vel fratris, vel sororis & cæterorum efficiuntur. Atqui* (e) *patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi sunt tutores: quoniam filius quidem defuncti, si non esset à vino patre emancipatus, post obitum eius sui iuris efficeretur, nec in fratrum potestatem recideret: ideòque nec in tutelam. Libertus autem, si seruus mansisset, vtique eodem iure apud liberos domini post mortem eius futurus esset. Ita tamen hi* (f) *ad tutelam vocantur, si perfectæ* (g) *ætatis sint: quod nostra* (h) *constitutio generaliter in omnibus tutelis, & curationibus obseruari præcepit.* 1 2

a *De fiduciaria tutela.* Defuncto parente, qui filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes manumiserat, legitimamque eorum tutelam nactus fuerat, si liberi eius virilis sexus exiſtant: fiduciarij tutores filiorum suorum, vel fratris, vel sororis, & cæterorum efficiuntur. Ideò post titulum de legitima parentum tutela, subijcitur titulus de fiduciaria tutela. 3

b *Quæ fiduciaria appellatur.* Fiduciaria appellatur à fiducia diligentiæ & fidei, quam propter sanguinis coniunctionem habet lex personarum, quibus hanc defert tutelam. Non enim ob spem hereditatis, vt legitimæ tutelæ, hæc tutela defertur: sed solùm ob fiduciam diligentis custodiæ impuberis, & rectæ administrationis rerum eiusdem. Vide notata In verbo, *Fiduciarij Tutores &c. infrà. h. t.*

c *Legitimam nanciscitur eorum tutelam.* Quemadmodum suprà *tit. prox.* dictum est. 4

d *Fiduciarij tutores filiorum suorum &c.* Euenit igitur, vt non solùm frater fratri fiat tutor fiduciarius: sed etiam patruus fratris filio, & pater filio. Et frater quidem fratri hunc in modum: Duos habebam filios, alterum vigintiquinque annorum, aut etiam maioris ætatis, alterum impuberem. Cùm impuberem emancipassem, ego ei legitimus tutor eram. Me defuncto, frater

ter perfectæ ætatis, tutor ei erit fiduciarius. Patruus verò fratris filio quomodo? Filium habebam maiorem vigintiquinque annis, & nepotem neptèmue ex filio iam ante mortuo. Emancipaui hunc nepotem: dubium non est, quin ego ei fiam tutor legitimus. Post mortem igitur meam, patruus vt fiduciarius tutelam suscipiet. Pater autem filio, hunc in modum: Filium habebam maiorem vigintiquinque annis, & impuberem nepotem ex eo. Neporem emancipaui. Ego quidem vt legitimus ad tutelam vocor: sed à morte mea, pater vt fiduciarius vocabitur. *Theoph. hic.* Sed hodie, præsertim *ex Nouella* 118. pater filio, patruus fratris filio, & frater fratri ab intestato succedunt omni differentia emancipationis cessante, & consequenter ob spem hæreditatis ad tutelam quoque eorundem vocantur. Ideòque ex ratione legis duodecim tabularum & lege noua, poterunt huiusmodi tutores rectè vocari legitimi. Facit *tex. in l. frater 4. C. de legit. tut. & in l. ne lucrum 5. C. de curat. fur. ex qua l. 4.* apertè intelligitur, quod etiam fratres emancipati, & patrui hodie legitimi tutores dici possunt. Quod & ad patrem emancipatum trahi potest. 1 2

c *Atqui patrono &c.* Hoc loco hæc fit obiectio: Patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi sunt tutores: ergo parente legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi sunt tutores. Sed huius rei hæc differentiæ ratio assignatur: Quoniam filius quidem defuncti, si non esset à viuo patre emancipatus, post obitum eius sui iuris efficeretur, nec in fratrum potestatem recideret: ideòque nec in tutelam. Libertus autem si seruus mansisset, vtique eodem iure apud liberos domini post mortem eius futurus esset. Et hæc ratio quidem facit, quod frater fratri emancipato non fiat tutor legitimus vt hic *in tex.* Et etiam quod patruus fratris filio emancipato ab auo, post mortem aui non fiat tutor legitimus. Quoniam nepos quidem defuncti, si non esset à viuo auo emancipatus, post obitum eius sui iuris efficeretur, nec in patrui potestatem recideret: ideòque nec in legitimam tutelam. Sed in patre qui filij sui impuberis emancipati ab auo, post mortem aui tutelam suscipit, cessat hæc ratio. Etenim si nepos non esset à viuo auo emancipatus, post obitum eius sui iuris non efficeretur, sed in potestatem patris recideret: Et tamen nepos ab auo emancipatus, post mortem aui, non recidit in legitimam, sed in fiduciariam patris tutelam. Communis ergo ratio quare parente legitimo tutore mortuo, liberi eius legitimi non sunt 3 4

tuto-

tutores, sed fiduciarij: Patrono verò legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi sunt tutores: Vel est quia nec parens manumissor fuit tutor legitimus, sed fiduciarius, vt in fine *tit. præced. notaui*. Patronus fuit legitimus, *vt suprà in tit. de legit. pat. tut.* fuit explicatum. Vel est quia non vt liberis patroni, ità liberis emancipatoris lege debetur hæreditas, *l. 1. §. liberos ff. Si à paren. quis manumiss. sit*. Sed nouo Iure etiam liberi emancipatoris emancipato succedunt. Vnde fiduciaria tutela, legi- *l*
tima quoque hodie vocari poterit, vt dixi in præcedenti nota.

f *Ita tamen hi*. Ideſt, liberi eius, qui filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes manumiserat.

g *Si perfectæ ætatis sint*. Ideſt, ſi vigesimumquintum suæ ætatis annum impleuerint, *l. vlt. C. de legit. tut.*

h *Quod nostra constitutio. In d. l. vlt. C. de legit. tut.* De hac Constitutione vide notata infrà *in tit. de excus. tut. vel cur. ad §. Item maior.*

De Atiliano (a) tutore, & eo, qui ex lege Iulia & Titia dabatur. *2*

TITVLVS XX.

Si cui nullus (b) omninò tutor fuerat, ei dabatur in vrbe quidem Romæ à prætore vrbano, & maiore parte (c) tribunorum plebis, tutor ex lege Atilia: in prouincijs verò, à Præsidibus prouinciarum, ex lege Iulia & Titia. *3*

a *De Atiliano &c.* Si cui neque testamentarius, neque legitimus, neque fiduciarius tutor fuerat, ei dabatur in Vrbe tutor ex lege Atilia: in prouincijs ex lege Iulia & Titia vt hic in textu. Ideò post titulos præcedentes, in quibus dictum fuit de testamentaria, legitima, & fiduciaria tutela, subijcitur præsens titulus de Atiliano tutore, & eo, qui ex lege Iulia & Titia dabatur.

b *Nullus omninò*. Neque testamentarius, neque legitimus, neque fiduciarius, vt suprà. *4*

c *Et maiore parte tribunorum plebis*. Hi autem omnes decem erant. *Tdeoph. hic*. Duos enim tribunos primùm habere plebs cœpit. Deinde tres additi: Mox quinque item alij. *Fenestella lib. 2. cap. 10.*

Ad §. Sed & si.

Sed & si testamento tutor sub conditione (a) *aut ex die* (b) *certo datus fuerat: quamdiu conditio aut dies pendebat, ex eisdem legibus tutor dari* (c) *poterat. Item si purè datus fuerat: quamdiu* (d) *ex testamento nemo* (e) *heres existebat, tandiu ex eisdem legibus tutor petendus* (f) *erat, qui desinebat* (g) *esse tutor, si conditio* (h) *existeret, aut dies veniret, aut heres existeret.* 1

a *Sub conditione.* Veluti, si nauis ex Asia venerit, Gaius tutor esto.

b *Aut ex die certo.* Veluti, Post duos annos, quam mortuus ero, Mæuius tutor esto.

c *Tutor dari poterat.* Et etiam hodie dari potest, *l. si Si quis sub conditione* 11. *ff. de testam. tut.* Sed non ex eisdem legibus, §. *Sed ex his. h. t.* 2

d *Quamdiu ex testamento nemo heres existebat.* Finge extraneum heredem esse institutum, & filium esse exheredatum, tutorèmque ei purè relictum, & heredem scriptum deliberare de adeunda hereditate. *Theoph. hic.* Nec enim testamento datus tutor, tutor esse potest antequam ex testamento adita sit hereditas, cum nihil valeat ex ijs, quæ testamento scripta sunt, si nemo hereditatem adierit, *l. Si nemo* 9. *ff. de testam. tut.* Si verò impubes à patre heres institutus esset, eidemque tutor testamento datus, ipso iure sine vlla solemnitate aditionis heres esset: quippe suus & necessarius. §. *sui autem, Instit. de hered. qual & differ.* Ideoque tutela confestim testatore mortuo competeret. 3

e *Nemo.* Si verò vnus ex pluribus adierit: tutelæ statim valent: nec expectandum erit, vt omnes hereditatem adeant, *l. Si nemo* 9. *ff. de testam. tut.*

f *Petendus erat.* Et etiam hodiè petendus est, *l. Si hereditas* 10. *ff. de testam. tut.* non tamen ex eisdem legibus *d.* §. *Sed ex his. h. t.*

g *Qui desinebat esse tutor.* Et hodie desinit, *d. l. Si quis sub conditione.* 4

h *Si conditio existeret &c.* Imò & deserto testamento, & deficiente conditione desinebat esse tutor. Sed hoc casu legitimus tutor illi succedebat, *l. Idem fiet* 27. *ff. de testam. tut.* Conditione verò existente, aut die veniente, aut hereditate adita, testamentarius tutor ad tutelam accedebat, vt hic in textu.

Ad

Ad §. Ab hostibus.

Ab hostibus quoque tutore (a) *capto, ex his legibus tutor* (b) *petebatur: qui desinebat esse tutor, si is, qui captus erat, in ciuitatem reuersus fuerat. Nàm reuersus,* (c) *recipiebat tutelam iure postliminij.*

a *Tutore.* Testamentario, vel legitimo. 1

b *Tutor petebatur.* Et etiam hodie petitur, *l.1.§.si apud.ff.de legit.tut.* Sed non ex his legibus. Vide notata *in princ.seq.§.*

c *Nam reuersus recipiebat tutelam &c.* Et etiam hodie reuersus recipit tutelam. Quia ij, qui ab hostibus capti sunt, si reuersi fuerint: omnia pristina iura recipiunt iure postliminij. §. *Si ab hostibus, Quib.mod.ius pot.sol.*

Ad §. Sed ex his.

2

Sed ex his (a) *legibus tutores pupillis defierunt dari, postea quam* (b) *primò Consules pupillis vtriusque sexus tutores* (c) *ex inquisitione dare cœperunt, deinde* (d) *prætores ex Constitutionibus. Nàm supradictis legibus neque* (e) *de cautione à tutoribus exigenda, rem saluam pupillis fore: neque de compellendis* (f) *tutoribus ad tutelæ administrationem, quidquam cauebatur.*

a *Sed ex his legibus &c.* Atilia scilicet, Iulia & Titia: *vt in princ. h.t.* Est tamen notandum, quòd licèt ex his legibus tutores pupillis desierint dari: nihilominus in ijsdem casibus, in quibus olim tutori datiuo locus erat, etiam hodie eidem locus est. Et ijsdem modis, quibus tutor datiuus, olim tutor esse desinebat, hodie quoque esse desinit. Quare, hodierno etiam iure, si cui nullus omninò tutor sit, ei datur à magistratu. Sed & si testamento tutor sub conditione, aut ex die certo datus sit, vel purè, sed effectus testamenti pendeat, nemine adhuc hereditatem adeunte, vel si sit tutor ab hostibus captus, à magistratu tutor datur, qui desinit esse tutor conditione existente, 4 vel die veniente: aut hereditate adita, vel captiuo in ciuitatem reuerso. 3

b *Posteà quàm primo Consules.* Ex Constitutione Claudij Cæsaris. *Suet.in Claud.Cæs.* Sanxit, inquit, vt pupillis extra ordinem tutores à Consulibus darentur.

c *Tutores ex inquisitione dare cœperunt.* Hoc est, inquirentes, an

hi qui tutores erant dandi locupletes essent, an honestam frugique vitam ducerent, an denique alienis bonis administrandis sufficerent, *Theoph.hic.*

d *Deinde Prætores.* Prætor tutelaris primùm à M. Antonino philosopho creatus fuit, quemadmodum Iulius Capitolinus scribit in M.Antonino philosopho. Prætorem, inquit, tutelarem primus fecit, cùm antè à Consulibus poscerentur.

e *Neque de cautione &c.* Ex Constitutionibus tutores pignoribus captis cauere coercentur. §. *penul.de satisd.tut. vel cur.* 1

f *Neque de compellendis &c.* Ex Constitutionibus tutores ad tutelæ administrationem extra ordinem compelluntur, *l.* 1. *ff. de admin.& peric.tut.l.*3.*C.de suspect.tut.*

Ad §. Sed hoc Iure.

Sed hoc iure (a) *vtimur, vt Romæ quidem præfectus vrbi, vel prætor, secundùm* (b) *suam iurisdictionem: in prouincijs autem præsides ex* (c) *inquisitione tutores crearent, vel magistratus* (d) *iussu præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates.* 2

a *Sed hoc iure vtimur.* Significat hæc locutio, Ius hoc moribus & consuetudine institutum fuisse. Vide *Vacon. à Vacun. Declar.Iur.lib.*6.*Declar.*79.*num.*11.

b *Secundùm suam iurisdictionem.* Præfectus Vrbi illustrium & clarissimorum filijs, *vt l.* 1. *C. de tut. vel cur. illust.* Prætor cæteris. *Cuiac.hic.* Tutoris tamen datio neque imperij est, neque iurisdictionis: sed ei soli competit cui nominatim hoc dedit vel lex vel Senatus Consultum, vel Princeps, *l.Muto* 6. §. *Tutoris datio, ff.de tutelis.* Vnde etiam fit, quod alteri mandari non potest. *per regulam l.l.*1.*ff.de offic. eius &c.* Vide *Nicol. Bellon. Supput. Iur. lib.*1.*cap.*2.*& Vacon.à Vacun.Declar.Iur.lib.*6.*Declar.*79.*num.*11. 3

c *Ex inquisitione.* In quibus potissimum versetur inquisitio, dixi in præced.§.In verbo, *Tutores ex inquisitione.* Adde *Tex. in l.scire oportet* 21.*in fine ff.de Tut.& cur.dat.&c.*

d *Vel Magistratus iussu præditum.* Magistratus scilicet municipales. Magistratus tamen hanc facultatem dandi tatores non habent à præside, sed à lege, seù consuetudine sibi tributam, hoc pacto vt sine præsidis præcepto ea vti non possint. Vide *Vacon. à Vacun.loc suprà cit.* Et animaduertite, quod hoc hodie correctum est vt sequitur in proximo §. 4

Ad

Ad §. Nos autem.

Nos autem per Constitutionem (a) *nostram huiusmodi difficultates hominum resecantes, nec expectata tussione præsidium, disposuimus, si facultates pupilli, vel adulti vsque ad quingentos* (b) *solidos valeant: defensores* (c) *ciuitatum vnà cum eiusdem ciuitatis religiosissimo antistite, vel alias publicas personas, ideſt, magistratus, vel iuridicum* 1 (d) *Alexandrinæ ciuitatis, tutores, vel curatores creare: legitima* (e) *cautela secundum eiusdem constitutionis normam præstandâ, videlicet eorum* (f) *periculo, qui eam accipiunt.*

a *Nos autem per constitutionem nostram &c.* Ex ipsa Constitutione, quæ est *l. Sancimus in curationibus* 30. *C. de Episcop. aud.* constat debere defensores ciuitatum, Magistratus municipales, vel Iuridicum Alexandrinæ ciuitatis, tutores, vel curatores creare, vnà cum Episcopo ciuitatis, aut cum alijs publicis per- 2 sonis, si harum copiam habeat ciuitas. Vnde sequitur lecturam huius nostri textus deprauatam esse. Iustinianus autem in dicta Constitutione Publicas Personas vocat eos, qui quolibet officio publico in ciuitate funguntur.

b *Vsque ad quingentos solidos.* Quòd si valeat vltrà, à præsidibus dabitur tutor. *Cuiac. hic.* Et horum solidorum septuaginta duo implent libram, *l. quotiescumque* 5. *C. de suscep toribus propositis &c. lib.* 10. Solidi autem, seù aurei, qui hodie sunt in vsu, minoris sunt æstimationis, cum nonaginta sex ex eis libra contineat. 3 Videtur tamen, aureum, quo hodie vtimur, ex generali omnium populorum consuetudine, esse veteri illi subrogatum, & ideo quæ de solido in iure ciuili cauta sunt, ad nostrum hunc, quamuis leuioris sit ponderis, referenda *Alciatus in l. hæc enunciatio* 232. *ff. de verb. sign.*

c *Defensores ciuitatum.* Defensores ciuitatum in ciuitatibus Magistratus sunt vice præsidum. De officio, & iurisdictione eorum. Vide *Cuiac. in Nouella* 15.

d *Vel Iuridicum Alexandrinæ Ciuitatis.* Iuridicus Alexandriæ di- 4 cebatur, qui Alexandriæ iuri dicundo tàm præerat, quàm Prætor Vrbanus Romæ. H. *In descrip. Magist. Rom.* In verbo, *Iuridicus Alexandriæ. Et in ff. & C. habemus specialem titulum De officio Iuridici Alexandriæ.*

e *Legitima cautela.* Hoc est, fideiussore secundùm mensuram facultatum dato, vt in supradicta Iustiniani Constitutione.

Eo-

f *Eorum periculo &c.* Periculo scilicèt dictarum personarum, quæ pupillis, vel adultis quingentarijs tutores, vel curatores vt suprà constituunt. Datur enim fideiussor secundum earumdem personarum iudicium, *d. l. Sancimus in curationibus 30. C. de episcop.aud. Vide infrà ad §. sciendum autem, de satisdat. tut. vel. cur.*

Ad §. Impuberes autem. 1

Impuberes autem in tutela esse, naturali (a) iuri conueniens est: vt is, qui perfectæ (b) ætates non est, alterius (c) tutela regatur.

a *Naturali iuri conueniens est.* Tutela quidem Iure Ciuili data ac permissa est. §. *Est autem de tutelis.* Sed tamen naturali iure id suadente.

b *Vt is, qui perfectæ ætatis non est.* Hoc loco perfecta ætas est pubertas. Propriè tamen perfecta ætas dicitur anno vigesimo- 2
quinto impleto, *l. 1. ff. de minor. vigintiquin. an. l. vlt. C. in quib. cauſ. in integ. reſt. &c.*

c *Alterius tutela regatur.* Ineuntis enim ætatis insscitia, senum prudentia constituenda, & regenda est. *Cicero de Officijs lib. 1.*

Ad §. Cum ergo. 3

Cum ergo pupillorum pupillarumque tutores negotia gerant, post (a) pubertatem tutelæ iudicio (b) rationem reddunt.

a *Post pubertatem.* Nisi finita tutela sit, tutelæ agi non potest, *l. nisi finita 4. ff. de tut. & rat. dist.* Finitur tamen non solùm pubertate, sed etiam alijs modis, de quibus infrà *in tit. quib. mod. tut. fin.*

b *Tutelæ iudicio rationem reddunt.* Finita tutela, non tantùm pupillus cum tutore habet tutelæ actionem directam, vt tutor tutelæ gestæ rationem reddat, sed etiam ex contrario tutor cum pubillo habet contrariam tutelæ, si vel impenderit ali- 4
quid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligauerit §. *Tutores quoque, Inſt. de oblig. quasi ex contrac.*

De auctoritate (a) tutorum.

TITVLVS XXI.

Auctoritas (b) *autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria, vt ecce si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas, quod si alijs pupilli promittant,* 1
necessaria est. Namque (c) *placuit meliorem quidem suam conditionem licere eis facere, etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem verò non aliter, quàm tutoris auctoritate. Vnde in his causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, vt in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis: si tutoris auctoritas non interueniat: ipsi quidem, qui cum his contrahunt,* (d) *obligarunt: at inuicem pupilli* (e) *non obligantur.*

a *De auctoritate tutorum.* Tutores, aut pupillorum negotia 2
gerunt, aut pupillis gerentibus auctoritatem accomodant. *Vlp. in frag. tit. de tutelis §. pupillorum.* De primo capite loquutus est Imperator *in fine tit. præced.* vbi docuit tutores tutela finita, administrationis suæ rationem reddere debere: nunc de secundo capite subnectit.

b *Auctoritas autem tutoris.* Tutoris auctoritas est approbatio eius quod agitur cum pupillo. *Cuiac. in Paratit. ff. in tit. de auct. & consen. tut. facit l. 3. ff. eodem.*

c *Namque placuit meliorem quidem &c. Martianus in l. pupillus* 11 3
ff. de acquir. rer. dom. Pupillus (quantum ad acquirendum) non indiget tutoris auctoritate: alienare verò nullam rem potest, nisi præsente tutore auctore.

d *Ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur.* Sed quod pupilli possint alium sibi obligare, etiam sine tutoris auctoritate, vtique de ijs verum est, qui iam aliquem intellectum habent: Nam infans & qui infanti proximus est, non multum à furioso distant: quia huius ætatis pupilli nullum habent intellectum. Sed in proximis infanti, propter vtilitatem eorum benignior 4
iuris interpretatio facta est: vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi §. *Sed quod diximus, Iust. de Inutil. stip.* Si tamen pupillus agat ex contractu, ex quo cum alterius iactura fieret locupletior, doli mali exceptione submoueri potest. Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, *l. nam hoc natura* 14. *ff. de condic. indeb.*

e *At inuicem pupilli non obligantur*. Pupillus sine tutoris auctoritate non obligatur ciuiliter. Tractemus an obligetur naturaliter. Sunt loci, quibus ostenditur pupillum sine tutore suo non obligari naturaliter, *l.pupillus 58.ff.de act. & oblig.l.quod pupillus 41.ff.de condic.indeb.* Sunt quibus ostenditur pupillum sine tutore obligari naturaliter, *l. 1.ff.de nouat. l.si eius pupilli 64.ff.ad Senat. Conf.Trebel.l. si pupillus 21. ff. ad leg. Falc.* Quod dissidium ita componi debet, vt si non fiat locupletior, non obligetur naturaliter, sin verò fiat locupletior, obligetur, *l.naturaliter 13.§.vlt.& l.seq.ff. de condic. indeb.* Et ex hac naturali obligatione, vtilis actio in pupillum datur ex rescriptio Diui Pij, *l.Pupillus 5.ff. de auct. tut. l.3.ff.commodati, l.3. §.pupillus ff.de neg.gest. Cuiac. ad l. si pupillus 127.ff. de verb. oblig.* Vbi de hac re plenius. Item pupillus, vbi ex re actio venit, obligatur etiam sine tutoris auctoritate: veluti si communem fundum habeo cum pupillo, & aliquid in eum impendero, vel damnum in eo pupillus dederit: Nàm iudicio communi diuidundo obligabitur, *l. Furiosus 45.ff.de act. & oblig.* 1 2

Ad §. Neque tamen.

Neque tamen hereditatem (a) *adire, neque bonorum possessionem* (b) *petere, neque hereditatem* (c) *ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate, quamuis illis* (d) *lucrosa sit, nec* (e) *vllum damnum habeat.*

3

a NEque tamen hereditatem adire. Et si pupilli meliorem suam conditionem facere possint, etiam sine tutoris auctoritate, vt suprà diximus, tamen hereditatem adire non possunt aliter, quàm tutore auctore. Et ratio est, quia hereditas obligat nos æri alieno: at pupilli sine tutoris auctoritate obligari non possunt, *l.more 8.ff.de acquir. vel omit. hered.* Loquimur autem de hereditate extranei. Nàm in suis heredibus aditio non est necessaria: quia statim ipso iure heredes existunt, *l. in suis ff.de suis & legit.hered.& d.l.more 8.* Ratio verò differentiæ quare pupillus, contrahendo sine tuturis auctoritate, possit contrahentes sibi obligare quamuis ipse illis non obligetur: hereditatem verò acquirere non possit pupillus, quin eius onera subeat: ea est, quoniam contrahenti cum pupillo imputari potest, quod cum eo sine tutore contraxerit: creditoribus autem hereditarijs non potest imputari, cur hereditas ad pupillum, 4

cum

cum quo non contraxerunt, peruenerit. Pacius hic in Analy.

b Neque bonorum possessionem petere. Nam & qui bonorum possessionem agnoscunt, obligant se æri alieno, & legatarijs.

c *Neque hereditatem ex fideicommisso suscipere.* Nàm & qui hereditatem ex fideicommisso suscipiunt, obligant se pro dodrante æri alieno, & legatarijs.

d *Quamuis illis lucrosa sit, nec vllum &c.* Etiam si casus accidere 1
possit, in quo hereditas opulenta sit, nullùmque æs alienum habeat, neque tamen eam adire possunt pupilli sine auctoritate tutoris. Primùm, quia pupillorum additionem siue auctoritate tutoris, infirmat in vniuersum Ius Ciuile, spectando potiùs generalem naturam hereditatis, quàm contigentiàm casualem, *Arg. l. nam ad ea 5. ff. de legibus*. Deinde, quia in ijs, quæ animi iudicio fiunt, tutoris auctoritas necessaria est, *l. pupillus 150. ff. de reg. iur.* Hereditas autem quamuis lucrosa sit, nec
a vllum damnum habeat, adiri sine animi iudicio non potest. 2
Nam aditio animi est & consilij potiùs quàm facti, sicut pro herede gestio, *l. pro herede 20. in princ. ff. de acquir. vel omit. hered.*

c *Nec vllum damnum habeat.* Sic legitur apud Gaium *in l. obligari 9. §. hereditatem adire ff. de auct. & consens. tut. & etiam apud Theoph. hic.* Vulgò verò scribunt, ne vllum damnum habeant, aduersus Imperatoris sententiam. *Anton. August. Emend. lib. 3. cap. 7. circa finem.*

Ad §. tutor autem. 3

Tutor autem statim (a) *in ipso negotio præsens debet* (b) *auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimauerit: post tempus verò, aut per epistolam interposita auctoritas, nihil* (c) *agit.*

a *Statim in ipso negotio. Sed Vlpianus in l. si quis mihi bona 25. §. Iussum ff. de acquir. vel amit. hered.* ait, tutoris auctoritatem interponi perfecto negotio. Dicamus igitur, quod vel in ipso articulo negotij, vel statim atque peractum est negotium, 4
tutor præsens debet auctor fieri. Nam quod fit statim perfecto negotio in ipso articulo negotij factum videtur. *Facit l. 1. in fine ff. de solut. Cuiac. hic.*

b *Debet auctor fieri.* Hoc est, dicere debet se probare id, quod agitur, *l. 3. ff. de auct. & consen. tut.*

c *Nihil agit.* Nulla enim differentia est, non interueniat auctori-

ctoritas tutoris, an perperam adhibeatur, *l.2. ff.de auct. & consen. tut.*

Ad §. Si inter.

Si inter tuterem pupilli hanc iudicium (a) agendum sit. quia ipse tutor (b) in re sua auctor esse non potest, non prætorius (c) tutor, vt olim constituitur, sed curator in locum eius datur, quo intercedente, iudicium peragitur, & eo peracto, curator esse desinit. 1

a IVdicium agendum sit. Alijs tamen de rebus, quam de tutelæ aeministratione: Quia, nisi finita tutela sit, tutelæ agi non potest, *l.nisi finita 4.ff. de tut.& rat.dist.*

b *Tutor in re sua auctor esse non potest.* Regula Iuris Ciuilis est, Tutorem in rem suam auctorem fieri non posse, *l.1.ff.de auct.& conf. tut.* In rem suam, hoc est, ad suam vtilitatem. Hæc regula tunc procedit, cùm auctoritas rem tutoris principaliter concernit. Secùs est, cùm per consequentiam ad tutorem emolumentum pertinet B. hic Ideòque potest tutor proprij sui debitoris hereditatem adeunti pupillo auctoritatem accommodare: quamuis per hoc debitor eius efficiatur. Prima enim ratio auctoritatis ea est, vt heres fiat: per consequentias contingit, vt debitum subeat. *d.l.1.ff.de auct.& conf.tut.* 2

c *Non prætorius tutor, vt olim &c.* Etsi regula sit Iuris ciuilis, Tutorem habenti, tutorem dari non posse, *l.idem fiet 27. ff.de testam.tut.* Et item altera, Certæ rei; vel causæ, tutorem dari non posse *§.certæ autem Inst.qui testam.tut.dar.poss.* Moribus tamen introductum est, vt tutor detur pupillo, qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, vt auctore eo agat, qui prætorianus tutor dicitur, quia à prætore vrbis dari consueuit. *Vlpian.in frag.tit.11.§.moribus.* Et hi mores hunc colorem iuris habent quoniam olim iudicia erant ordinaria *princ.tit. Inst.de succes.sublat.* Ideſt, solemni more, & certis præscriptisque formulis exercebantur. Ad ea verò, quæ solemnitatem iuris desiderant explicanda, tutore pupillus indiget, neque curatoris auctoritas ei sufficit, *l.curatorem 19.ff.de auct.& conf.tut.* Postea cum solemnitas iudiciorum in vsu esse desijsset, cœpissentque extraordinaria esse iudicia, *d.princ. tit.Inst. de succes.sublat.* cœpit curator dari pupillo, si inter eum & tutorem iudicium agendum esset. *tex.hic, l.3. §.si pupillus ff.de tutelis, l. prima C.de in lit.dan.tut, Cuiac.hic.* Sed Iure nouissimo, qui vel 3 4

debi-

debitor est pupilli, vel creditor, ad tutelam eius prohibetur accedere. *Nouella 72.* Nisi esset mater, vel auia. *Nouella 94.* quæ licèt loquatur solùm de matre, trahitur tamen ad auiam. *Cuiac. in eadem Nouella.* Et si quis iam tutelam gerens factus sit pupilli debitor, aut creditor, ei adiungitur tutor, aut curator, *d.nouella 72.cap.2.* Si tamen tutor, qui pupilli debitor aut creditor factus est, contutorem habeat, non erit opus ipsi tutori curatorem adiungere: nàm etiam his, contutore auctore, peragi poterit, *l.si pluries 24. ff.de testam. tut. & d. l.1.C.de in lit.dan.tut.* Et litem hic intelligimus, quæ sit de alijs rebus, quam de tutelæ administratione: Quia, nisi finita tutela sit, tutelę agi non potest, vt dixi ad *princ. huius* §.

Quibus modis (*a*) tutela finitur.

TITVLVS XXII.

Pupilli, (b) *pupillæque, cum puberes esse cæperint, tutela* (c) *liberantur. Pubertatem* (d) *autem veteres quidem non solùm ex annis, sed etiam ex habitu*(e)*corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum bene putauit, quod in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est, ideòque, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculis extendere. Et ideò Sancta Constitutione* (f) *promulgata, pubertatem in masculis, post quartum decimum annum completum, illico initium accipere disposuimus: antiquitatis normam in fœminis benè positam, suo ordine relinquentes, vt post duodecimum* (g) *annum completum* (h) *viri potentes* (i) *esse credantur.*

a *Quibus modis &c.* Hactenus dictum est quemadmodum tutela constituatur, & quos effectus posteà producat. Dicamus nunc quomodo ea soluatur. Quod enim aliquo modo constitutum est hoc, & aliquo modo soluitur. *Theoph.*

b *Pupillæque.* Fœminæ olim pubertate tutela non liberabantur. *Vlp.infrag. tit.11. in princ. & fin.* Liberabantur tamen conuentione in manum. *Cuiac.ad d. tit. 11. Vlpiani in fine.*

c *Tutela liberantur.* Debet tamen tutor pupillum suum puberem factum admonere, vt sibi curatores petat: aliàs tutelæ iudicio tenetur: quasi connexum sit hoc tutelæ officio, quam-

uis post pubertatem admittatur, *l. Ita autem* 5. *§. si tutor ff. de admin. & peric. tut.*

d *Pubertatem autem veteres &c.* In definienda masculorum pubertate veteres variarunt. Puberem Cassiani eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, ideſt, qui generare potest: Proculei autem, eum qui quatuordecim annos expleuit: Verùm Priscus eum puberem esse, in quem vtrumque concurrit, & habitus corporis, & numerus annorum. *Vlp. in frag. tit.* 11. *§. vlt.* 1

c *Ex habitu corporis.* Per habitum corporis, non intelligas inhonestam aliquam corporis inspectionem, vt sibi suòque Iustiniano persuasit Tribonianus: sed vniuersi corporis formam, figuram, ac dispositionem, quæ satis ad liberorum procreationem facilè videri cuiuis potest idonea. Plato quidem *lib.* 11. *de leg.* scripsit conuenientiam ætatis ad nuptias, per quamdam corporum turpem inspectionem definiri. Sed non est verisimile tantam apud Romanos turpitudinem vnquàm in vsu fuisse. Vide *Iacob. Reuard. Varior. lib. 4. cap.* 10. 2

f *Constitutione. In l. vlt. C. quando tut. vel curat. esse def.*

g *Vt post duodecimum annum.* Celerior enim est cursus fœminarum vt prudentiæ & potentiæ sic etiam pubertatis. *Cuiac. ad princ. tit. Inst. de nup.* In verbo, *viri potentes.*

h *Compleuisse.* Compleuisse non videntur, nisi excesserint fœminæ annum duodecimum, vel masculi decimum quartum, *d. l. vlt. C. Quando tut. vel cur. esse def.*

i *Viri potentes esse credantur.* Itaque Pomponius scribit Minorem annis duodecim nuptam, tunc legitimam vxorem esse, cum apud virum expleſſet duodecim annos, *l. minorem* 4. *ff. de rit. nup.* Sed Iure Canonico fœminæ etiam ante annum duodecimum, & masculi ante decimum quartum, quoad matrimonium contrahendum, puberes sunt, si ex habitu corporis pubertatem ostendunt, & generare iam possiunt, *cap. puberes, de desponſ. impub.* 3

Ad §. Item finitur.

4

Item finitur tutela, si adrogati (a) *sint adhuc impuberes, vel deportati:* (b) *Item si in seruitutem* (c) *pupillus redigatur vt ingratus à patrono, vel ab hostibus* (d) *fuerit captus.*

a *Si adrogati sint adhuc impuberes.* Pupilli arrogatione finitur tutela, quoniam arrogatus transit in potestatem arrogantis, &

& consequenter filiusfamilias factus, in tutela esse non potest. *princ. tit. Inst. de tutelis.*

b *Vel deportati.* Nàm aliquando ij, qui proximi sunt pubertati, tale aliquid admittunt, ob quod in pœnam hanc incidant; *Theoph. hic.* Deportatione autem pupillorum finitur tutela, quoniam tunc ciuiliter moriuntur, *l. verum est* 64. *§. penult. ff. pro socio.* Et etiam moriuntur ciuiliter seruitute, & captiuitate, de quibus sequitur hic in textu. 1

c *Item si in seruitutem pupillus redigatur, vt ingratus à patrono.* Aliquando enim ij, qui proximi sunt pubertati, adeò ingrati sunt aduersus patronos suos, vt in seruitutem redigantur. 2

d *Vel ab hostibus fuerit captus.* Sed si pupillus ab hostibus reuertatur, pristina tutela restituitur. Quia postliminium omnia restituit in pristinum statum. *Cuiac. hic.* Tempore verò captiuitatis curator bonis constituitur, *l. Ab hostibus* 15. *in princ. ff. ex quib. caus. maior.*

2

Ad §. Sed etsi.

Sed etsi vsque (a) *ad certam conditionem datus sit tutor testamento,* (b) *quæ euenit, vt desinat* (c) *esse tutor, existente conditione.*

a *Vsque ad certam conditionem.* Veluti, Tutor esto, donec nauis ex Asia venerit. *Theop. hic.*

b *Testamento.* Testamento dixit, quoniam magistratus purè tantùm potest tutorem dare. Vide suprà ad §. *Ad certum tempus,* 3 in verbo, *posse dari, qui testam. tut. dar. poss.*

c *Vt desinat esse tutor.* Et legitimæ tutelæ locus est. *Cuiac. ad hanc nostram rubricam.*

Ad §. Simili modo.

Simili modo finitur tutela morte (a) *vel pupillorum, vel tutorum.* (b)

a *Morte.* Mors enim omnia soluit. *A. de nuptijs cap.* 2. §. *Deinceps.* 4

b *Vel tutorum.* Tutore mortuo, quibus modis finitæ tutelæ succedatur, vel prouideatur, notat *Cuiac. ad hanc nostram Rub.*

Ad

Ad §. Sed & capitis.

Sed & (a) capitis deminutione tutoris, per quam libertas vel ciuitas eius amittitur, omnis tutela perit. Minima autem capitis deminutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, legitima (b) tantùm tutela perit: cæteræ (c) non pereunt. Sed pupilli pupillæue capitis deminutio, licet minima (d) sit, omnes tutelas tollit. 1

a *SED & capitis &c.* Omnis tutela perit maxima, vel media capitis deminutione tutoris. Tunc enim tutor ciuiliter moritur, *l. Verum est 64. §. Intereunt, penult. ff. pro socio.* Et si tutor testamentarius capite minutus sit, ad agnatum tutela reuertitur, vel si legitimus, ad sequentem gradum, nisi hoc vni ex pluribus tutoribus acciderit. *Cuiac. ad hanc Rub.*

b *Legitima tantùm tutela perit.* Legitima agnatorum tutela, minima capitis deminutione perit, quia minima capitis deminutione ius agnationis perimitur. *§. vlt. de lege agnat. tut.* Vbi de hac re plenè dixi. Legitima verò tutela patronorum, minima capitis deminutione non perit, quia nec ius patronatus perit. *Vlp. in frag. tit. 11. §. Excepta, & ibi Cuiac.* 2

c *Cæteræ non pereunt.* Quia non solùm paterfamilias, sed etiam filiusfamilias tutor esse potest, *princip. tit. Qui testam. tut. dar. poss.*

d *Licet minima sit &c.* Pupilli arrogatione finitur omnis tutela, quoniam arrogatus transit in potestatem arrogantis, & consequenter filiusfamilias factus, in tutela esse non potest, vt dixi ad §. *Item finitur. h. t.* 3

Ad §. Præterea.

Præterea qui ad certum (a) tempus testamento (b) dantur tutores, finito eo, deponunt (c) tutelam.

a *AD certum tempus.* Veluti, vsque ad duos annos. 4

b *Testamento.* Testamento dixit, quia magistratus non potest dare tutorem nisi purè, vt dixi ad §. *Sed etsi, hoc tit.*

c *Deponunt tutelam.* Et legitimæ tutelæ locus est.

Ad §. Desinunt etiam.

Desinunt (a) *etiam tutores esse, qui vel remouentur à tutela ob id, quod suspecti visi sunt, vel qui ex iusta causa sese* (b) *excusant, & onus administrandæ tutelæ deponunt secundùm ea, quæ inferiùs* (c) *proponemus.*

a *Desinunt etiam tutores esse &c.* Et in locum eorum tutores alij dantur. *Vlp. in frag. tit.* 11. §. *Hoc amplius, l. Si quis sub conditione* 11. *ff. de testam. tut. l.* 3. §. *Quæri potest ff. de legit. tut.*

b *Sese excusant.* In perpetuum, non ad tempus. §. *penult. de Curat. l. nec ille* 16. *ff. de tut. & curat. datis &c.*

c *Inferiùs. In tit. penult. & vlt. huius libri.*

De (a) Curatoribus.

TITVLVS XXIII.

Masculi (b) *puberes, & fœminæ viri potentes, vsque ad vigesimum quintum annum completum* (c) *curatores* (d) *accipiunt: quia licet puberes sint, adhuc tamen eius ætatis sunt, vt sua* (c) *negotia tueri non possint.*

a *De Curatoribus.* Finita tutela pubertate pupilli, ad curatores administratio rerum minoris incipit pertinere: meritò, expositâ tutelâ, sequitur vt de Curatoribus differamus. Rectiùs tamen inscribitur hæc Rubrica, de Curationibus, vt suprà de Tutelis. *Cuiac. hic. Et Gaius in suis Institutionibus lib.* 1. *tit.* 8. hanc Rubricam inscripsit, de Curationibus. Est autem Curatio, seù Cura, potestas administrandi bona illius, qui propter ætatem, vel mentis, aut corporis impedimentum præesse rebus suis non potest. Vide notata ad §. *Est autem tutelæ, de tutelis*, in verbo, *ad tuendum eum &c.*

b *Masculi puberes, & fœminæ viri potentes.* Pubertas in masculis, post decimum quartum annum completum illicò initium accipit. Fœminæ post duodecimum annum completum viri potentes esse creduntur, *princ. tit. Quibus modis tut. fin.* vbi de hac re plenè dixi.

c *Completum*, Ità vt à momento in momentum tempus spectetur

ctetur. *l.3. §.Minorem ff. de minor. vigintiquin. ann.*

d *Curatores accipiunt.* Ex Constitutione D.Marci, auctore Iulio Capitolino in Marco. De curatoribus, inquit, cùm antè non nisi ex Lege Lectoria vel propter lasciuiam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, vt omnes adulti curatores acciperent non redditis causis.

c *Vt sua negotia.* Curatores enim, qui dantur puberibus, principaliter dantur rebus & negotijs, *l.In copulandis 8. C.de nuptijs.* 1

Ad §. Dantur autem.

Dantur autem curatores ab ijsdem (a) *magistratibus, à quibus & tutores: sed curator* (b) *testamento non datur, sed datus* (c) *confirmatur decreto prætoris,* (d) *vel præsidis.*

a *AB ijsdem magistratibus &c.* Qui verò sint hi magistratus, diximus supra in *tit. de Atil. tut.* 2

b *Sed curator testamento non datur.* Ne à patre quidem, qui filium habet in potestate, quia nulla id lege nominatim permittitur.

c *Sed datus confirmatur.* Voluntas enim patris in constituendis curatoribus ab eo, qui præest, seruari solet, *l.1. in fine ff.de confir. tut. l.2. C. eodem.*

d *Decreto Prætoris, vel Præsidis.* Decreto Prætoris Romæ, vel Præsidis in Prouincijs.

Ad §. Item inuiti. 3

Item inuiti (a) *adolescentes, curatores non accipiunt, præterquam* (b) *in litem. curator enim* (c) *& ad certam causam dari potest.*

a *ITem inuiti adolescentes &c.* Quod tamen ita verum est, siquidem à rerum suarum administratione liberiore abstinere velint, vel tanta eorum solitudo non sit, vt moderatoribus omnibus sint destituti. *H. hic.* Pupilli verò, etiam inuiti, accipiunt tutores, *l.necnon 6. ff.de tut. & cur.dat. &c.* 4

b *Præterquam in litem.* Adultus enim curatore consentiente litem & intendere & excipere debet, *l.2.C. Qui leg.pers.tand.in iud.*

c *Curator enim & ad certam causam &c.* Certæ autem rei, vel causæ tutor dari non potest. §. *Certæ autem. Qui test. tut. dar. poss.* Vbi dixi de hac re.

Ad

Ad §. Furiosi quoque,

Furiosi (a) *quoque & prodigi*, (b) *licet* (c) *maiores vigintiquinque annis sint: tamen in curatione sunt adgnatorum ex lege* (d) *duodecim tabularum*. (e) *Sed solent Romæ Præfectus Vrbi, vel Prætor, & in Prouincijs Præsides, ex inquisitione eis curatores dare.*

a FVrioſi. Furor eſt mentis ad omnia cæcitas. *Cicero Tuſcul. quæſt. lib. 3.*

b *Et prodigi*. Prodigus eſt, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilapidando, & diſſipando profundit, *l. 1. ff. de curat. fur.*

c *Licet maiores vigintiquinque annis ſint*. Si minor vigintiquinque annis furioſus ſit, curator ei non vt furioſo: ſed vt adoleſcenti datur, quaſi ætatis eſſet impedimentum, *l. 3. §. 1. ff. de tutelis*.

d *Ex lege duodecim tabularum*. Lex duodecim tabularum furioſum, itemque prodigum, cui bonis interdictum eſt, in curatione iubet eſſe agnatorum, *Vlp. in frag. tit. 12.*

e *Sed ſolent &c.* Furioſi & prodigi in curatione ſunt agnatorum ex lege duodecim tabularum. Sed quia lex duodecim tabularum his perſonis non proſpexit omni caſu, hodie cœperunt omni caſu omiſſa lege prætorios curatores accipere. Hodie igitur magiſtratus ſolent ſe interponere & furioſis prodigiſque cauſa cognita ex inquiſitione agnatum vel extrancum curatorem dare; *l. 1. l. obſeruare, l. ſæpè ff. de curat. fur.* Hæc igitur verba, ſed ſolent, ſuperiori contrariam ſententiam ſignificant. *Cuiac. hic*, Accurſius verò & plures alij hoc eodem loco tenent, quod ex iudiciali electione curatorem furioſo, aut prodigo dare neceſſe ſit tantùm, legitimo ceſſante, aut non idoneo forſitan exiſtente, *d. l. ſæpè ff. de cur. fur. l. vlt. §. Sin autem teſtamentum C. eodem*.

Ad §. Sed & mente captis.

Sed & mente captis, (a) *& ſurdis, & mutis, & qui perpetuo morbo laborant, quia rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, curatores dandi ſunt.*

a SED *& mente captis, & ſurdis &c.* Mentecaptum ſiue dementem Iuris Conſulti appellant eum, qui non vſquequaque, ſed ex parte tantum mentis errore ducitur. Et intellige has

omnes personas esse maiores vigintiquinque annis. Nàm si minor vigintiquinque annis aliquo ex his morbis, seù vitijs laboraret, curator ei daretur vt adolescenti, quasi ætatis esset impedimentum, non autem ratione morbi, seù vitij, *l.3. §.1. ff. de Tutelis.*

Ad §. Interdum autem.

1

Interdum autem & pupilli curatores (a) *accipiunt, vt puta, si legitimus tutor non sit* (b) *idoneus: quoniam habenti* (c) *tutorem, tutor dari non potest. Item, si testamento datus tutor, vel à Prætore, vel Præside, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter* (d) *negotia administret, solet ei curator adiungi. Item in locum tutorum, qui non in* (e) *perpetuum, sed ad tempus à tutela excusantur, solent curatores dari.*

a *Curatores accipiunt.* Si curatores tutoribus adiuncti sunt, pubertate pupilli, tam tutorum quàm curatorum adiunctorum officium finiri, ideòque alios propter ætatis infirmitatem esse dandos curatores, manifestum est, *l. 1. C. quando tut. vel cur. &c.* a

b *Non sit idoneus.* Quia fortè non sit industriosus, vt decet. Idem si solus administrationi non sit sufficiens, *l.3. & vlt. C. In quib. caus. tut. hab.* Imò si legitimus tutor tutela remouendus videatur: optimum factum est, curatorem ei potius adiungi, quàm eundem cum nota fidei & existimationis remoueri, *l. si tutor 9. ff. de suspect. tut. vel cur.* 3

c *Quoniam habenti tutorem &c.* Regula Iuris est, Tutorem habenti, tutorem dari non posse, *l. Idem fiet 27. ff. de testem. tut. & hoc §. Nostro.* Sed hæc regula non est perpetua: Nàm in eius tutoris locum, qui à tutela remouetur, aut excusatur in perpetuum, vel moritur, vel relegatur, alius tutor à magistratu dari solet, etiamsi pupillus habeat alios tutores superstites, *l. licet 4. C. In quib. caus. tut. hab. l. Si quis sub conditione 11. ff. de testam. tut.* Item in locum absentis Reipublicæ causa, licet tutor esse non desinat, alius tutor dari potest, *l. quæsitum 12. ff. de tutelis, l. 3. §. Si quis abfuturus ff. de suspect. tut. & cur.* Item in locum furiosi, & muti, & surdi tutoris, licet propter aduersam valetudinem tutor esse non desinat, alij tutores dantur, *l. penult. ff. de tutelis, iuncto §. vlt. h. t.* Item si tutor pupillo datus pronocet, & interim pupillo tutoris auctoritas fuerit necessaria, veluti ad adeundam 4

here-

hereditatem: tutor ei necessario dabitur, *l.cum in vna* 17. *§.vlt. ff. de appell.* Item si tutor sit apud hostes sine mutatione status, tutor manet: sed interim alius tutor dabitur, *l. si quis tutor* 15. *ff.de tutelis*. Alium casum vide suprà ad *§.Certæ autem, qui testam. tut. dar. pos.* Et alium ad *§.Si inter, de auct. tut. in vlt. nota*. Sed quæ est ratio, cur dari possit curator habenti curatorem, vel tutorem: sed tutor non potest dari habenti tutorem? *tex. hic, l.ventri* 20. *ff.de tut.& cur.dat.* Resp. quia tutor datur personæ 1
§. Cerè, Qui testam.tut.dari pos. curator rebus, *l. In copulandis* 8. *C. de nup.* Persona autem est indiuidua, res sunt diuiduæ. Quare & tutela est indiuidua, curatio diuidua. *G. hic*.

d *Nec tamen fraudulenter &c.* Si verò fraudulenter tutelam administret, remouendus est à tutela. *§.Nouissimè, de suspect. tut. vel cur.* & alius tutor in locum eius constituendus, *l. pietatis* 6. *C. de suspect. tut. vel cur. l.si quis sub conditione* 11. *ff.de testam tut.*

e *Qui non in perpetuum*. In locum verò tutorum, qui in perpetuum à tutela excusantur, alij tutores dantur, *dicta l. si quis* 2
sub conditione.

Ad §. Quod si tutor.

Quod si tutor (a) *aduersa valetudine, vel alia* (b) *necessitate impediatur* (c) *quominùs negotia pupilli administrare possit, & pupillus*: (d) *vel absit, vel infans sit, quem* (e) *velit actorem*, (f) *periculo ipsius tutoris, prætor, vel qui prouinciæ præerit, decreto* (g) *constituet*. §

a *Quod si tutor &c.* Idem si curator necessitate aliqua impediatur administrare, & adolescens absit, *l.neque* 11. *C.de procur. l. si actor* 10. *C.de appell. iuncto textu hic*.

b *Vel alia necessitate*. Veluti dignitate, vel ætate, aut quia diffusa negotia sunt, *l.decreto* 25. *ff.de administ. & peric.tit.*

c *Impediatur*. Neque excusetur: alioqui si excusetur ad tempus, in locum eius curator datur *§.Interdum autem h.t.* Si verò in perpetuum, alius tutor datur, *l.si quis sub conditione* 11. *ff. de* 4
testam. tut.

d *Et pupillus, vel absit, vel infans sit*. Quod si pupillus sit præsens, & maior infante, procuratorem tutore interueniente ordinare poterit *l.decreto* 25. *ff.de administ. & peric.tut. l.neque* 11. *C.de procurat.* vel etiam actorem, *Theoph.hic*. Si miles adultus curatore interueniente procuratorem ordinare potest, *d. l.ne-*

que 11. vel actorem, vt dixi in pupillo. Tutores autem, vel curatores ex sua persona in rem pupilli, vel adolescentis procuratorem facere non possunt, quia procurator à solo domino constituitur, *d.l.neque* 11. *C.de procur.iuncta l.* 1.*ff.eodem*.

e *Quem velit.* Scilicet tutor, *l.vnica C.de act.à tut. seu cur.dan.*

f *Actorem*. Sine adiutorem, *l. solet* 13. *ff.de tutelis*. Actor litium, vel aliorum negotiorum causa constituitur. Propriè tamen actor litium causa, adiutor aliorum negotiorum datur 1
Cuiac. hic.

g *Decreto*. Valde nouum est, vt qui procuratorem dare non potest, actorem constituat, ideoq; decreto est opus. *Idem Cuiac.*

De (v) Satisdatione tutorum, vel curatorum.

TITVLVS XXIV.

2

Ne tamen pupillorum, pupillarúmue, & eorum, qui, quæue in curatione sunt, negotia à tutoribus curatoribusue consumantur, vel deminuantur: curat prætor, (b) *vt & tutores & curatores eo nomine satisdent.* (c) *Sed hoc non est perpetuum. nam tutores testamento* (d) *dati, satisdare non coguntur: quia fides eorum,* (c) *& diligentia ab ipso testatore approbata est. item ex inquisitione tutores dati, satisdatione* (f) *non onerantur, quia idonei electi sunt.*

a *De satisdatione tutorum*. Hactenus seperatim explicata sunt, quæ ad tutores, & quæ ad curatores pertinent, nunc transitum facimus ad ea, quæ ipsis communia sunt, ad satisdationem scilicet, excusationem, & remotionem. Primò itaque tutoribus, & curatoribus commune est vt satisdare cogantur. Tutorum autem, vel curatorum satisdatio est cautio quæ fit datis fideiussoribus rem pupilli, vel eius qui in curatione est, saluam fore. *tex. & Theoph. hic.l.* 1.*ff.qui satisd.cog.* 3

b *Curat prætor*. Non tamen ipse prætor satisdationem exigit, sed scriba §.*vlt.h.t.l.vlt.C.de magist. connen.* 4

c *Satisdent*. Datis fideiussoribus vt suprà dixi. Nàm hæc satisdatio est prætoria, *l.*1.*in princ.& §. cautiones ff. de præt.stip.* Et prætoriæ satisdationes personas desiderant pro se interuenientium, *l.prætoriæ* 7.*ff. eodem*.

d *Nam tutores testamento dati &c.* Etiam non rectè testamento dati, & à magistratu confirmati, satisdare non coguntur, *l.*2.

ff.de

ff. de confir. tut. vel cur. Vide notata ad §. permissum, de tutelis.

c *Quia fides eorum & diligentia &c.* Inuestigandum tamen est, an patris voluntas duraverit, aut verisimiliter durasse videri possit. *Mynsh. hic sub num. 6.*

f *Satisdatione non onerantur.* Sed hoc fallit in curatore furiosi, qui satisdare tenetur, si non possideat idoneam substantiam: licet ex inquisitione datus sit, *l. vlt. §. sed. si quidem, cum §§ seq. C. de curat. fur.* Non tamen satisdare tenetur curator furioso filio à patre testamento datus, *d. l. vlt. §. & si quidem parens.* 1

Ad §. Sed si ex testamento.

Sed si ex testamento, vel inquisitione duo plurèsve dati fuerint, potest (a) *vnus offerre satisdationem de indemnitate pupilli, vel adolescentis, & contutori,* (b) *vel concuratori præferri, vt solus administret: vel vt contutor aut concurator satis offerens præponatur ei, & ipse solus administret: Itaque per se non potest petere satisdationem à contutore, vel concuratore suo, sed offerre debet, vt electionem det contutori, vel concuratori suo, vtrum velit satis accipere, an satisdare. Quod si nemo eorum satis offerat, si quidem adscriptum fuerit à testatore, quis gerat, ille gerere* (c) *debet. Quod si non* (d) *fuerit adscriptum, quem maior pars elegerit, ipse gerere debet, vt edicto prætoris cauetur. Sin autem ipsi tutores dissenserint circa eligendum eum, vel eos, qui gerere debent, prætor partes suas* (e) *interponere debet. Idem & in pluribus ex inquisitione datis probandum est, idest, vt maior pars* (f) *eligere possit, per quem administratio fiat.* 2 3

a *Potest vnus offerre satisdationem &c.* Quod si plures satisdare parati sint, tunc magis idoneus præferendus erit, *l. quod si plures 18. ff. de testam. tut.*

d *Et contutori, vel concuratori præferri.* Non omnimodo autem is, qui satisdat præferendus est, sed causa cognita. *Vide l. testamento 17. §. non omnimodo ff. de testam. tut.*

e *Ille gerere debet.* Cæteri ergo tutores non administrabunt: sed erunt ii, quos vulgò honorarios appellamus. Nec putet quisquam ad hos periculum nullum redundare. Constat enim hos quoque, excussis prius facultatibus eius, qui gesserit, conueniri oportere. Dati sunt enim quasi obseruatores actus eius, & custodes: imputabitúrque eis quandoque, cur si malè eum conuersari videbant, suspectum non fecerint, *l. si plures 3. ff.* 4

de

de adminiſt. & peric. tut. Quamuis autem ei potiſſimùm ſe tutelam commiſſurum prætor dicat, cui teſtator delegauit, attamen nonnumquam ab hoc recedetur: vt puta, ſi pater minus propenſo conſilio hoc fecit, fortè minor vigintiquinque annis, vel eo tempore fecit, quo iſte tutor bonæ vitæ, vel frugi videbantur: deinde poſtea idem cœpit malè conuerſari ignorante teſtatore: vel ſi contemplatione facultatum eius res ei commiſsa eſt quibus poſtea exutus eſt, *d.l. 3. §. quamuis autem.* 1

d *Quod ſi non fuerit adſcriptum &c.* Idem ſi à Teſtatore electus tutor gerere nolet, *d.l. 3. §. ſi non erit ff. de adminiſt. & peric. tut.*

e *Prætor partes ſuas &c.* Prætor igitur iubebit eos conuocari, aut ſi non coibunt, aut coacti non decernent: cauſa cognita ipſe ſtatuet, quis tutelam geret. Planè ſi non conſentiant tutores prætori, ſed velint omnes gerere, quia fidem non habeant electo, nec patiuntur ſuccedanei eſſe alieni periculi: dicendum eſt, prætorem permittere eis omnibus gerere. Item 2
ſi diuidi inter ſe tutelam velint tutores, audiendi ſunt: vt diſtribuatur inter eos adminiſtratio, vel in partes, vel in regiones, *d.l. 3. §. vlt. & l. 4. ff. de adminiſt. & peric. tut.*

f *Vt maior pars eligere poſſit &c.* Sin autem ipſi tutores, diſſenſerint circa eligendum eum, vel eos qui gerere debent, prætor partes ſuas interponere debet, vt dictum eſt ſuprà in tutoribus ex teſtamento datis.

Ad §. Sciendum autem. 3

Sciendum autem eſt, non ſolùm tutores (a) *vel curatores pupillis, vel adultis, cæteriſque* (b) *perſonis ex adminiſtratione rerum teneri, ſed etiam in eos, qui ſatisdationem* (c) *accipiunt ſubſidiariam* (d) *actionem eſſe quæ vltimum eis præſidium poſſit adferre. Subſidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino à tutoribus ſatisdari non curauerunt, aut non idoneè paſſi ſunt caueri. Quæ quidem tam ex prudentum reſponſis, quàm ex conſtitutionibus Imperialibus etiam in heredes* (e) *eorum extenditur.* 4

a *Non ſolum tutores vel curatores.* Et eorum heredes. Itemque fideiuſſores, & eorum heredes, *l. 3. & 4. ff. de fideiuſſ. & nominat.*

b *Cæteriſque perſonis.* Vt furioſis, & prodigis. *§. furioſi quoque, de curat.*

Qui

Qui satisdationem accipiunt. In prouinciis satisdationem accipiunt magistratus municipales, aùt defensores ciuitatum. *Theoph. in fine h. t.* In Vrbe, scriba, aut is, quem Prætor in hoc delegauerit, vt ei caueretur, *l. 2. & 3. ff. rem pupil. sal. for. l. vlt. C. de magist. conuen.*

d *Subsidiariam actionem esse.* Hæc actio est in factum, & dicitur subsidiaria, quod vltimum auxilium præbeat. Cùm enim neque à tutoribus, vel curatoribus, neque à fideiussoribus eorum 1
res pupilli, vel eius, qui in curatione est, indemnis seruari potest, tunc ij, qui satisdationem à tutoribus vel curatoribus acceperunt, actione in factum tenentur: quæ ex ea re vocata est subsidiaria. *Theoph. hic.*

e *Etiam in heredes eorum extenditur.* Non tamen similiter tenentur heredes magistratuum, vt ipsi tenentur. Nàm magistratus quidem de dolo, & lata culpa, & leui tenetur: Heres verò ipsius de dolo, & lata illius culpa duntaxat, *l. nonsimiliter. 4. l. quod ad heredem 6. ff. de magist. conuen. l. 2. C. eodem.* 2

Ad §. Quibus Constitutionibus.

Quibus Constitutionibus & illud exprimitur, vt nisi caueant (a) *tutores vel curatores, pignoribus* (b) *captis coerceantur.*

a VT *nisi caucant tutores &c.* Datis fideiussoribus, vt dixi *ad ad princ. h. t.*

b *Pignoribus captis coerceantur.* Quòd si in eadem contumacia 3
perseuerauerint: debent vt suspecti remoueri, *l. 3. C. de suspect. tut l. 1. & 2. C. de tut. vel cur. qui sat. non ded.*

Ad §. Neque autem.

Neque autem præfectus vrbi, neque prætor, neque præses prouinciæ, neque quis (a) *alius, cui tutores dandi ius est, hac actione tenebitur, sed hi tantummodo, qui satisdationem exigere solent.*

4

a NEque *quis alius &c.* Vt proconsul, & Præfectus Ægipti, *l. 1. ff. de tut. & cur. dat.*

b *Cui tutores dandi ius est.* Non tamen solet satisdationem exigere.

c *Hac actione.* Subsidiaria, de qua diximus ad §. *Sciendũ autem, h. t.*

d *Qui satisdationem exigere solent.* In prouinciis satisdationem accipiunt magistratus municipales, aut defensores ciuitatum:

In

In Vrbe, scriba; aut is quem Prætor in hoc delegauerit, vt Notaui ad *d.* §. *Sciendum autem h. t.*

De (a) excusationibus tutorum, vel curatorum.

TITVLVS XXV.

1 *Excusantur autem tutores vel curatores variis ex causis: plerumque autem propter* (b) *liberos, siue in potestate sint, siue* (c) *emancipati. Si enim tres liberos superstites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in prouincijs quinque, à tutela, vel cura potest excusari, exemplo* (d) *cæterorum munerum. Nàm & tutelam vel curam placuit publicum* (e) *munus esse. Sed adoptiui liberi non prosunt. In adoptionem autem dati, naturali patri prosunt. Item nepotes* (f) *ex filio prosunt, vt in locum* (g) *patris sui succedant: ex filia* (h) *non prosunt. Filij autem superstites tantùm ad tutelæ vel curæ muneris excusationem prosunt: defuncti non prosunt. Sed si in bello amissi sunt, quæsitum est, an prosint. Et constat eos solos prodesse, qui in acie* (i) *amittuntur. Hi enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum* (k) *per gloriam viuere intelliguntur.* 2

a DE *excusationibus &c.* Neque id tantum, quod modo diximus. inter tutores, & curatores commune est vt satisdare cogantur, sed etiam illud quod cum ad tutelam, vel curationem vocantur, excusatione, de qua nunc subijcitur, vti 3 possunt. *Theoph. hic.* Est autem excusatio hoc loco nihil aliud, quam alicuius iustæ causæ allegatio, ob quam non debeat quis ad tutelam vel curam subeundam cogi. *Mynsing. hic.* Et tum demum locum habet, quando tutelæ curæue datio valida est. Nàm qui non iustè dati sunt tutores, vel curatores, non habent excusationis necessitatem, *l. scire etiam oportet* 15. §. *qui non iustè ff. de excus. tut.*

b *Propter liberos.* Propter liberos excusantur tutores, vel curatores in perpetuum - *Pac. hic in Analy.* Oporret autem liberos 4 legitimos, & naturales esse, & iam natos. Naturales enim tantùm, vel legitimi tantùm, non præstant excusationem. Et qui in ventre est, & si in multis partibus iuris comparatur iam natis: tamen neque in præsenti quæstione, neque in reliquis ciuilibus muneribus prodest patri, *l.* 2. §. 1. & §. *qui autem ff. de excusat. tut. iuncto tex. nostro in vers. Sed adoptiui.* Et quamuis postea nasca-

nascatur, ad excusationem non prodest. Numerum enim liberorum determinatum constitutionibus esse oportet vnicuique tunc cum tutor, vel curator petitur. *d. l. 2. §. numerum, & l. tutor 31. in princ ff. de excus. tut.* Vnde, vt propter liberos a tutela, vel cura detur excusatio, hoc amplius quoque exigitur, vt liberi sint superstites, quando tutores, vel curatores patres dantur, aut petuntur. Qui enim antea decesserunt, his non connumerantur, *d. l. 2. §. 1.* Vide *tex. hic in vers. Sed si in bello.* 1

c *Siue emancipati.* Siue quasi emancipati: vt Mônachi, Episcopi, & patricij. *Mynsh. hic sub num. 3.*

d *Exemplo caterorum munerum.* Numerus trium liberorum excusat à legationibus, *l. 1. C. de legat. lib. 10.* A cæteris muneribus personalibus, numerus quinque, *l. 3. §. quamuis ff. de muner. & hon.* Ab omnibus muneribus, numerus sexdecim, *l. semper 5. §. 2. ff. de Iur. immunit. Cuiac. hic.*

e *Placuit publicum munus esse.* Tutela est munus priuatum. Est enim tutela de re priuata, & familiari pupillorum, & domo 2
eorumdem conluditur. Non inficior eam esse pro vtilitate publica; quòd publicè omnium interfit pupillos tueri, ac defendere, *l. 2. §. Diuus ff. Qui pet. tut.* Sed principaliter priuatum munus est, per consequentias publicum. Vide *Cuiac. ad l. 6. colum. 4. ff. de excusat.* Et nota curationem eodem modo publicum munus dici.

f *Item nepotes ex filio.* Vel neptes ex filio. *l. 2. §. non solùm autem ff. de excusat. tut.*

g *Vt in locum patris sui succedant.* Igitur auxiliantur tunc, quando patre eorum mortuo, illius locum supplent auo. Et quotcunque nepotes fuerint ex vno filio, pro vno filio numerantur, *d. l. 2. §. Auxiliantur autem ff. de excusat. tut.* 3

h *Ex filia non prosunt.* Quia prodesse duobus non possunt: suòque patri reseruari, cùm opus erit, debent. H.

i *Qui in acie amittuntur.* Non verò omnes omninò, qui per causam belli parentibus sunt abrepti, in obsidione fortè, *l. bello amissi 21. ff. de excus. tut.* Neque prosunt capti ab hostibus, *l. 2. C. de his, qui num. liber. lib. 10.* 4

k *In perpetuum per gloriam &c. Cicero in Orat. Pro Cn. Plancio.* Qui pro Republica vitam reddiderunt, numquam meherculè eos mortem potiùs, quàm immortalitatem assecutos putaui.

Ad §. Item Diuus Marcus.

Item Diuus Marcus (a) *in semestribus rescripsit, eum, qui res fisci* (b) *administrat, à tutela, vel cura, quamdiù* (c) *administrat, excusari posse.*

a *Item Diuus Marcus in semestribus rescripsit &c.* Xiphilinus de Augusto ita scribit: Aduocabat quindecim Senatores sorte ductos, qui sibi ad sex menses in consilio essent, interdùmque cùm ijs ius dicebat. Et de Tiberio tradit, quod consiliarios, vt Augustus consueuerat, capiebat. Augusti ergo & Tiberij institutum secutus Diuus Marcus videtur, in eoque semestri consilio hanc constitutionem scripsisse. 1

b *Eum, qui res fisci administrat &c.* Idèmque custoditur in ijs, quibus Princeps curam alicuius rei iniunxit, *l. Geometræ 25. ff. eod.*

c *Quamdiu administrat.* Et interea curator loco eius datur. §. *Interdum autem, de curatoribus.* 2

d *Excusari posse.* Et ratio quidem in promptu est, quoniam necesse est, vt aut dum rebus pupilli, vel adulti operam damus, fiscus in multis lædatur, aut dum Fiscum indemnem seruare volumus, iura pupilli, vel adulti minuantur. *Theoph.*

Ad §. Item qui Reipublicæ.

Item qui Reipublicæ (a) *causa absunt, à tutela,* (b) *vel cura excusantur. Sed & si fuerint tutores,* (c) *vel curatores, deinde Reipublicæ causa abesse cœperint, à tutela vel cura excusantur,* (d) *quatenus Reipublicæ causa absunt: & interea* (e) *curator loco eorum datur: qui si reuersi fuerint, recipiunt onus tutelæ: nam nec anni habent vacationem, vt Papinianus libro quinto responsorum rescripsit, nam hoc spatium* (f) *habent ad nouas tutelas* (g) *vocati.* 3

a *Item qui Reipublicæ causa absunt &c.* Reipublicæ, inquam, Romanæ, *l. Non solùm 12. in princ. ff. de excus. tut.* Et Reipublicæ causa abesse eos solos intelligimus, qui non sui commodi causa, sed coacti absunt, *l. Reipublicæ 36. ff. Ex quib. caus. maior.* 4

b *A tutela, vel cura excusantur.* Hoc primum responsum loquitur, quando fuerunt tutores, vel curatores dati postquam Reipublicæ causa abesse cœperunt. Quo casu non solùm tempore absentiæ excusantur, sed etiam anni habent vacationem

post

post reuersionem, *vt hic in tex. infine.* §. *& in l.* 2. *C. si tut. vel cur. reipub. cau.*

c *Sed & si fuerint tutores, vel curatores &c.* Hoc secundum responsum loquitur, quando tutores, vel curatores post susceptam tutelam Reipublicæ causa abesse cœperunt. Quo casu excusantur quamdiu Reipublicæ causa absunt, sed cùm reuersi fuerint, confestim recipiunt onus tutelæ, nec anni habent vacationem. *tex. hic. l. non solùm* 12. §. 1. *ff. de excus. tut.* 1

d *Excusantur, quatenus Reipublicæ causa absunt.* Non ipso tamen iure excusantur qui tutores, vel curatores dati, Reipublicæ causa absuturi sunt, sed debent se excusare ad tempus, ne etiam medij temporis periculo obstringantur. *l.* 1. *C. si tut. vel cur. Reipub. cau.*

e *Et interea curator.* Imò & tutor dabitur rectè, *l. quæsitum* 12. *ff. de tutelis.*

f *Nàm hoc spatium habent.* Hoc est, anni vacationem. Annus autem continuorum dierum scrutabitur, ex quo quis redijt, 2
vel redire debuit, *l. non solùm* 12. §. *annus autem ff. de excus. tut. l. tempus* 4. *ff. de vocat. & excus. muner.*

g *Ad nouas tutelas vocati.* Modestinus *in d. l. non solùm* 12. §. *annus ff. de excus. tut.* Annus ad futuras nouasque tutelas datur, non ad eas, quæ resumi debent:

Ad §. Et qui potestatem.

Et qui potestatem (a) *habent aliquam, se excusare* (b) *possunt, vt* 5
Diuus Marcus rescripsit: sed cœptam tutelam deserere non possunt.

a ET *qui potestatem &c.* Potestatis verbo Iustinianus hoc loco Magistratum significat. Et etiam magistratus municipales à tutela & cura excusantur, *l. Athletæ* 8. §. *remittuntur ff. de excus. tut.* Neque obstat *tex. in l. propter magistratum* 26. *ff. eodem.* Nàm respondetur, quod quis in municipio excusatur propter magistratum, quem gerit, vt hic in textu, non propter magistratum, quem nondum gerit, sed gesturus est, *vt in dicta* 4
l. propter magistratum.

b *Se excusare possunt.* A tutela eo tempore delata, quo potestatem habent, *l. non tantum* 20. §. *sanè ff. de excus. tut.* Et hæc excusatio est temporalis: quia tamdiù quis excusatur, quamdiù in potestate est. *d. l. Athletæ* 8. §. *gentium ff. eodem.*

Ad §. Item propter litem.

Item propter litem, quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet, excusare nemo se potest: nisi forte de omnibus (a) *bonis, vel de hereditate controversia sit.*

2 *De omnibus bonis.* Aut plurima parte eorum, *l. propter litem* 1
24. in princ. ff. de excus. tut. Iure verò nouissimo debitor, aut creditor pupilli, vel adulti, ad tutelam, vel curationem eius prohibetur accedere. *Nouellu 72. cap. 1.* Vide suprà *ad §. Si inter. de auct. tut. in vlt. Nota.*

Ad §. Item tria onera.

Item tria (a) *onera tutelæ non adfectata* (b) *vel cura, præstant vaca-* 1
tionem, quamdiu (c) *administrantur: vt tamen plurium pupillorum* 2
tutela (d) *vel cura eorundem bonorum, veluti* (e) *fratrum, pro* (f) *vna computetur.*

2 *Item tria onera &c.* Qui habent tres tutelas, aut tres curas, aut commissas tres curas, & tutelas: hi excusantur ad quartam tutelam, vel curam vocati, *l. 2. §. vlt. ff. de excus. tut.* Et tria onera in domo vna esse sufficit. Proinde si pater tria onera sustineat, filius eius non vexabitur, & è contrario si tria onera sustineat filius: non vexabitur pater, & rursus vtrisque 3
communes tutelæ, vel curæ, ideſt, vna filii, & duæ patris: aut è conuersò tàm patri, quàm filio dant remissionem, *l. diximus 4. §. vlt. & l. seq. ff. de excus. tut.* Imò etiam vna tutela, vel cura ad excusationem sufficit, si tam diffusa, & negociosa sit, vt pro pluribus cedat, *l. Si is, qui 34. §. ceterum putarem ff. eodem.*

b *Non adfectatæ.* Non appetitæ, non captatæ. Tutor autem, qui modici patrimonij factus est, affectasse videtur, *l. Spadonem 17. §. vlt. ff. de excus. tut.*

c *Quamdiu administrantur.* Si tutor periculum sustineat cessationis: ei imputanda est quoque ea tutela, *l. Si is qui 34. ff. h. t.* 4
Honoraria verò tutela, ideſt, quæ non administrationis, & oneris, sed honoris tantùm causa defertur, non prodest ad excusationem, *l. Spadonem 17. §. Si ciuitatis ff. eodem.* Item non dabitur excusatio si altera susceptarum trium tutelarum, vel etiam quarta superueniens sit breui tempore finienda: puta

infra semestre, *l. non tantùm* 20. *in princ. ff. eodem.*

d *Vt tamen plurium pupillorum tutela, vel cura eorumde m bonorum.* Benè expositi tutelæ & curæ differentiam: Tutela est personarum, cura bonorum. *Cuiac. hic.* Vide notata *in tit. de tutelis ad §. Est autem tutela*, In verbo, *ad tuendam eum.*

c *Veluti fratrum.* Qui indiuisum patrimonium habent, *l. 3. ff. de excus. tut.* Igitur fratres consortes, plurium loco habendi non sunt, & ex diuerso, fratrum diuiso patrimonio, plures tutelæ 1
sunt, *l. Si is, qui* 34. *§. vlt. ff. de excus. tut.*

f *Pro vna computetur.* Tria enim onera sic accipienda sunt, vt non numerus pupillorum, vel adolescentium plures tutelas, vel curationes faciat, sed patrimoniorum separatio, *l. 3. ff. de excus. tut.*

Ad §. Sed, & propter paupertatem.

Sed & propter paupertatem, excusationem tribui, tam Diui (a) *fratres, quàm per* (b) *se Diuus Marcus rescripsit, si quis* (c) *imparem se oneri inimitio posse docere.* 2

a *Diui fratres.* Marcus Antoninus Philosophus, & Lucius Verus fratres. Hi enim sunt qui Diui fratres appellantur. *Vide Anton. August. lib. singul. ad Modest. pag.* 259.

b *Per se.* Solus sine fratre.

c *Si quis imparem &c.* Dic eum esse hic pauperem & imparem oneri, qui sic laboribus est implicatus propter paupertatem, 3
vt tutelæ, vel curæ superesse non possit. *gl. hic.*

Ad §. Item propter aduersam.

Item propter (a) *aduersam valetudinem, propter quam nec suis quidem negotijs interesse potest excusatio locum habet.*

a *Item propter aduersam valetudinem &c.* Non tantùm à tutela 4
susceptam, sed etiam à susceptæ excusari quis debet propter aduersam valetudinem, propter quam nec suis quidem negotijs interesse potest, *l. non solùm* 12. *§. vlt. cum l. seq. ff. h. t.* Et solet vel ad tempus, vel in perpetuum excusari, prout est valetudo, qua afficitur, *l. Idem Vlpianus* 14. *ff. eodem.*

Ad

Ad §. Similiter eum.

Similiter eum qui (a) *literas nesciret, excusandum esse Diuus Pius rescripsit: quamuis & imperiti literarum possint ad administrationem negotiorum sufficere.*

a *Similiter eum qui literas nesciret &c.* De illiteratis hominibus Paulus ita scribit: Eius qui se neget literas scire, excusatio accipi non debet, si modò non sit expers negotiorum, *l. Athletæ* 8. §. *vlt. ff. de excus. tut.* Quod tamen Diuus Pius mutasse videtur, vt hic in textu. Similiter eum, inquit Iustinianus, qui literas nesciret, esse excusandum Diuus Piuus rescripsit: quamuis & imperiti literarum possint ad administrationem negotiorum sufficere. Sed æquius est, vt secundum Pauli sententiam rescriptum Diui Pij intelligatur, vt illiterati excusentur negotiorum expertes. Negotiorum periti non excusentur. *Anton. Augustl. lib. singul. ad Modest. pag.* 263. H. verò hic ait, quod nescire literas, prouerbiali figura Iustinianus dixit, pro idiotam & imperitum esse. Literarum autem imperitum, propriè appellat eum, qui neque legere, neque scribere didicit. 1 2 3

Ad §. Item si propter.

Item, si propter (a) *inimicitias aliquem testamento tutorem pater dederit, hoc ipsum præstat ei excusationem: sicut per* (b) *contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserunt.* 3

a *Item si propter inimicitias &c.* Si inimicus à patre pupillorum ea de causa tutor testamento datus esse videatur, vt eo onere & negotijs vexetur excusabitur. *l. Athletæ* 8. §. *Dat remissionem ff. de excus. tut.*

b *Sicut per contrarium &c.* Qui patri pupillorum promisit se futurum tutorem, excusare se hac tutela non potest, quamuis aliàs excusare se iure possit, *l. Spadonem* 17. §. *Qui patri ff. eodem.* 4

Ad §. Non esse autem.

Non esse autem admittendam excusationem eius, qui hoc solo vtitur, quòd

quòd ignotus (a) *patri pupillorum sit*, *Dini* (b) *fratres rescripserunt*.

a QVòd ignotus patri pupillorum sit. Intellige patri pupillorum non esse notum vultu, vel familiaritate: fama tamen ei notum esse: Alioquin si testator omnino ignotum tutorem daret, non certo consilio consuleret pupillo: quod est absurdum. infrà delegatis. §. *Sed nec huiusmodi. Pacius hic in Analy.*

b *Dini fratres*. Marcus Antoninus & Lucius Verus. vt dixi ad §. *Sed & propter paupertatem. h. t.* 1

Ad §. Inimicitiæ.

Inimicitiæ, (a) *quas quis cum patre pupillorum vel adultorum exercuit, si capitales* (b) *fuerint, nec reconciliatio interuenerit, à tutela vel cura solent excusare*.

a INimicitiæ &c. Dant à tutela vacationem capitales inimicitiæ ortæ post scriptum testamentum inter eum qui tutor creatus est, & pupillorum patrem, nisi reconciliatio interuenerit, *l. Athletæ 8. §. Dat remissionem ff. de excus. tut. iuncto tex. hic.* Imò si tutor inimicus, non se excuset, remouetur, *l. 3. §. Si tutor inimicus ff. de suspect. tut.* Qui verò post susceptas inimicitias tutor testamento datus est, se excusare non potest: quando quidem hoc ipso gratiæ videtur facta reconciliatio, nisi ea de causa datus esse videatur, vt eo onere & negotijs vexetur, *d. l. Athletæ 8. §. dat remissionem & §. item si propter inimicitias. h. t.* Quod tamen inimicitiæ testamento antiquiores, à tutela non excusent, debet intelligi de inimicitijs, quas ipse tutor concitauit. Si pater concitauit inimicitias indistinctè dicimus tutorem excusari. *Cuiac. ad l. 6. colum vlt. ff. h. t.* A cæteris tutelis legitimis & datiuis inimicitiæ capitales excusant, dum tamen non sit facta reconciliatio *tex. hic & ibi Cuiac.* 2

b *Si capitales fuerint*. Quæ capitalis dicatur inimicitia, iudicis arbitrio relinquitur. *Menoch. de arbitr. Iud. lib. 2. cent. 2. casu 110. num. 3.* 3

Ad §. Item is, qui statuas. 4

Item is qui statuas (a) *controuersiam à pupillorum patre passus est, excusatur à tutela*.

a ITem is qui statuas controuersiam &c. Is qui statuas controuersiam à patre pupillorum passus est, hoc est, in seruitutem peri-

tus

tus est, excusatur à tutela. Is etiam à tutela excusatur, qui status controversiam pupillo mouet, dummodò id non fictè, sed bona fide faciat, *l. Atilicinus 8. §. Amplius ff. h. t.*

Ad §. Item maior.

Item maior (a) *septuaginta annis, à tutela vel cura excusare se potest. Minores autem viginti quinque anni, olim quidem* (b) *excusabantur, à* 1
nostra autem Constitutione (c) *prohibentur ad tutelam vel curam adspirare: adeò vt nec excusatione opus sit. Qua constitutione cauetur, vt nec pupillus* (d) *ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus, cum erat* (e) *inciuile, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab alijs reguntur, aliorum tutelam vel curam subire.*

a ITem maior septuaginta annis &c. Qui ingressus est septuagesimum annum, nondum egressus, hac vacatione non vtetur: quia non videtur maior esse septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum, *l. 3. ff. de Iur. immunit.* Igitur à tutela, & cura excusantur qui septuaginta annos excesserunt. Excessisse autem oportet septuaginta annos tempore illo, quo creantur, aut quo hereditatem adijt quis, aut quo conditio, quæ testamento scripta est, impleta est, non intra tempora excusationis eam ætatem implere, *l. 2. in princ. ff. de excus. tit.* 2

b *Olim quidem excusabantur.* Olim minores viginti quinque annis ad legitimam tutelam vocati excusabantur ad tempus, & 3
in eorum locum interea curator dabatur, *l. non solùm 12. §. penult. ff. de excus. tut.* Quod eodem modo de iis qui ex decreto dabantur, intelligendum esse, quidam existimant. Testamento autem dati, non fiebant tutores ante legitimam ætatem, *l. quæro 32. §. vlt. ff. de testam. tut.* Proinde in locum eorum non curator modò, vt est in *d. l. non solùm §. penult.* sed etiam tutor dari poterat §. 1. *Instit. de Atil. tut.* Hodie verò minores generaliter prohibentur ad tutelam vel curam adspirare, adeò vt nec excusatione opus sit, *l. vlt. C. de legit. tut.* Minor tamen 4
viginti quinque annis tutor testamento datus, tutor erit, hodierno etiam iure, cùm maior viginti quinque annis factus fuerit §. *furiosus, qui testam. tut. dar. poss.* Intelligitur enim ita dari, cùm maior viginti quinque annis esse cœperit: *arg. l. furiosus 11. ff. de tutel.* Et interim alius tutor à magistratu dandus est, *l. si quis 11. ff. de testam. tut.*

c *Nostra autem Constitutione. In l. vlt. C. de legit. tut.*

d *Vt nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur.* Ante Iustinianum ad legitimam tutelam etiam pupillus vocabatur. Vt enim hereditas, ita tutela legitima proximis adgnatis ipso iure deferebatur cuiuscumque ætatis essent. Erat autem pupillus proximus adgnatus tutor iure & nomine, non administratione. Nàm in locum eius dabatur curator qui administraret, non etiam tutor, quia tutorem habenti tutor non datur. *Cuiac. observat. lib. 17. cap. 28.* 1

e *Cum erat inciuile &c.* Cui enim ferendum est eundem esse tutorem, & sub tutela constitui? & iterum, eundem esse curatorem, & sub cura agere? *l. vlt. C. de legit. tut.*

Ad §. Idem & in milite.

Idem (a) *& in milite obseruandum est, vt nec volens ad tutelæ onus ad-* 2
admittatur.

a *IDem & in milite &c.* Miles nec volens ad tutelam vel curam admittitur, *l. militiæ 4. C. Qui dare tut. vel cur. poss.* Veterani autem, qui honestè expleuerunt militiæ tempus, se excusare possunt à paganorum tutelis vel curationibus. Sed à tutela vna seù cura filiorum commilitonis, aut conueterani, intra annum tantùm post militiam exactam vacationem habent, si non alias causas habeant excusationis, vt annorum numerum, aut 3
quid simile, quod solet paganis aduersus omnes prodesse, *l. sed & milites 10. ff. de excus. tut. l. vlt. C. de excus. veter.*

Ad §. Item Romæ.

Item (a) *Romæ grammatici*, (*b*) *rhetores*, *& medici*, *& qui in patria sua id exercent*, *et intra* (c) *numerum sunt*, *à tutela vel cura habent vacationem.*

4

a *ITem Romæ grammatici &c.* Qui Romæ has artes exercent à tutela vel cura habent vacationem, perinde quasi in patria profiteantur: quia Roma communis patria est, *l. Roma 33. ff. ad municip.* Item philosophi, qui publicè iuuenibus prosunt, excusantur, *l. si duas 6. §. philosophi ff. de excus. tut.* Et etiam excusantur Iurisperiti in consilium principum assumpti, *l. Iuris*

peritos 33.ff.eodem. Legum verò præceptores in prouincia docentes vacationem non habent, Romæ docentes habent, *l. sed & reprobari 7. in fine ff de excus. tut.* Hodie tamen, secundum DD.hic, habent quoque vacationem legum præceptores docentes in aliquo probato gymnasio.

b *Grammatici*. Qui pueros primas literas docent immunitatem non habent, *l. 2. §. vlt.ff.de vacat. & excus. muner. l.vt gradatim 11.§.vlt.ff.de muner.& honor.* Hi non sunt gtammatici, sed gram- 1
matistæ. Grammatici incipiunt ab Homero, aut Virgilio. *Cuiac.ad l. 6.§. grammatici ff. h.t.*

c *Et intra numerum sunt*. Minores ciuitates quinque medicos, rhetores tres grammaticos totidem immunes habere possunt. Maiores septem medicos, rhetores quatuor, grammaticos totidem. Maximè verò medicos decem, rhetores quinque, grammaticos totidem, *l. fi.duas 6. §. minores ff.de excus. tut.* Roma tamen alium habet numerum professorum *vt l.vnica C. de studi.liber.vrb. Romæ lib. 11.* Sanè valdè docti, & si supra numerum, & in aliena patria moram faciant, immunes sunt. *l. sed & reprobari 7. §. amplius ff. de excus. tut.* 2

Ad §. Qui autem.

Qui (a) *autem vult se excusare, si plures* (b) *habeat excusationes, & de quibusdam non probauerit: alijs vti intra* (c) *tempora constituta non prohibetur. Qui autem excusare se volunt, non* (d) *appellant: sed intra* (e) *quinquaginta dies continuos*, (f) *ex quo* (g) 3
cognouerunt se esse tutores, vel curatores datos, excusare (h) *se debent, cuiuscunque* (i) *generis sint, id est, qualitercunque dati fuerint tutores, si intra centesimum* (k) *lapidem sunt ab eo loco*, (l) *vbi tutores dati sunt. Si verò vltra* (m) *centesimum lapidem habitant, dinumeratione* (n) *facta viginti millium diurnorum, & amplius triginta dierum, quod tamen, vt Sceuola dicebat, sic debet computari, ne minus sint quàm quinquaginta dies.*

a QVi autem vult &c. Qui plures habet excusationes, si quibusdam ex illis vsus, repulsam passus sit: alijs vti intra 4
tempora constituta non prohibetur.

b *Si plures habet excusationes*. Is qui plures causas excusationis allegare potest, quarum per se vnaquæque valida non est, non potest excusari, *l. spandonem 17.§. Qui iura ff.h.t.*

c *Intra tempora constituta*. Quæ sint hæc tempora habes hic in textu.

d *Non appellant*. Si quis tutor, vel curator datus fuerit non oportet eum prouocare (hoc enim Diuus Marcus effecit) sed intra tempora præstituta excusationem allegandam habet: & si fuerit repulsa, tunc demum appellare debebit. Cæterum ante frustra appellatur: *l.* 1. §. *Si quis tutor ff. quando appel. sit l. scire* 15. *in princ. ff. de excus. tut.* Alia causa est eorum, qui ad aliquod munus, vel honorem vocantur: cum dicant se habere excusationem, Nàm non aliter possunt allegare causas immunitatis suæ, quam si appellationem interposuerint, *d. l.* 1. §. *Si quis tutor*. 1

c *Sed intra quinquaginta dies &c.* Quinquaginta dierum spatium tantummodò ad proponendas excusationum causas pertinet. Peragendo enim negotio, ex die nominationis causarum excusationum continui quàtuor menses constituti sunt, *l. quinquaginta* 41. *ff. de excus. tut.* Quæ lex sic intelligitur *à Mynsh. hic sub num.* 10. Venia tamen datur ei, qui quominus litem peragaret, aduersarij mora impeditus est, *l. si cùm ipse* 42. *ff. eodem*. 2

f *Continuos*. Dies alij Continui appellantur, alij vtiles. Vtiles dicuntur, quibus experiundi iuris sui potestas est, *l.* 1. *ff. de diuers. & temp. præscrip. l. milles* 11. §. *quidam ff. ad leg. Iul. de adult.* Continui verò sunt non interrupti, sed connexi, cohærentes: tam vtiles, quàm (vt ita loquar) inutiles H. *in comment. verb. Iur.* Iu verbo, dies alij. 3

g *Ex quo cognouerunt &c.* Ex quo decretum prætoris, aut testamentum parentis notum factum fuerit eis, *l. quinquaginta* 6. *C. de excus. tut.* Namque oportet certiores à magistratibus fieri aut coram, aut domi suæ, *l. scire* 15. §. *Qui autem suprà centum ff. eodem*. 3

h *Excusare se debent*. Ideſt, excusationem allegandam habent *l.* 1. §. *Si quis tutor ff. quando appell. sit*.

i *Cuiuscunque generis sint*. Siue testamentarij sint, siue legitimi, siue patroni, siue fiduciarij, siue à magistratibus dati tutores, siue etiam curatores simpliciter dati, siue per leges vocati. *Theoph. hic*. Quidam tamen existimant, quod legitimi tutores se excusare non possint, eò quòd ipso iure ex lege duodecim tabularum tutores existunt. Sed huic sententiæ aduersatur apertè, *l.* 1. *C. de legit. tut. l. si fororis* 9. *C. qui dare tut. vel cur poss. & Nouella* 118. *cap.* 5. 4

k *Si intra centesimum lapidem sunt*. Hoc est, intra centesimum miliarium, *l.* 1. §. *Inuito ff. de offic. præfec. Vrb.* Antiquitus enim miliaria lapidibus signabantur. *Plutarchus in C. Graccho*: Sin-

gula miliaria dimensa diligenter lapides columnis distinxit.

l *Ab eo loco, vbi tutores dati sunt* Idem si in ipso loco sunt, vbi creantur, *l. scire* 15. §. *Multa verò ff. h. t.*

m *Si verò vltra centesimum lapidem &c.* Legislator ei, qui ad tutelam, vel curationem vocatus est si vltra centum miliaria habitat, ad veniendum in locum vbi tutor vel curator datus est, dies singulos, ex quo se creatum cognouerit, in singula viginti miliaria dari iussit, & amplius alios triginta dies ad allegandas excusationum causas præbuit. Hæc tamen ità oportet obseruari, vt computatis itineris diebus & illis diebus triginta, habere possit tutor vel curator plus quàm quinquaginta dies, non tamen minus. Vide *l. scire* 15. §. *qui autem, & §. aliud etiam ff. h. t. & Theoph. hic.* 1

n *Dinumeratione facta &c.* Repete, excusare se debent dinumeratione facta &c.

Ad §. Datus autem. 2

Datus autem tutor, ad vniuersum (a) *patrimonium datus esse* (b) *creditur.*

a *AD vniuersum patrimonium &c.* Tamen excusare se potest, ne vltra centesimum lapidem tutelam gerat: nisi in eadem prouincia patrimonium pupilli sit, *l. propter litem* 24. §. *licèt ff. h. t.*

b *Datus esse creditur.* Principaliter enim datur personæ: patrimonio per consequentiam, vt dixi *ad.* §. *certa autem, Qui tes-* 3
tam. tut. dar. poss.

Ad §. Qui tutelam.

Qui tutelam alicuius gessit, inuitus (a) *curator eiusdem fieri non compellitur: in tantum, vt licet paterfamilias, qui testamento tutorem dedit, adiecerit se eumdem curatorem dare, tamen inuitum eum curam suscipere non cogendum, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.* 4

a *INuitus curator eiusdem &c.* Libertus tamen curam liberorum patroni suscipere cogitur, quamuis eorumdem tutelam administrauerit, *l. libertos* 5. *C. h. t.* Intellige verum si spontè per patronum fuit liberatus: secus si per fideicommissum, *l. nequaquam* 27. *ff. h. t.*

Ad

Ad §. Iidem reſcripſerunt.

Iidem reſcripſerunt, maritum vxori ſuæ curatorem datum excuſare (a) *ſe poſſe, licèt ſe* (b) *immiſceat.*

a E *Excuſare ſe poſſe* Hæc tamen impropriè eſt excuſatio: Nàm maritus curator vxori ſuæ creari non poteſt, *l. 2. C. qui dare tut. vel cur poſſ.* Quia non facilè cogi poſſet ad rationes reddendas *Pac. hic in Analy.* Immò non poteſt curator eſſe ſponſæ ſponſus, *l. 1. in fine ff. h. t.* Procurator autem maritus vel ſponſus poteſt eſſe vxoris ſuæ, vel ſponſæ, *l. 2. & l. maritus 21. C. de procur. gl. vlt. ind. l. 1.* Idque ea ratione, quia procuratoris reuocatio pendet ex mero & libero ipſius domini arbitrio: curator verò, non niſi certis quibuſdam ceſſat modis. Et ſi aliquo caſu reuocatur curator, id tamen raro ſine infamiæ macula *fit. Mynſ. hic ſub numer. 8.* Et hæc intelligenda ſunt in bonis Receptitijs veris hoc eſt in bonis illis quorum dominium vxor, cum dotem marito daret, ſibi recepit, ac reſeruauit *l. ſi ego, 10. §. 2. ff. de Iur. dot.* Nam in dote habet maritus dominium & diſponit, & agit, & conuenitur tanquam dominus, *l. doce ancillam 9. C. de rei vindic.* & in rebus ſuperdotalibus, quæ parapherna dicuntur, legitimam habet adminiſtrationem ita vt ſine vxoris mandato, & agere, & conueniri poſſit, *l. vlt. & ibi DD. C. de pact. conuen.* 1 2

b *Licet ſe immiſceat.* Alij curatores, vel tutores, qui excuſationem habentes ſe immiſcuerunt adminiſtrationi, poſtea excuſare ſe non poſſunt, *l. 2. C. Si tut. vel curat. falſ. alleg. &c.* 3

Ad §. Si quis autem.

Si quis autem falſis (a) *allegationibus excuſationem tutelæ* (b) *meruit, non eſt liberatus* (c) *onere tutelæ.*

a F *Alſis allegationibus.* Vel iniuſtis excuſationibus, *l. vlt. C. Si tut. vel cur. falſ. alleg.* Si verò tutor veris allegationibus, & iuſtis excuſationibus fuit abſolutus, periculum tutelæ ad eum non pertinet, *l. ſi tutor 22. C de excuſ. tut.* 4

b *Tutelæ.* Seù Curæ, *l. 1. C. ſi tut. vel cur. falſ. alleg.*

c *Non eſt liberatus onere tutelæ.* Sed exinde ad eum periculum adminiſtrationis pertinet, ex quo datus eſt, *d. l. 1.*

De

De suspectis tutoribus (a) vel curatoribus.

TITVLVS XXVI.

Sciendum est, (b) *suspecti crimen ex lege* (c) *duodecim tabularum descendere.*

a DE *suspectis tutoribus &c.* Quis dicatur suspectus tutor, vel curator, definitur *in* §. *Suspectus autem est. h. t.* Inter tutores autem & curatores tria sunt communia, satisdatio, excusatio, remotio. Meritò igitur præcedentibus titulis, in quibus dictum fuit de satisdatione, & excusatione tutorum, vel curatorum, subijcitur præsens titulus, in quo tractatur de remotione eorumdem. 1

b *Sciendum est suspecti crimen &c.* Crimen, hoc loco significat criminationem, siue accusationem: & in eadem significatione crimen accipitur *in l. propter veneni* 21. *in princ. ff. de Senat. conf. Syllan. & in l.* 2. *ff. ae concuss.* 2

c *Ex lege duodecim tabularum.* Cicero *in lib. de offic.* 3. sic scribit: Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, vt tutela 12. tabulis, & circumscriptio adolescentium lege Lætoria.

Ad §. Datum est autem.

Datum est autem ius remouendi tutores suspectos Romæ prætori, & in prouincijs (a) *præsidibus earum, & legato* (b) *proconsulis.* 3

a ET *in prouincijs præsidibus earum.* Nomen præsidis generale est, eo quod & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes prouincias regentes, præsides appellantur, *l.* 1. *ff. de offic. præsid.*

b *Et legato proconsulis.* Ciuilis cognitio de suspectis tutoribus eorumdemque remotio mandari potest, non solùm à proconsule, vt hic in textu, sed etiam à prætore, *l.* 1. §. *damus ff. de suspect. tut.* Imò etiam ex mandata generali iurisdictione, propter vtilitatem pupillorum, eam mandatam videri constitutum est, *l. cognitio* 4. *in princ. ff. de offic. eius &c.* Ergo simili modo & præses hanc cognitionem, & remotionem mandare poterit nec enim differentiæ ratio afferri potest. Criminalis verò accusatio mandari nequit, *l.* 1. §. *Suspecti ff. ad Senat. Consult. Turpil.* Vide *Pacium Legum Conciliatarum Cent.* 1. *q.* 53. 4

Ad

Ad §. Ostendimus.

Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere: nunc videamus, qui suspecti fieri possint. Et quidem omnes (a) *tutores possunt, siue sint testamentarij, siue non, sed alterius* (b) *generis tutores. Quare & si* (c) *legitimus sit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus, famæ* (d) *patroni* 1
parcendum, licet vt suspectus remotus fuerit.

a ET *quidem omnes tutores &c.* Et etiam adolescentis curator, aut furiosi, vel prodigi, vt suspectus remoueri potest, Sed & si quis curam ventris, bonorumue administrat: non carebit huius criminis metu, *l.3.§.non tantùm ff.h.t.*

b *Sed alterius generis tutores.* Siue legitimi sint, siue patroni, siue fiduciarij, siue à magistratibus dati.

c *Quare & si legitimus sit tutor &c.* Si tutor aliquo vinculo ne- 2
cessitudinis vel affinitatis pupillo coniunctus sit, vel si patronus pupilli liberti tutelam gerat, & quis eorum tutela remouendus videatur: optimum factum est, curatorem ei potius adiungi, quàm eumdem cum notata fide & existimatione remoueri, *l.si tutor 9.ff.de suspect.tut.*

d *Famæ patroni parcendum.* Verbis mitioribus temperata postulatione & sententia *Cuiac.hic.* Vide notata in præced. Nota.

Ad §. Consequens est. 3

Consequens est vt videamus, qui possint suspectos postulare. Et sciendum est, quasi (a) *publicam esse hanc actionem, hoc est, omnibus patere. Quinimò & mulieres admittuntur ex rescripto diuorum Seueri & Antonini: sed eæ solæ, quæ pietatis* (b) *necessitudine ductæ ad hoc procedunt: vt putà mater, nutrix* (c) *quoque, & auia possunt, potest & soror. Sed & si qua alia* (d) *mulier fuerit, cuius prætor propensam pietatem intellexerit, non sexus verecundiam egredientis, sed pietate productam, non continere iniuriam pupillorum, admittet eam ad accusationem.* 4

a QUasi *publicam esse hanc actionem.* Hæc actio est quasi publica: quia omnibus patet, vt hic in tex. Non est autem verè publica, quia non descendit ex vlla lege publicorum iudiciorum, *l.1.ff de pub.iud.* sed ex lege duodecim tabularum,

rum, *hoc cod.tit.in princ.Pac.hic in Analy.*

b *Pietatis necessitudine. Inl.*1.§.*Consequens ff.de suspect.tut.* legitur: pietate necessitudinis.

c *Nutrix*. Nàm & hæc quasi altera mater est.

d *Sed & si qua alia mulier fuerit, cuius prætor &c.* Huic lecturæ concordat *Textus in l.*1. §.*consequens est, de suspect. tut. in Pandect. Floren. Vulgata lectura d.*§.*consequens est,* & etiam nostri textus hæc est: Sed & si qua alia mulier fuerit, quam Prætor propensa pietate intellexerit, sexus verecundiam non egredientem, sed pietate productam non sustinere iniuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem. Apud Theophilum verò hoc loco sic legitur: Sed & si qua alia mulier fuerit, quam prætor pietatis studio eo venire viderit, ac non impudentia elatam, nec sexus verecundiam egredientem, sed pietate adductam non posse æquo animo iniuriam pupillorum ferre, admittet & eam ad accusationem. 1

Ad §. Impuberes.

2

Impuberes non possunt tutores suos suspectos postulare, puberes autem curatores suos ex (a) *consilio necessariorum suspectos possunt arguere; & ita Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.*

a EX *consilio necessariorum*. Ideſt cognatorum, *l. pietatis 6. in fine C.de suspect.tut.* Quod si necessariæ personæ detrectent vel consulere, vel consentire vt curatores postulentur suspecti, possunt puberes iudicis implorare officium. *Mynsh.hic.* 3

Ad §. Suspectus autem est.

Suspectus autem est, qui non ex fide tutelam gerit, licet (a) *soluendo sit, vt Iulianus quoque scripsit, Sed & ante quàm incipiat tutelam gerere tutor, posse* (b) *eum quasi suspectum remoueri idem Iulianus scripsit, & secundùm eum constitutum est.*

4

a LIcet *soluendo sit*. In postulandis suspectis tutoribus, seu curatoribus, non vires patrimoniorum principaliter, sed an nihil segniter, nihil fraudulenter geratur, perpendi oportet, *l.In postulandis.* 5.*C.de suspect.tut.*

b *Posse eum quasi suspectum remoueri*. Quia fortè in alia tutela malè versatus sit, *l.*3.§.*Si autem ff. h. t.* Vel quia moribus sit talis,

lis, vt non ex fide tutelam suscipiendam gesturus videatur, *l. Suspectum 8. ff. eodem.* Item si quis tutor datus non compareat, solet edictis euocari: nouissimèque si copiam sui non fecerit: vt suspectus remoueri, ob hoc ipsum, quòd copiã sui non fecerit: quod & perrarò, & diligenti habita inquisitione faciendum est, *l. Impuberibus 7. §. vlt. ff. eodem.*

Ad §. Suspectus autem remotus.

Suspectus autem remotus, si quidem ob dolum (a) *famosus* (b) *est: si ob culpam*, (c) *non æquè.*

a *Ob dolum.* Dolus malus est, omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, *l. 1. §. Dolum ff. de dolo malo.*

b *Famosus est.* Hoc est, infamis, *l. vlt. C. h. t.*

c *Si ob culpam, non æquè.* Culpa duplex est, alia lata, alia leuis. 2
Lata iterum duplex, alia, quæ dolo proxima est, dolumque habet admixtum, alia, quæ ex supina, & crassa ignoratione prouenit. Lata culpa dolo proxima est eius qui sciens prudens officium negligit, eam diligentiam in rebus alienis non adhibendo, quam in suis solet, fraude enim non caret, qui plus res alienas negligit, quàm proprias, *l. quod Nerua 32. ff. depositi.* Lata culpa, quæ ex ignoratione prouenit, est eius qui officium ideò negligit, quia non intelligit, & adeò negligit, vt non intelligat, quod omnes intelligunt, *l. cedere diem 213. §. vlt. l. Latæ 223. in princ. ff. de verb. sign.* quæ culpa, cum ex imperitia, ignorantia, rusticitate prouenit, dolo non æquiparatur. Leuis culpa est media inter latam culpam, & diligentiam. Et ille est in leui culpa, qui in rebus suis negligens est, eamdemque negligentiam, quam in suis adhibet, in alienis exercet: dummodò tamen in suis non ita sit negligens, vt ea faciat, quæ nullus faceret, & ea non intelligat, quæ omnes intelligunt: hoc enim casu esset in lata culpa, vt diximus. *Chesius Interpret. Iur. lib. 1. cap. 45. num. 3. cum seq.* Suspectus igitur remotus, si quidem ob 3
dolum, vel latam culpam dolo proximam, infamis est: Si ob latam culpam, quæ ex ignoratione prouenit, remoueatur, vel ob leuem, non efficitur infamis. *tex. hic, l. vlt. C. h. t. l. magna 226. ff. de verb. sign. l. quod Nerua 32. ff. depositi. l. 3. §. vlt. ff. h. t.* Decreto igitur debebit causa remouendi significari, vt appareat de existimatione. Quod si prætor non significauerit causam remotionis decreto suo, remotus non erit infamis, *l. hæ enim 4. ff. de*

suspect. tut. nisi ex dolo, vel lata culpa dolo proxima accusatus fuisset: tunc enim, quasi ex ea causa remotus, quæ in iudicio erat deducta, notaretur infamia.

Ad §. Si quis autem.

Si quis autem suspectus postulatur, quoad cognitio fineatur, interdicitur ei (a) *administratio, vt Papiniano visum est.* 1

a INterdicitur ei administratio. A Prætore, vel Præside, *l. quod si forte* 14. §. 1. *ff. de solut. l. eum quem* 7. *C. h. t.* Et alius interea in locum eius in administratione rerum ordinandus est, *dicta l. eum quem* 7. Sed & hac interdictione omissa, ipso iure administratio eidem accusato interim videtur interdicta: Vnde si sciens quis ei soluat, non rectè soluit, *dicta l. quod si forte* 14. §. 1. *ff. de solut.* 2

Ad §. Sed si suspecti.

Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor vel curator (a) *decesserit, extinguitur suspecti cognitio.*

a POsteàque tutor vel curator decesserit &c. Idem iuris est, si quouis alio modo fuerit finita tutela, vel cura, *l. post finitam* 11. *ff. hoc titulo.* Nàm cùm huius iudicij finis sit, vt tutor, vel curator remoueatur: quid opus est suspecti actionem peragere, morte vel alio modo finita tutela vel cura? 3

Ad §. Si quis tutor.

Si quis tutor copiam (a) *sui non faciat, vt alimenta pupillo* (b) *decernantur, cauetur epistola Diuorum Seueri & Antonini, vt in possessionem bonorum eius pupillus mittatur, & quæ mora deteriora futura sunt, dato* (c) *curatore distrahi iubentur. Ergo vt suspectius remoueri poterit, qui non præstat alimenta.* 4

a SI quis tutor copiam sui non faciat &c. Aduersus tutores, qui ne alimenta pupillo decernantur, sui copiam perseuerant non facere, Epistola Diuorum Seueri & Antonini præcipitur, vt suis rebus careant: reique seruandæ causa pupillus in possessionem mittatur bonorum eius, qui vt suprà latitando suspectum

ctum se fecit: quæque mota deteriora futura sunt, curatore dato distrahi iubentur. *tex.hic. l.Impuberibus 7. §.Præterea ff.h.t.*

b *Vt alimenta pupillo decernantur.* Arbitrio Prætoris alimenta pupillo præsente tutore decernenda sunt pro modo facultatum, & qualitate pupilli. *Vide l.2. C. de alim. pup. præst. & l. 3. ff. vbi pup. educ. vel mor. deb.*

c *Dato curatore.* Bonis tutoris. *Theoph.*

1

Ad §. Sed si quis præsens.

Sed si quis (a) *præsens negat propter inopiam alimenta posse decerni, si hoc per mendacium dicat, remittendum eum esse ad præfectum* (b) *vrbi puniendum*, (c) *placuit: sicut ille remittitur, qui data pecunia* (d) *ministeriis, tutelam redemit.*

a SED *si quis præsens &c.* Si tutor per mendacium negat propter inopiam alimenta pupillo posse decerni, vt suspectus remotus, ad præfectum vrbi puniendus remittitur, *l. 3. §. Tutor ff. hoc titulo, & l.1. §. Solent ff. de offic. præf. vrb.* 2

b *Ad Præfectum Vrbi.* Ad quem pertinebat punire criminosos *l.1. ff. de offic. præf. vrb.*

c *Puniendum.* Extra ordinem, *l. In eos 9. ff. de tutelis.*

d *Qui data pecunia ministeriis, tutelam redemit, l.3. §. Tutor ff. eodem titulo* Ministeriis autem, ideſt, officialibus & ministris prætoris, per quos fit inquisitio. *Cuiac. hic.*

3

Ad §. Libertus quoque.

Libertus quoque, si fraudolenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probetur, ad Præfectum (a) *Vrbi remittitur puniendus.*

a AD *Præfectum Vrbi remittitur puniendus.* Pœna corporali Præfecti Vrbis arbitrio. *Theoph. hic, iuncta l. Nisi eam 4. C. de admin. tut.* Et à Prætore ad Vrbis Præfectum remittebatur puniendus: quia pœnæ corporalis executio ad Prætorem non pertinebat. *Cuiac.* 4

Ad §. Nouissime.

Nouissimè sciendum est, eos, qui fraudulenter tutelam, vel curam administrant, etiam si satis (a) *offerant, removendos à tutela: quia*

satisdatio (b) *tutoris propositum maleuolum non mutat, sed diutiùs grassandi in re familiari facultatem præstat. Suspectum* (c) *enim eum putamus, qui moribus talis est*, (d) *vt suspectus sit. Enim vero tutor, vel curator, quamuis* (e) *pauper est, fidelis tamen, & diligens, remouendus non est* (f) *quasi suspectus.*

a *Etiam si satis offerant.* Vel etiam si iam satisdederint. Expedit enim pupillo rem suam saluam fore, potiùs quàm tabulas rem saluam fore cautionis habere, *l. suspectus* 5. *ff. de suspect. tut.* Nàm plus cautionis est in re, quàm in persona, *l. plus cautionis* 25. *ff. de reg. iur.* 1

b *Quia satisdatio tutoris propositum &c. l. Quia satisdatio* 6. *ff. h.t.*

c *Suspectum enim eum putamus &c. l. Suspectum* 8. *ff. eodem titulo.*

d *Qui moribus talis est, vt suspectus sit.* Quia vel malè gerit, vel malè gesturus videtur. Hic igitur remouendus est, quamuis locuples sit. Vide notata suprà ad §. *Suspectus autem est. h. t.*

e *Quamuis pauper est, fidelis tamen, & diligens.* Neque enim tam facultates in tutore seu curatore considerantur, quàm fides & diligentia, *l. In postulandis* 5. *C. de suspect. tut. l. Si creditores* 15. *ff. de priuileg. cred.* 2

f *Remouendus non est quasi suspectus.* Quòd si tutor vel curator ita egenus sit, vt in eius administratione pupilli, vel adulti substantia periclitetur: an ei adiungendus sit curator qui idoneus facultatibus sit, competens iudex æstimabit, *l. pietatis* 6. *C. de suspect. tut. vel cur.* Et quando tutor vel curator satisdare debet, si per inopiam satisdationem implere non potest, remouetur sine infamia, *l.* 1. *& 2. C. de tut. vel cur. qui sat. non ded.* 3

Finis Libri Primi Institutionum.

AVRELII

AVRELII AVGVSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Publici Bartoli Interpretis 1

AD LIBRVM SECVNDVM INSTITVTIONVM FL. IVSTINIANI CÆSARIS

Notæ, seù Breues Commentarij. 2

De rerum diuisione, & acquirendo ipsarum dominio.

TITVLVS PRIMVS.

Superiore libero (a) *de iure personarum exposuimus: modò videamus de rebus, quæ* (b) *vel in nostro patrimonio, vel extra patrimonium* 3 *nostrum habentur. Quædam enim naturali* (c) *iure communia sunt omnium, quædam publica, quædam vniuersitatis,* (d) *quædam nullius,* (e) *pleraque* (f) *singulorum, quæ ex varijs causis cuique adquiruntur, sicut ex subiectis apparebit.*

a *Superiore libro &c.* Omne ius, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. *princ. tit. Inst. de Iur. person.* Superiore libro de iure personarum exposuimus: modò 4 videamus dè rebus, acturi postea de actionibus.

b *Quæ vel in nostro patrimonio, vel extra patrimonium nostrum habentur.* Sensus est: Rerum alias priuatim ac propriè nostras esse posse, alias non posse. Vel hoc modo: Rerum alias in bonis nostris esse posse, alias non posse. Non ob-

stat,

stat, quod Paulus scribit in *l. 1. ff. de vsu & vsufr. leg.* nimirum seruitutes neque ex bonis, neque extra bona esse. Nàm respondetur, Paulum subtiliter bonorum appellationem ad ea reuocare tantùm, quæ possidentur: cum impropriè & pinguiùs seruitutes ex bonis nostris esse constet. *H. hic.*

c *Quædam enim naturali iure communia sunt omnium, quædam publica.* Naturali iure, ideſt, iure gentium. Distant autem publica à communibus proprietate tantùm, non vsu. Vsus enim 1
rerum publicarum communis est, sicut vsus rerum communium. Sed rerum publicarum proprietas est populi: nec omnibus æquè patet vt rerum communium proprietas. Videte exempla rerum communium, & rerum publicarum in §§. seq.

d *Quædam vniuersitatis.* Vniuersitatis dicuntur esse, quæ tam proprietate quàm vsu vnius sunt vniuersitatis, ciuitatis, vel populi. Vide exempla rerum Vniuersitatis in §. *Vniuersitatis, hoc cod. tit.*

e *Quædam nullius.* De rebus nullius videbimus infrà ad §. *Nullius, hoc tit.* 2

f *Pleraque singulorum, quæ ex varijs causis &c.* Quæ sunt singulorum acquiri possunt ex causis tam naturalibus, quàm ciuilibus. §. *Singulorum hoc cod. tit.*

Ad §. Et quidem.

Et quidem naturali (a) *iure communia sunt omnium hæc, aër, aqua* (b) *profluens, & mare,* (c) *& per hoc litora* (d) *maris. Nemo* (e) *igitur* 3
ad litus maris accedere prohibetur, dum tamen (f) *villis, & monumentis,* (g) *& ædificijs abstineat, quia non sunt iuris* (h) *gentium, sicut est mare.*

a *Naturali iure.* Ideſt, Iure gentium, vt in fine huius §.

b *Aqua profluens.* Aqua profluens nihil aliud est quàm aqua fluminis. Id tamen notandum est, flumen & aquam profluentem, intellectu ita discernenda esse, vt sit flumen, publicum nomen: aqua commune. Vsus verò vtriusque commu- 4
nis est. Et aquæ quidem, quatenus eam sumere, & vti: fluminis verò, quatenus in ipso piscari, & per ipsum nauigare cuique liberum est. *Cuiac. hic, & ad §. Flumina, h. t.*

c *Et mare.* Si quis in Mari piscari, vel nauigare prohibeatur, aduersus prohibentem, iniuriarum actionem habebit. Nàm mare commune omnium est, *l. 2. §. Si quis in mari ff. ne quid in*

loc.

loc. pub. l. Iniuriarum 13. §. *Si quis me prohibeat ff. de iniur.*

d *Et per hoc litora maris.* Quia litora sunt pars aluei maris. Est autem litus maris, quatenus Hybernus fluctus maximus excurrit §. *Est autem h. t.* Et quod dicitur litora esse publica, vt *l. Si epistolam* 65. §. *Si qua insula ff. de acquir. rer. dom.* Sic est accipiendum, vt vsu sint publica iuris gentium sicut mare. §. *Litorum quoque, hoc tod. tit.*

c *Nemo igitur ad litus maris &c.* Vide infrà ad §. *Litorum quoque h. t.* 1

f *Dum tamen villis.* Ædificia rustica villæ dicuntur, *l. fundi appellatione* 211. *ff. de verb. sig.*

g *Et monumentis.* *Vlpianus in l.* 2. §. *Monumentum ff. de relig. & sumpt. fun.* Monumentum est, quod memoriæ seruandæ gratia existit. *Florentinus in l. monumentum* 42. *ff. eod.* Monumentum generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita: in qua si corpus vel reliquiæ inferantur, fiet sepulchrum: si verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ causa fa- 2
ctum, quod Græci κενοτάφιον appellant.

h *Quia non sunt iuris gentium.* Quia non sunt communia, sed eorum, qui ædificauerunt, *l. quod in litore* 14. *ff. de acq. rer. dom.*

Ad §. Flumina autem.

Flumina (a) *autem omnia, & portus* (b) *publica* (c) *sunt. ideòque* (d) *ius piscandi omnibus commune est in portu, fluminibusque.* 3

a *Flumina autem omnia.* Intellige flumina perennia. Publicum enim flumen esse Cassius definit, quod perenne sit. Et perenne est, quod semper fluit, *l.* 1. §. *Flumen, &* §. *Fluminum ff. de Fluminibus.*

b *Et portus.* Portus apud antiquos appellatus est conclusus locus, quo importantur merces, & inde exportantur. Hinc à similitudine, portus appellari cœpta est, nauium statio, qua incluſæ naues à ventis tutæ essent: isque frequentissimus est huius vocis significatus, *l. portus* 59. & ibi *Alciatus ff. de verb. sig.* 4

c *Publica sunt.* Vsu publica sunt iuris gentium, idest, communia, *l. adeò* 7. §. *Quod si toto ff. de acquir. rer. dom. l. fluminum* 24. *in princ. ff. de dam. inf.* Proprietate autem publica sunt Iuris ciuilis; nàm fluminum & portuum proprietas est populi: nec omnibus æquè patet vt rerum communium proprietas. *Cuiac. hic.*

d *Ideoque ius piscandi &c.* Ius piscandi in portu fluminibusque omni-

omnibus commune est. Quod tamen non obtinet, si diuersum vel Principis voluntate sit constitutum, vel longissima temporis præscriptione, cuius initium non extat, aut denique consuetudine contrarium fuerit receptum. *Mynsh. hic sub num. 5.*

Ad §. Est autem.

Est autem (a) *litus maris, quatenus Hybernus* (b) *fluctus maximus excurrit.* 1

a *EST autem litus maris &c. In l. litus 96. ff. de verb. sig.* Litus est, inquit Celsus, quoúsque maximus fluctus à mari peruenit.

b *Hybernus fluctus maximus.* Hyeme enim maximi æstus fiunt, dum vis ventorum idcircò magna est, quia Sol qui procul abest, minus habet virium: vt scribit Aristoteles multis locis. *H.*

Ad §. Riparum quoque. 2

Riparum (a) *quoque vsus publicus est* (b) *iuris gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque nauem ad eas adplicare,* (c) *funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen nauigare: sed proprietas* (d) *earum illorum est, quorum prædijs hærent. qua de causa* (e) *arbores quoque in ijsdem natæ eorumdem sunt.*

a *RIparum quoque.* Ripa ita rectè definitur, id quod flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens, *l. 1. §. Ripa autem ff. de flumin.* Item, Ripa ea putatur esse, quæ plenissimum flumen continet, *l. 3. ff. eod.* 3

b *Publicus est iuris gentium.* Idest, communis, *l. fluminum 24. in princ. ff. de dam. infec.*

c *Adplicare.* Aliàs, adpellare. Concordat *l. Riparum 5. ff. de ver. diuis.*

d *Sed proprietas earum &c.* Proprietas riparum illorum est, qui prope ripas prædia possident, quibus potissimum & earum muniendarum onus incumbit. *tex. hic,* & ibi *Cuiac. in verbo publicus.* 4

e *Quæ de causa arbores quoque &c.* Subiecto enim solo, cedit superficies. *Theoph.*

Ad

Ad §. Litorum quoque.

Litorum quoque vsus publicus (a) *iuris gentium est, sicut ipsius maris, & ob id quibuslibet* (b) *liberum est casam ibi ponere, in quam se recipiant: sicut retia siccare, & ex mari reducere. Proprietas* (c) *autem eorum potest intelligi* (d) *nullius esse, sed eiusdem iuris esse, cuius & mare, & quæ subiacent mari, terra, vel arena.* 1

a *Vblicus iuris gentium est.* Ideſt, communis, *l. Fluminum 24. in princ. ff. de dam. infec.*

b *Et ob id quibuslibet liberum est casam &c.* Quibuslibet liberum est casam in litore ponere, in quam se recipiant. *tex. hic, l. riparum 5. in fine ff. de rer. diu.* In tantum, vt & soli domini constituantur, qui ibi ædificant: sed quandiù ædificium manet: alioquin ædificio dilapso quasi iure postliminij reuertitur locus in pristinam causam, & si alius in eodem loco ædificauerit, eius fiet, *l. In tantum 6. ff. eod.* 2

c *Proprietas autem eorum &c.* Dixit Iustinianus in §. *Præcedenti Riparum vsum esse communem.* Sed proprietas earum illorum esse, quorum prædijs hærent. In hoc autem §. *Ait, litorum vsum, & proprietatem esse communem.* Neque enim existimandum est aliam esse quæstionem de litore, aliam de litoris vsu. Sed dicendum natam esse hic in textu hanc totam disputationem de litorum vsu & proprietate, propter riparum similitudinem, quarum proprietatem Iustinianus ab vsu separauit in superiori §. 3

d *Potest intelligi nullius esse. Paulus in l. litora 51. ff. de contrahen. empt.* Litora, quæ fundo vendito coniuncta sunt, in modum non computantur: quia nullius sunt: & iure gentium omnibus vacant. Cæterum litora, quantum ad protectionem & iurisdictionem attinet, eius iurisdictionis intelliguntur, cuius vicinum est territorium. *Mynſ. hic.*

Ad §. Vniuersitatis. 4

Vniuersitatis (a) *sunt, non singulorum, veluti quæ in ciuitatibus sunt, theatra,* (b) *stadia,* (c) *& similia,* (d) *si qua alia sunt communia* (e) *ciuitatem.*

a *Vniuersitatis sunt &c.* Quæ sunt vniuersitatis, ea tam proprietate quàm vsu vnius sunt vniuersitatis, ciuitatis, vel

populi, vt theatra, stadia, & similia. Sunt & quædam vniuersitatis, quæ in vsu non sunt publico, sed in bonis & patrimonio populi, vt puta serui publici, eorumque peculia. *Cuiac.*

b *Theatra.* Theatrum est ædificium in semicirculi speciem factum, ad videnda spectacula destinatum.

c *Stadia.* Stadium locus est, vbi decurritur. Latinè decursorium dici potest.

d *Et similia.* Veluti, Balnea, Porticus.

e *Communia ciuitatum.* Distant igitur ea quæ Vniuersitatis sunt, à publicis, quia publica communia sunt omnium hominum: Vniuersitatis verò communia tantùm ciuitatum: illa Iure gentium vsibus omnium, hæc Iure Ciuili vsibus ciuium deseruiunt. *Cuiac.* 1

Ad §. Nullius.

Nullius autem sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ: quod enim (a) *diuini iuris est, id nullius in bonis est.* 2

a *Quod enim diuini iuris est &c.* Res, quæ sunt diuini iuris, ita nullius sunt, vt nec vllius fieri possint. §. 1. *Inst. de Inutil. stip.* Res autem profanæ, quæ nullius sunt, veluti, res communes, alicuius fieri possunt. §. *litorum. h. t.* Ideòque subtilissimè ac verissimè ea tantùm dicuntur nullius, quæ diuini iuris sunt, vt in hoc §. *Ex Cuiac. & H.*

3

Ad §. Sacræ.

Sacræ (a) *res sunt, quæ ritè* (b) *per Pontifices* (c) *Deo consecratæ sunt: veluti ædes sacræ, & donaria* (d) *quæ ritè ad ministerium Dei dedicata sunt: quæ etiam per nostram* (e) *Constitutioaem alienari, & obligari prohibuimus excepta causa* (f) *redemptionis captiuorum. Si quis verò auctoritate* (g) *sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum. Locus autem in quo ædes sacræ sunt ædificatæ etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet, vt & Papinianus* (h) *rescripsit.* 4

a *Sacræ res sunt &c.* Hæ res hodie sacræ nuncupantur, quæ ritè per Episcopos Deo consecratæ sunt, *cap. 1. de relig. dom.*

b *Ritè.* Idest, solemniter.

c *Per Pontifices,* Seù per Principem, *l. Sacra non a ff. de ver. diu.*

Quia

Quia Romanis Principibus Pontificatus Maximus decernebatur à Senatu *Capitol.in Max.& Balb.verſ.decretis ergo. Vopiſ. in Prob.verſ.Decerno igitur.* De Pontificibus, & Pontifice Maximo Vide *Fenceſtel.de Sacerd.Rom.cap.8.*

d *Et donaria.* Et dona, veluti, vaſa, veſtes.

e *Per noſtram Conſtitutionem. l. Sancimus* 18. *C.de Sacroſanctis Eccleſijs.*

§ *Excepta cauſa redemptionis captiuorum.* Quoniam non abſurdum eſt animas hominum quibuſcumque vaſis vel veſtimentis præferri, Item excepta cauſa famis, *d. l. Sancimus.* Nàm aurum Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus. *c.aurum* 12. *q.* 1. Prætereà ſi habeat Eccleſia ſuperflua vaſa, cuius debitrix ſit: nec aliunde ſoluere poſſit ne quid immobile alienetur vel diſtrahatur, poſſunt vaſa alienari, quo magis debitum perſoluatur. *A. prætereà C. de Sacroſ. Eccleſ.* Omni tamen caſu, quo ſupradictæ res alienari poſſunt, alienatio non aliter permittitur, quàm ſeruatis ſolemnitatibus à Iure præſcriptis. 1 2

g *Si quis verò auctoritate ſua &c. Martianus in l. In tantùm* 6. §. 1. *ff.de rer.diu.* Sacræ res ſunt, quæ publicè conſecratæ ſunt, non priuatim.

h *Vt & Papinianus reſcripſit. l.Aede ſacra* 73. *ff.de contrab.empt.*

Ad §. Religioſum.

Religioſum (a) *locum vnuſquiſque ſua voluntate facit, dum mortuum* (b) *infert in locum ſuum. In communem autem locum purum* (c) *inuito ſocio inferre* (d) *non licet, in commune verò ſepulchrum* (e) *etiam inuitis cæteris licet inferre. Item ſi alienus vſusfructus eſt, proprietarium* (f) *placet, niſi conſentiente vſufructuario, locum religioſum* (g) *non facere. In alienum locum* (h) *concedente domino licet inferre, & licet poſtea* (i) *ratum habuerit, quàm illatus eſt mortuus, tamen religioſus ſit locus.* 3

a *Religioſum locum &c.* Non tamen totus, qui ſepulturæ deſtinatus eſt locus, religioſus fit, ſed quatenus corpus humatum eſt, *l.*2.§.*Sepulchrum ff. de relig.& ſumpt.funer.* Et cum in diuerſis locis ſepultum eſt, Paulo videtur, illum eſſe religioſum locum, vbi quod principale eſt, conditur: ideſt, caput, *l.cum in diuerſis* 44.*ff.de relig. & ſumpt. funer.* Et etiam hodie hæc eiuſmodi religioſitas impediet loci alienationem. Iure vero Ca- 4

nonico, vt locus fiat religiosus, requiritur auctoritas Episcopi.

Nota in addit. ad gl. 1. hic.

b *Dum mortuum infert.* Et perpetuæ sepulturæ tradit. Si quis enim eo animo corpus intulerit, quod cogitaret inde alio postea transferre: manebit locus profanus, *l. Si quis enim 40. ff. de relig. & sumpt. funer.*

c *Purum.* Purus autem locus dicitur, qui neque sacer, neque sanctus, neque religiosus: sed ab omnibus huiusmodi nominibus vacare videtur, *l. 2. §. purus ff. de relig. & sumpt. funer.* 1

d *Inferre non licet.* Extraneos. *Callistratus in l. Si plures 41. ff. de relig. & sumpt. fun. Si* plures sint domini eius loci, vbi mortuus infertur: omnes consentire debent, cum extranei inferantur. Nam ex ipsis dominis quemlibet rectè ibi sepeliri constat etiam sine cæterorum consensu: maxime cum alius non sit locus, in quo sepeliretur.

c *Sepulchrum.* Sepulchrum est, vbi corpus ossaue hominis condita sunt, *l. 2. §. sepulchrum ff. de relig. & sumpt. funer.* 2

f *Proprietarium placet &c.* Et è contrario vsufructuarius, nisi consentiente proprietario, locum religiosum non facit.

g *Locum Religiosum non facere.* Nisi fortè ipsum, qui vsumfructum legauit, intulerit: cùm in alium locum inferri tàm opportunè non posset, *l. 2. §. Si vsumfructum ff. de relig. & sumpt. fun. l. locum 20. ff. de vsufruct.*

h *In alienum locum concedente domino &c.* Is verò, qui non concedente domino intulit mortuum in alienum locum, aut id tollere, quod intulit, aut loci pretium præstare cogitur per 3
in factum actionem: quæ tàm heredi, quam in heredem competit, & perpetua est, *l. Is, qui intulit 7. ff. de relig. & sumpt. funer.* Ossa tamen, quæ ab alio illata sunt, vel corpus, domino loci effodere, deleruere non licet sine decreto Pontificum, seù iussu principis: alioquin iniuriatum actio aduersus eum erit, *l. ossa 8. ff. de relig. & sumpt. funer.*

i *Et licet postea ratum habuerit &c.* In alijs cum negatione legitur: Et licet postea ratum non habuerit &c. Existimant autem Interpretes, ratum non habere hoc loco significare, eum, qui 4
concesserat, pœnituisse. Sed falli eos & Florentini libri in *l. Intantum 6. §. Religiosum ff. de rer. diuis.* & Theophylus Græcus institutionum Interpres manifestò ostendunt. Est enim hoc loco Ratum habere: Acceptum habere: vt illa stipulatio, Ratam rem dominum habiturum. *princ. tit. Inst. de satisdat.* Atque ita huius loci sententia erit: Locum religiosum fieri, quamuis

non

non concedente domino illatus sit mortuus ; modo id ratum, posteà dominus habuerit. *Anton. August. Emend. l. 1. cap. 2.*

Ad §. Sanctæ.

Sanctæ (a) *quoque res, veluti* (b) *muri & portæ, quodammodo* (c) *diuini iuris sunt: & ideò nullius in bonis sunt. Ideò autem* (d) *muros sanctos dicimus, quia pœna* (e) *capitis constituta fit in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideò & legum eas partes, quibus pœnas cõstituimus aduersus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus.* 1

a **Sanctæ quoque &c.** Sanctum est, ait *Martianus in l. sanctum 8. ff. de rer. diuis.* quod ob iniuria hominum defensum, atque munitum est. *Vlpianus verò in l. Sacra 9. §. propriè ff. eod.* Propriè, inquit, dicimus sancta, quæ nec sacra, nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: vt leges sanctæ sunt: sanctione enim quadam subnixè sunt. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id Sanctum est, & si Deo non sit consecratum. Et interdum in sanctionibus adijcitur, vt qui ibi aliquid commisit, capite puniatur. Hæc Vlpianus. Igitur à sanciendo sanctum dicitur, quod etiam testatur *Aggen. Vrbic. in Comment. in Iul. Front.* Neque Martiano est assentiendum, qui à sagminibus hoc verbum deducit *in d. l. Sanctum 8. ff. de rer. diuis.* 2

b *Veluti muri.* In municipijs quoque muros esse sanctos, Sabinum rectè respondisse, Cassius refert; prohiberique oportere, ne quid in his committeretur, *l. Sanctum 8. in fine ff. de rer. diuis.* 3

c *Quodammodo diuini iuris sunt.* Non planè diuini iuris muros esse dixit, sed quodammodo. Nàm res sacræ Deorum propriè sunt, iisque dicatæ atque assignatæ. Religiosæ, Deorum Manium sunt. Itaque D.M. in sepulchris addi solitum, nemo ignorat. Muros verò Deorum fuisse, non legimus. H. hic. Igitur Sanctæ res quodammodo diuini iuris sunt. Hoc est, aliquo modo, seù impropriè, quasi diceret: Sanctæ res verè non sunt diuini iuris, sed aliquo respectu, vt cum vulgo loquamur, diuini iuris dici possunt: quemadmodum enim sacræ & religiosæ res violari nequeunt, ita nec sanctæ. *Mynsh. hic.* 4

d *Ideo autem muros sanctos &c.* Et etiam portas ideò sanctas dicimus, quia portæ violari non magis possunt, quam muri.

e *Quia pœna capitis &c.* Si quis violauerit muros capite punitur, sicut si quis transcendat scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam Ciues Romanos aliàs, quàm per portas egredi non

non licet: cum id hostile & abominandum sit. Nàm & fratet Romuli Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit, *l. vlt.ff.de rer.diuis.* Similiter si quis vallum transcendat, aut per murum castra ingrediatur: capite punitur, *l.3. §.In quelloff.de re milit.*

Ad §. Singulorum autem:

1

Singulorum (a) *autem hominum multis modis res fiunt. quarumdam enim rerum dominium nanciscimur iure* (b) *naturali, quod, sicut diximus,* (c) *appellatur ius gentium, quarumdam* (d) *verò iure Ciuili. Commodius est itaque à vetustiori iure incipere. palam est autem, vetustius esse ius naturale, quod cum* (e) *ipso genere humano rerum natura prodidit. ciuilia enim iura tunc esse cæperunt, cum & ciuitates condi, & magistrati creari & leges scribi cæperunt.*

a *Singulorum autem &c.* Singulorum res dicuntur, quæ cuique naturali aut ciuili iure acquisitæ sunt. 2

b *Iure naturali.* Communi omnium hominum Iure, *l. omnes populi 9. ff. de Iust.& iur.*

c *Quod, sicut diximus, appelatur Ius gentium.* Hæc verba referenda sunt ad §. Ius autem ciuile *Inst. de Iur.nat. gent. & ciu.* Naturale autem Ius interpretatur quod hominum duntaxat, non etiam bestiarum, inter se commune est. Nam hoc libro Iuris ciuilis secundam partem quæ in rebus, vel acquirendis vel alenandis posita est, tractamus. Eius autem iuris bestiæ par- 3 ticipes non sunt *H.*

d *Quarumdam verò Iuri ciuili.* Ideſt, iure proprio ciuitatis nostræ. *l.1.ff.de acquir. rer.dom.*

e *Quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit.* Hoc falsum est, si quæ Iuris gentium esse dicuntur, spectemus: veluti bella, seruitutes, & contractuum varia genera. Sed hoc loco Iustinianus ad acquirendi dominij modos sine dubio respexit. Nam occupatio, quam mox primam explicabit, simul cum humano genere instituta est *H.hic.* Vel potius dicamus, quod 4 Iustinianus ideò cum ipso genere humano proditum dicit Iusgentium, quòd ratione innata constitutum sit. Deus namque rationem infudit sapienti, quæ multiplicato humano genere, & crescente improbitate, rerum diuisionem, bella, seruitutes, & contractuum varia genera suaderet. Vide *Eguinar. Baron,hic,*

Ad

Ad §. Feræ igitur bestiæ.

Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, idest, omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra nascuntur, (a) *simulatque ab aliquo capta fuerint, iure gentium statim illius esse incipiunt. quod enim* (b) *antè nullius est, id naturali* (c) *ratione occupanti conceditur. nec interest, feras bestias* (d) *& volucres utrum in suo fundo quisque capiat, an* 1
in alieno. Planè qui in alienum fundum ingreditur venandi (e) *aut aucupandi gratia, potest à domino,* (f) *si is prænuiderit, prohiberi, ne ingrediatur. Quidquid autem eorum ceperis, eò usque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur: cum verò euaserit custodiam tuam, & in naturalem libertatem se receperit, tuum esse desinit, & rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, vt difficilis* (g) *sit eius persecutio.*

2

a *Nascuntur. In l. 1. ff. de acquir. rer. dom.* legitur capiuntur.

b *Quod enim autè nullius est &c.* Hæc ratio valet solùm in his rebus nullius, quæ alicuius fieri possunt. Et ideò res profanæ, quæ nullius sunt, occupanti quidem conceduntur, *vt hic in tex.* Sed res, quæ sunt diuini iuris, quamuis nullius sint §. *Nullius h. t.* tamen occupanti non conceduntur, quoniam ità nullius sunt, vt nec vllius fieri possint, §. 1. *Instit. de Inutil. stip.*

c *Id naturali ratione &c.* Hoc igitur ius acquirendi, cùm sit naturale, & diuina prouidentia constitutum, manet immutabile: idest, ab eo in totum nunquam recedit lusciuile. Modum tamen præscribit, pro loco, pro tempore, pro personarum conditione, pro moribus cuiusque regionis: vt quod in genere iustum sit, in singulis quoque partibus recta ratione sapientis regatur, & rebus communibus homines sine iniuria vtantur. *Baro hic.* 3

d *Nec interest, feras bestias & volucres &c.* Pisces autem hoc loco non nominantur: propterea quòd piscari in alieno lacu vel stagno ius non est. Et hæc est quorundam sententia per *tex. in l. Iniuriarum 13. in fine ff. de iniur.* Sed alij putant, quod vt in aliena sylua vel agro venari & aucupari possum, ni dominus prohibeat, ita & in alieno lacu vel stagno piscari. Et hoc colligunt, *ex l. 3. Item feras ff. de acquir. possef. Vide Cuiac. obseruat. lib. 4. c. 2.* 4

c *Ve-*

c *Venandi aut aucupandi gratia*. Qui verò in alienum fundum ingreditur glandis legendæ causa, quæ ex eius agro in alienum cadit, prohiberi non potest, *l. vnica ff. de gland. leg.* Neque prohiberi potest qui in alienum fundum ingreditur causa requirendi fugitiuum, *l. 1. ff. de seru. fug.*

f *Potest à domino, si is præuiderit, prohiberi ne ingrediatur*. Sed si antequam dominus prohibuerit, fuerit ingressus, non poterit prohiberi venari, aut aucupari, *l. Iniuriarum 13. §. vlt. ff. de Iniur.* Quod si domino prohibente ingressus fuerit, quamuis capta iure gentium ipsius efficiantur, tamen poterit iniuriarum actione conueniri. *gl. in l. Diuus Pius 16. ff. de seruit. rust. præd.* 1

g *Vt difficilis sit*. Verbum difficilis accipio in significatione propria; quia nulla ratio suadet, vt à vocabuli proprietate recedā: quamuis. Accursius accipiat pro impossibili. *Pac. hic in Analy.*

Ad §. Illud quæsitum est. 2

Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, vt capi possit, statim tua esse intelligatur, quibusdam (a) *placuit, statim esse tuam & eo vsque tuam videri donec eam persequaris. quòd si desieris persequi, desinere tuam esse, & rursus fieri occupantis. Alij non aliter putauerunt tuam esse, quam si eam* (b) *ceperis. Sed posteriorem* (c) *sententiam nos confirmamus, quia multa accidere possunt, vt eam non capias.*

a *Quibusdam placuit*. Trebatio scilicet, *l. naturalem 5. §. Illud quæsitum ff. de acquir. rer. dom.* 3

b *Quam si eam ceperis*. Vt enim dominium iure gentium acquiratur, necessaria est corporalis apprehensio, *l. 1. & 3. §. Neratius ff. de acquir. vel amit. poss.*

c *Sed posteriorem sententiam nos confirmamus*. Hodiè magis receptum videtur inter venatores, quod, & si nondum mea sit fera, non liceat tamen alteri eam eripere, meque persequentem insidiosè anteuertere. *Mynsi. hic.*

Ad §. Apium quoque. 4

Apium (a) *quoque natura fera est. Itaque apes, quæ in arbore tua consederint, antequam* (b) *à te aluco includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quàm volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. idcòque, si alius eas incluserit, is earum* (c) *dominus erit. Fauos* (d

quo-

quoquè si quos (e) *effecerint, quilibet* (f) *eximere potest. Planè integra re, si preuideris ingredientem fundum tuum, poteris* (g) *eum iure prohibere, ne ingrediatur. Examen* (h) *quoque, quod ex alueo tuo euolauerit, eo vsque intelligitur esse tuum donec in conspectu tuo est, nec* (i) *difficilis eius est persecutio: alioquin. occupantis fit.*

a *Apium quoque &c.* Apium constat feram esse naturam §. *Pauonum, h. t. l. naturalem* 5. §. *pauonum ff. de acquir. rer. dom.* 1

b *Antequam à te aluco includantur.* Apes verò, quæ ex alueis nostris euolant, & secundum consuetudinem redeunt, à nobis possidentur, *l.* 3. §. *Item feras ff. de acquir. vel amit. possess.* Et in patrimonio nostro computantur, ac nostræ sunt tandiu, quandiu consuetudinem habeant ad nos reuertendi. Quare si quis eas apprehendisset, furti nobis competit actio, *l. Pomponius* 8. §. *Idem Pomponius ff. famil. ercis.* Alueus autem, Capsella est in qua apes includuntur.

c *Is earum dominus erit.* Nec tenetur tibi furti, quia non fecerunt tuæ, *l. si apes* 26. *ff. de furtis.* 2

d *Fauos quoque.* Faui sunt domus, cellæque apium. *Plinius lib.* 11. *cap.* 6.

e *Si quos effecerint. In l. naturalem* 5. §. *apium ff. de acquir. rer. dom. legitur:* Si quos hæ fecerint.

f *Quilibet eximere potest.* Sine furto, *dicta l. naturalem* 5. §. *Apium.*

g *Poteris eum iure prohibere &c.* Vide supra ad §. *feræ igitur bestiæ, hoc cod. tit.* In verbo, *Potest à domino &c.* 3

h *Examen quoque.* Est autem examen noua apium soboles.

i *Nec difficilis.* Vide suprà ad §. *feræ igitur bestiæ, h. t.* in verbo, *Vt difficilis sit.*

Ad §. Pauonum.

Pauonum & columbarum fera natura est: nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine auolare & reuolare solent. Nam & apes idem faciunt, quarum (a) *constat feram esse naturam. Ceruos* (b) *quoque* 4 *ita quidam manuetos habent, vt in syluas ire & redire soleant: quorum & ipsorum feram esse naturam nemo negat. In ijs autem animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent talis regula comprobata est: vt* (c) *eo vsque tua esse intelligantur, donec animum reuertendi habent. nam si reuertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Reuertendi autem*

animum videntur desinere habere tunc, cum reuertendi consuetudinem deseruerint.

a Q*Varum constat &c. l. naturalem 5. §. Pauonum ff. de acquir. rer. dom.*

b *Ceruos quoque &c.* Exemplum cerui ita mansueti, vt in syluas iret & rediret, extat apud Virgilium *lib. 7. Aeneidos.*

Ceruus erat forma præstanti, & cornibus ingens: 1
Tyrrheidæ pueri, quem matris ab vbere raptum
Nutribant &c.

Et infrà.

Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat syluis, rursùsque ad limina nota,
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.

c *Vt eousque tua esse &c.* Quare si quis ea apprehendisset, tibi furti competit actio, *l. Pomponius 8. §. Idem Pomponius ff. famil. ercis.* Et rei vindicatio. *Theoph. hic.* 2

Ad §. Gallinarum autem.

Gallinarum autem & anserum non est fera natura: idque ex eo possumus intelligere, quòd aliæ sunt gallinæ, quas feras vocamus: item alij anseres quos feros appellamus: ideòque si anseres tui, aut gallinæ tuæ, aliquo (a) modo turbati, turbatæue euolauerint, licet, conspectum (b) tuum effugerint, quocunque tamen loco sint, tui. tuæue esse intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia retinet, fructum (c) committere intelligitur. 3

a A*Liquo modo. In l. naturalem 5. §. gallinarum ff. de acquir. rer. dom.* legitur, quolibet modo. Cuiacius verò legit, aliquo casu.

b *Licet conspectum tuum effugerint.* Quamuis adeò longius euolauerint, vt ignoremus vbi sint, *d. l. naturalem 5. §. gallinarum ff. de acquir rer. dom.*

c *Furtum committere intelligitur DD.* hinc colligunt propter rem modicam, quæ lucrandi animo interuersa fuerit, actionem furti competere, vt propter gallinam, propter anserem. Hoc quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est. Prætor igitur, à quo famosa postulabitur actio, videbit, vt summum ius summam iniuriam non faciat H. 4

Ad

Ad §. Item ea, quæ ex hostibus.

Item ea, quæ (a) *ex hostibus capimus, iure gentium statim* (b) *nostra fiunt: adeò quidem, vt & liberi* (c) *homines in seruitutem nostram deducantur: qui tamen, si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum* (d) *statum recipiunt.*

a *Item ea, quæ ex hostibus.* Hostes sunt, quibus bellum publicè Populus Romanus decreuit, vel ipsi Populo Romano, *l. hostes 24. ff. de captiuis.* 1

b *Statim nostra fiunt.* Mobilia fiunt occupantiũ immobilia publicantur *l. transfugã 51. ff. de acqu. rer. dom. l. si captiuus 20. ff. de captiuis.*

c Vt & liberi homines in seruitutem nostram deducantur. Vide *notata supra in tit. de Iur. pers. ad §. Seruitus autem, & ex Mynsin. hic sub num. 4.* nota quod consuetudine generali apud omnes Christianos receptum est, etiam tùm, cum iusta causa belli prætenditur, captiuos non fieri seruos. Hoc enim iure contra immanissimos tantùm hostes Turcas & Saracenos vtimur: qui vicissim nostros, si quando capiunt, in inclemen tissimam durissimamque seruitutem redigunt. 2

d *Pristinum statum recipiunt*, Iure postliminij. Sicuti enim Ciues Romani, qui ab hostibus capti sunt, si reuersi fuerint, omnia pristina iura recipiunt iure postliminij. *§. Si ab hostibus, Inst. Quib. mod. ius pot. sol.* Ita hostes, qui à nobis capti sunt, si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt iure postliminij, *l. Postliminium 19. ff. de captiuis.* 3 Pristinum, inquam, statum recipiunt: hoc est, si ingenui erant, non libertini fiunt, quasi seruitute liberati: sed captiuitatis extincta deletaque memoria, ingenuitatis iure fruuntur. *H.*

Ad §. Item lapilli.

Item lapilli, (a) *& gemmæ, &* (b) *cætera, quæ in litore inueniuntur, iure* (c) *naturali statim* (d) *inuentoris fiunt.*

4

a *Item lapilli, & gemmæ.* Gemmas Seruius à lapillis eò distinguebat, quòd gemmæ essent perlucidæ materiæ: veluti, smaragdi, chrysoliti, & amethysti. Lapilli autem contrariæ superioribus naturæ, vt obsidiani, veientani, *l. & si non sunt 21. §. Gemmæ autem ff. de aur. & arg. leg.*

b *Et cætera.* Quæ nullius sunt, & Iure gentium omnibus vacant.

c *Iure naturali*. Ideſt, Iure gentium: vt ſuprà eodem §. *Singulorum*.

d *Statim inuentoris fiunt*. Eius fiunt, qui primus eorum poſſeſſionem nactus eſt, *l.1. ff. de acquir. vel amit. poſſeſs.*

Ad §. Item ea, quæ ex animalibus.

Item ea, (a) *quæ ex animalibus dominio tuo ſubiectis nata ſunt, eodem* 1
iure tibi adquiruntur.

a ITem ea, *quæ ex animalibus &c.* Etiam partus, qui ex ancillis dominio noſtro ſubiectis nati ſunt, iure gentium nobis acquiruntur. §. *penult. Inſt. de Iur. perſ. l. vlt. ff. de acquir. rer. dom.*

Ad §. Prætereà.

Prætereà (a) *quod per alluuionem agro* (b) *tuo flumen adiecit, iure gen-* 2
tium tibi adquiritur. Eſt autem alluuio incrementum (c) *latens. Per alluuionem autem id videtur adici, quod ita paulatim adiicitur, vt intelligere non poſſis, quantum quoquo momento temporis adiiciatur.*

a PRætereà *quod per alluuionem*. In agris limitatis ius alluuionis locum non habere conſtat, *l. In agris 16. ff. de acquir. rer. dom.* Item in lacubus & ſtagnis alluuionis ius non agnoſcitur: nàm lacus & ſtagna, licet interdum creſcant, interdum decreſcant, ſuos tamen terminos retinent, *l. lacus 12. ff. de acquir. rer. dom.* 3

b *Agro tuo*. Quòd ſi alienus vſusfructus eſt, placuit alluuionis quoque vſumfructum ad fructuarium pertinere, *l. Item ſi fundi 10. §. Huic vicinus ff. de vſufruct.*

c *Incrementum latens*. Ideſt, ità lentè progrediens, vt non appareat.

Ad §. Quòd ſi vis fluminis.

Quòd ſi vis fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, & vi- 4
cini prædio attulerit: palàm eſt (a) *eam tuam permanere. Planè ſi longiore tempore fundo vicini tui hæſerit, arboreſque quas ſecum traxerit, in eum fundum radices egerint: ex eo tempore videntur* (b) *vicini fundo adquiſitæ eſſe*.

a PAlàm *eſt eam tuam permanere*. Et conſequenter eam vindicare poteris, dummodò caueas vicino de damno infecto,

&

& dummodò non coaluerit, nec vnitatem cum terra vicini fecerit, *l. hoc amplius 9. §. Alphenus quoque ff. de dam. infect.*

b *Videntur vicini fundo adquisitæ esse.* Nec possunt vindicari à te, *dicta l. hoc amplius 9. §. Nec arbor.* Ratio enim non permittit, vt alterius arbor esse intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit. *§. Si Titius, h.t.* Quidam libri singulari numero scriptum habent (videtur vicini fundo adquisita esse) ex qua lectura, apertè intelligitur etiam partem illam prædij fundo vicini ad- 1
quiri.

Ad §. Insula.

Insula, (a) *quæ in mari nata est, quod rarò* (b) *accidit, occupantis* (c) *fit: nullius* (d) *enim esse creditur. In flumine* (e) *nata, quod frequenter accidit, si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab vtraque parte fluminis prope ripam prædia possident: pro modo* (f) *latitudinis cuiusque fundi, quæ latitudo propè* 2
ripam sit. Quòd si alteri parti proximior sit, eorum est tantùm qui ab ea parte prope ripam prædia possident. Quòd si aliqua parte diuisum sit flumen, deinde infrà vnitum, agrum alicuius in formam insulæ redegerit, eiusdem permanet is ager, cuius & fuerat.

a *INsula, quæ in mari &c.* Insula, quæ in mari nata est, occupantis fit, quia nullius est, & Iure gentium omnibus vacat, *l. adeò 7. §. Insula ff. de acquir. rer. dom. iuncta l. littora 51. ff. de contraben. empt.* Et nascuntur interdum Insulæ in mari ex terræ 3
motibus. *Plinius lib. 2. cap. 85.*

b *Quòd rarò accidit.* Ex hoc loco obiter nota, leges condi etiam de his, quæ rarò accidunt: qua de re vide Pacium Legum Conciliatarum *Centur. 1. q. 10.*

c *Occupantis fit.* Occupantis autem fit insula, quoad dominium, & proprietatem tantùm: secus quoad iurisdictionem. Nàm hoc respectu, eius esse censetur, qui maris illius, in quo emersit, velut dominus est. *Mynsing. hic sub num. 3.*

d *Nullius enim &c.* Vide suprà ad *§. Feræ igitur bestiæ, h.t.* In ver- 4
bo, *Quod enim antè.*

e *In flumine nata.* Tribus modis insula in flumine fit: vno, cùm agrum, qui aluei non fuit, amnis circumfluit: altero, cùm locum, qui aluei esset, siccum relinquit, & circumfluere cœpit: tertio, cùm paulatim colluendo locum eminentem supra alueum fecit, & eum alluendo auxit. Duobus posterioribus

modis

modis priuata insula fit eius, cuius ager propior fuerat, cum primum extitit, *l. ergo 30. ff. de acquir. rer. dom.* aut si mediam partem flumigis tenet, communis est eorum, qui ab vtraque parte fluminis prope ripam prædia possident pro modo latitudinis cuiusque fundi, quæ latitudo prope ripam sit. *tex. hic.* Quod si limitati agri fuerunt, insula occupantis est, *l. 1. §. Si insula ff. de fluminibus.* Primo autem illo modo, videlicet, cùm aliqua parte diuisum sit flumen, deinde infrà vnitum, agrum alicuius in formam insulæ redegerit, causa proprietatis non mutatur, sed eiusdem permanet is ager, cuius & fuerat. *text. hic d. l. ergo 30. ff. de acquir. rer. dom.* 1

f *Pro modo latitudinis &c.* Igitur non pro indiuiso communis fit, sed regionibus quoque diuisis, *l. Inter eos 29. ff. de acquir. rer. dom.*

Ad §. Quòd si naturali.

2

Quòd si naturali alueo in vniuersum relicto, alia parte fluere cœperit: prior quidem alueus eorum est, (a) *qui prope ripam eius prædia possident: pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, quæ latitudo prope ripam sit: nouus autem alueus eius iuris esse incipit, cuius & ipsum flumen, ideſt,* (b) *publicus. Quòd si post aliquod tempus ad priorem alueum reuersum fuerit flumen: rursus nouus alueus eorum esse* (c) *incipit, qui prope ripam eius prædia possident.*

a *Eorum est, qui prope ripam &c.* At si limitati sint agri, occupantis alueus fiet, *l. 1. §. Simili modo ff. de fluminibus.* 3

b *Ideſt, publicus.* Quia impossibile est, vt alueus fluminis publici, non sit publicus, *l. 1. §. Simili modo ff. de fluminibus.* Et flumina censorum vice funguntur: vt ex priuato in publicum addicant & ex publico in priuatum, *l. ergo 30. §. Flumina ff. de acquir. rer. dom.*

c *Eorum esse incipit, qui prope ripam &c.* Si cuius tamen totum agrum nouus alueus occupauerit, licet ad priorem alueum reuersum fuerit flumen: non tamen is cuius ager fuerat, stricta ratione quidquam in eo alueo habere potest: quia ager ille qui fuerat, desijt esse, amissa propria forma: & qui vicinum prædium nullum habet, non potest ratione vicinitatis vllam partem in eo aluco habere: sed vix est, vt id obtineat, *l. adeò 7. §. Si cuius tamen ff. de acquir. rer. dom.* Vix est, inquit, vt id obtineat: Quoniam ex bono & æquo sæpè aliter iudicandum est. 4

Quid

Quid enim si ager aut diu occupatus non fuerit, aut non magnopere eius forma sit mutata?

Ad §. Alia sanè causa.

Alia sanè (a) *causa est, si cuius totus ager inundatus fuerit: neque enim inundatio fundi speciem commutat. & ob id, si recesserit aqua, palàm est eum fundum eius manere, cuius & fuit.* 1

a *Alia sanè causa est &c.* Secundum strictam rationem, si ager inundatus fuerit, proprietas amittitur: sed si recesserit aqua, restituitur proprietas, *l. si ager 23. ff. quib. mod. vsusfr. amit.* Secundum æquitatem, ager inundatus perpetuò eiusdem iuris manet, *l. cum vsumfructum 24. ff. quib. mod. vsusfr. amit. l. 1. §. Si fossa ff. de flumin.*

Ad §. Cùm ex aliena. 2

Cùm ex aliena materia species aliqua facta (a) *sit ab aliquo, quæri solet, quis eorum naturali ratione dominus sit: vtrum is, qui fecerit, an ille potiùs, qui materiæ dominus fuerit: vt ecce, si quis ex alienis vuis, aut oliuis, aut spicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit: aut ex alieno auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecerit: vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit: vel ex medicamentis alienis emplastrum, aut* (b) *collyrium composuerit: vel ex aliena lana* 3 *vestimentum fecerit, vel ex alienis tabulis nauem, vel armarium, vel subsellium* (c) *fabricauerit. Et post multas Sabinianorum* (d) *& Proculeianorum ambiguitates, placuit media* (e) *sententia existimantium, si ea species ad priorem & rudem materiam reduci possit, eum videri dominum esse, qui materiæ* (f) *dominus fuerit: Si non potest reduci, eum potiùs intelligi* (g) *dominum, qui fecerit: vt ecce. vas conflatum potest ad rudem massam æris, vel argenti, vel auri reduci: vinum autem, vel oleum aut frumentum, ad vuas, & oliuas, & spicas* (h) *reuerti non po-* 4 *test: ac ne mulsum quidem ad vinum, & mel resolui potest. Quòd si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem* (i) *aliquam fecerit quis, veluti ex suo vino,* (k) *& alieno melle mulsum miscuerit, aut ex suis & alienis medicamentis emplastrum, aut collyrium, aut ex sua lana & aliena vestimentum fecerit: dubitandum non est,*

hoc

hoc casu eum esse dominum qui fecerit : cum non solùm operam suam dederit, sed & partem eiusdem materiæ præstiterit.

a *Facta sit ab aliquo.* Suo nomine, *l.adeò quidem 7. §. cum quis ex aliena ff.de acquir.rer.dom.* & bona fide, *l.de eo 12. §.Si quis ex vuis ff.ad exhibendum.*

b *Collyrium.* Medicamentum est ad oculos pertinens.

c *Subsellium.* Subsellium est sella inferior. *Var.de ling. lat. lib.4.* 1
A sedendo appellantur sellæ. Deinde ab his Subsellium dictum, quod non planè erat sella,

d *Et post multas Sabinianorum & Proculeianorum ambiguitates.* Nerua & Proculus putant, hunc dominum esse, qui fecerit : quia quod factum est, anteà nullius fuerat. Sabinus & Cassius magis naturalem rationem efficere putant, vt qui materiæ dominus fuerit, idem eius quoque, quod ex eadem materia factum sit, dominus sit : quia sine materia nulla species effici possit, *l.adeò quidem 7.§.cum quis ex aliena ff.de acquir.rer.dom.* 2

e *Placuit media sententia.* Hæc media sententia placuit Gaio, *l.adeò quidem 7.§.Cùm quis ex aliena ff.de acquir.rer. dom. Paulo, l.In omnibus 24. & l. sed si ex meis 26. ff. eod.* Et Iustinianus hoc loco eam probauit. 1

f *Qui materiæ dominus fuerit.* Nàm ea, quæ talis naturæ sunt, vt fæpiùs in sua possint redigi initia, ea materiæ potentia victa, nunquam vires eius effugiunt, *l.quæsitum est 76. §.illud ff.de leg.3.* Quod si voluntate domini, alterius nomine id factum sit : propter consensum domini tota res eius fit, cuius nomine 3
facta est, *l.nisi voluntate 25.ff.de acquir.rer. dom.* Quo tamen casu is qui materiæ dominus fuerit, dominus fit speciei, & consequenter directam in rem actionem habet, eodem ille qui bona fide speciem fecit, ne opera & sumptus ei perierint, habet exceptionem doli mali.

g *Eum potiùs intelligi dominum, qui fecerit.* Cuius rei ratio hæc tradi potest : quia materia hoc casu interijsse videtur, *l. Sed si ex meis 26.ff.de acquir.rer.dom.* Habet igitur is, qui fecerit, directam in rem actionem. Dominus tamen materiæ vtilem vin- 4
dicationem, vel in factum actionem, vel retentionem habebit vt suæ materiæ æstimationem consequatur.

h *Et spicas.* Cum eadem, quæ hic habentur, Gaius tradidisset *in l.adeò quidem 7.§.Cum quis ex aliena ff.de acquir.rer. dom.* sapienter ibidem adiunxit moderationem, quæ huic etiam loco adhibe-

iungenda est. Videtur tamen mihi rectè quidam dixisse, non debere dubitari, quin alienis spicis excussum frumentum eius sit, cuius & spicæ fuerint. Cum enim grana, quæ spicis continentur, perfectam habeant suam speciem: qui excutit spicas, non nouam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit. *Ex Cuiac.*

i *Speciem aliquam fecerit.* Quæ ad priores & rudes materias non possit reduci, Alioquin manet dominus quilibet suæ materiæ. *l.quidquid 27.§.vlt.ff.de acquir.rer.dom.* 1

k *Veluti ex suo vino &c. Vlpianus in l.Idem Pomponius 5.§.1.ff.de rei vindic.* Pomponius scribit: Si ex mele meo & ex vino tuo factum sit mulsum: quosdam existimasse id communicari: sed puto verius (vt & ipse significat) eius potius esse, qui fecit: quoniam speciem pristinam non retinet.

Ad §. Si tamen alienam.

Si tamen alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit, licet pretiosior sit purpura, tamen accessionis (a) *vice cedit vestimento: & qui dominus fuit purpuræ, aduersus eum, qui subripuit, habet furti actionem, & condictionem: siue ipse sit, qui vestimentum fecit, siue alius. Nam extinctæ* (b) *res, licet* (c) *vindicari non possint, condici* (d) *tamen à furibus, & quibusque alijs possessoribus possunt.* 2

a *Accessionis vice cedit vestimento.* Semper enim accessio cedit principali, *l.& si non sunt 21. §. perueniamus ff.de aur.& arg. leg.* Siue pars toti, *l.sed si ex meis 26.ff.de acquir.rer.dom.* Vbi Paulus ait: In quibus propria qualitas rei spectatur, si quid additum sit, toti cedit: vt statuæ pes, aut manus, scypho fundus, aut ansa, lecto fulcrum, naui tabula, ædificio cæmentum. 3

b *Nam extinctæ res &c.* Extinctas res Iustinianus vocat res, quæ cùm nostræ essent, propterea quod alijs rebus accesserunt, nostræ esse desierunt. *Borch. hic sub num. 3.* Videtur igitur purpura vestiadiecta quodammodò extincta esse, nec per sese esse iam, sed vna esse cum veste. *Theoph.*

c *Licet vindicari non possint.* Eius enim quod interijt dominium amissum sit necesse est. Quare cum vindicationis formula hæc fuerit: Hanc rem ex iure Quiritum meam esse aio: non potest hæc actio in rebus consumptis ac peremptis accommodari. H. 4

d *Condici tamen à furibus & quibusque &c.* Condici possunt à furibus & alijs malæ fidei possessoribus condictione furtiua, à

bonæ fidei possessoribus condictione sine causa, *tex. hic, iuncta l.1. in fine ff. de condict. sine causa.* Et condicitur æstimatio earum, *l. In re furtiua 8. ff. de condic. fur.*

Ad §. Si duorum.

Si duorum materiæ ex voluntate (a) *dominorum confusæ* (b) *sint totum id corpus, quod ex confusione fit, vtriusque* (c) *commune est, veluti* 1
si qui vina sua confuderint, aut massas argenti vel auri conflauerint. Sed & si diuersæ materiæ sint, & ob id propria species facta sit, fortè ex vino & melle mulsum, aut ex auro & argento electrum, (d) *idem iuris est: nam & eo casu communem esse speciem non dubitatur: Quòd si fortuitò, & non voluntate dominorum confusæ fuerint, vel diuersæ materiæ, vel quæ eiusdem generis sunt, idem iuris* (e) *esse placuit.*

2 EX *voluntate dominorum.* Quæri potest, quid dicendum sit, 2
si duorum materiæ ex voluntate vnius tantùm confusæ sint? Respondeo, si noua species facta sit, quæ ad priores & rudes materias non potest reduci, veluti si ex melle meo & ex vino tuo factum sit mulsum, eum esse dominum, qui fecit: Si verò ex confusione non sit facta noua species, veluti si ex auro meo & ex auro tuo facta sit massa, aut si facta sit noua species, quæ ad priores & rudes materias possit reduci, veluti si ex auro meo & ex auro tuo vas aliquod factum sit, tunc non est dominus, qui confundit materias, sed massa, vel species 3
communis est, *l. Idem Pomponius 5. §. 1. ff. de rei vindic. l. quidquid 27. ff. de acquir. rer. dom. §. cum ex aliena h. t.*

b *Confusæ sint.* Confundi dicuntur, quæ sunt liquida, vt vinum, mel: vel liquefacta, vt aurum, argentum; nec refert; vtrum confundantur ea, quæ sunt eiusdem generis, vt vina, an diuersi generis, vt cùm ex vino, & melle fit mulsum, vel ex auro, & argento fit electrum. Misceri dicuntur, quæ sunt solida, ita vt singula corpora in sua substantia maneant: & quod ex his componitur, dicatur ex partibus distantibus con- 4
stare; sic dicuntur misceri grana frumenti, ex quibus fit acervus; vel oues, ex quibus fit grex. *Pac. in Analy. hic, & in §. seq.* Vnum tamen pro alio sæpè ponitur in legibus.

c *Vtriusque commune est.* Pomponius scribit: Si quid quod eiusdem naturæ est, ita confusum est atque commistum, vt deduci & separari non possit; non totum, sed pro parte esse vin-

vindicandum: vt puta meum & tuum argentum in massam redactum est, erit nobis commune: & vnusquisque pro rata ponderis, quod in massa habemus, vindicabimus: & si incertum sit, quantum quisque ponderis in massa habeat, *l.3.§.Pomponius ff. de rei vindic.* Quo quidem casu etiam communi dividundo agi potest, *l.quoquidem 4.ff cod.*

d *Electrum.* Aurum, in quo quinta argenti portio est, electrum vocatur. *Plin.lib.33.cap.4.* 1

e *Idem iuris esse placuit.* Si modò materiæ ita confusæ fuerint, vt deduci & separari non possint. Ideòque si plumbum cum argento mistum sit: quia deduci potest, nec communicabitur, nec communi dividundo agetur, sed in rem competet actio, *l.Idem Pomponius 5.§.Sed si plumbum ff.de rei vindic.*

Ad §. Quod si frumentum.

Quòd si (a) *frumentum Titij frumento tuo mixtum* (b) *fuerit, si quidem ex voluntate vestra, commune erit, quia singula corpora, id est, singula grana, quæ cuiusque propria fuerunt, ex consensu vestro* (c) *communicata sunt. Quòd si casu id mixtum fuerit, vel Titius id miscuerit sine tua voluntate, non videtur commune esse, quia singula corpora in sua substantia durante nec magis istis casibus commune fit frumentum, quàm grex intelligitur esse communis, si pecora Titij tuis pecoribus mixta fuerint. Sed si ab alterutro vestrum totum id frumentum retineatur, in rem quidem* (d) *actio pro modo frumenti cuiusque competit, arbitrio autem iudicis continetur, vt ipse æstimet, quale cuiusque frumentum fuerit.* 2 3

a *Quòd si frumentum &c.* Quod dicitur hic de frumento extenditur etiam ad legumina, poma, pyra, nuces, atque id genus similia: cum sit eadem ratio. *Mynsi. hic sub num. 5.*

b *Mixtum fuerit.* Vide suprà *ad §. Si duorum, h. t.* In verbo, *confusæ sint.*

c *Ex consensu vestro communicata sunt.* Et erit communi dividundo actio, *l.Idem Pomponius 5.in princ.ff.de rei vindic.* 4

d *In rem quidem actio pro modo frumenti &c.* Si igitur ab alterutro totum id frumentum retineatur, alter quidem frumentum pro quantitate ad se pertinente vindicabit, sed officio iudicis habebitur ratio qualitatis, sic videlicet, vt si actor fortè consequatur frumentum deterius, quàm ante commixtionem haberet, iudex huius rei rationem habeat, & æstimet quanti erat

actoris frumentum, priusquam misceretur cum frumento rei, & quanto minoris valeat hoc frumentum: quod à reo recipiat; iubeatque, vt hoc damnum reus actori refarciat. *Pac. hic in Analy. & in Select.*

Ad §. Cùm in suo solo.

Cùm in (a) *suo solo aliquis ex aliena materia ædificauerit*, (b) *ipse* 1
intelligitur dominus ædificij, quia omne, quod inædificatur, solo (c)
cedit. Nec tamen ideò is, qui materiæ dominus fuerat, desinit do-
minus (d) *eius esse, sed tantisper neque* (e) *vindicare eam potest,*
neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem duodecim tabu-
larum, qua cauetur, ne quis tignum alienum, ædibus suis iunctum
eximere cogatur, sed (f) *duplum pro eo præstet per actionem, quæ*
vocatur de tigno iniuncto. Appellatione autem tigni omnis materia
significatur, ex qua ædificia fiunt. Quod ideò prouisum est, ne
ædificia (g) *rescindi necesse sit. Sed si aliqua ex causa dirutum sit* 2
ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit duplum (h) *iam*
consecutus, tunc eam (i) *vindicare, & ad exhibendum de ea re agere.*

a *Cvm in suo solo.* Scilicet proprio. Proprium autem solum etiam illud intelligitur, in quo nudam proprietatem quis habet, alio vsumfructum habente, §. 1. *Inst. de hæred. instit.*

b *Aedificauerit.* Vel bona vel mala fide, nihil interest vt dominium quæsisse videatur. *Cuiac. hic.*

c *Solo cedit.* Semper superficies solo cedit, *l. 3. §. Sed si ff. Vti possidetis.* Et naturali iure superficies ad dominum soli pertinet, *l. qui domum §. 1. ff. ad leg. Aquil.* Sed excipitur ædificium mobile, quod alio transferri potest, *l. Titius 60. ff. de acquir. rer. dom.* 3

d *Desinit Dominus eius esse.* Nota ergo, aliud esse ædes, aliud materiam ædium: adeò vt contingere possit, vt alius sit dominus materiæ, alius dominus ædium. *Ex Pac.*

e *Neque vindicare eam potest, neque ad exhibendū &c.* Nisi aduersus eum, qui sciens alienum suis ædibus iunxit, *l. in rem 24. §. tignum ff. de rei vindic.* Nàm tunc, præter duplum: etiam ad exhibendum danda est actio, vel vindicatio, quasi dolo malo fecerit, quò minus possideat, *l. 1. §. vlt. & l. 2. ff. de tig. iniunc.* Nec tamen soluetur materia, sed reus condemnabitur in id quod actoris interest ob tignum non exhibitum. 4

f *Sed duplum.* Si mala fide iunxit, qui autem bona fide, simplum præstat, *arg. l. de eo 64. ff. de don. inter vir. & vxor. Et lex 12.*

Tab. in eum tantùm, qui conuictus est iniunxisse, in duplum dat actionem. *l.1.in princ.ff.de tig.iuiunc. Ex Cniac.hic in not.posth.* Idem tamen *Cuiac.obseruat.lib.23. cap.19.* aliter hanc rem explicat, vt ibidem poteris videre.

g *Ne ædificia rescindi.* Ne vrbs deformetur ruinis, *l.vlt. ff. ne quid in loc.pub.*

h *Si non fuerit duplum iam consecutus.* Immò poterit materiæ dominus, etiam si fuerit duplum iam consecutus, eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere aduersus eum qui sciens alienam suis ædibus iunxit, *arg.l.1 §.vlt.& l.2.ff.de tig.iniunc.* 1

i *Tunc eam vindicare &c.* Etiam si dirutum sit ædificium postea quam longo tempore captum fuit. Nec enim eo ipso, quod vniuersitas ædificij longo tempore capta est, singulæ quoque res, ex quibus constabat, captæ sunt, *l.adeò 7. §.Illud rectè ff. de acquir.rer.dom.l.In rem 24. §.vlt.ff.de rei vindic.* Nàm qui vniuersas ædes possedit, singulas res, quæ in ædificio sunt, non videtur possedisse, *l.qui vniuersas 30. in princ ff.de acq.vel amit.poss.* 2

Ad §. Ex diuerso.

Ex diuerso, si quis in alieno (a) *solo sua materia domum* (b) *ædificauerit, illius fit domus,* (c) *cuius & solum est. Sed hoc casu materiæ dominus proprietatem eius amittit, quia voluntate eius intelligitur alienata, vtique si non ignorabat se in alieno solo ædificare, & ideò, licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare* (d) *non potest. Certè illud constat, si in possessione constituto ædificatore,* 3 *soli dominus petat domum* (e) *suam esse, nec soluat pretium materiæ, & mercedes fabrorum, posse eum per exceptionem* (f) *doli* (g) *mali repelli: vtique si bonæ fidei possessor fuerit, qui ædificauit. Nàm scienti* (h) *alienum solum esse, potest obijci culpa, quod ædificauerit temerè in eo solo, quod intelligeret alienum esse.*

a *SI quis in alieno solo.* Similiter, si supra tuum parietem vicinus tuus ædificauerit: tuum proprium id quod ædificauerit, fiet, *l si supra 28.ff.de acquir.rer.dom.l.3. C.de rei vindic.* 4

b *Domum ædificauerit:* Horreum verò mobile, quod quis in alieno solo posuit, non fit illius, cuius est solum, *l. Titius 60. ff.de acquir. rer.dom.*

c *Illius fit domus, cuius & solum est.* Per regulam dictantem: superficiem subiecto solo cedere *Theoph.hic, l.3. §. Sed si ff. vtī possid.* Et siue bona, siue mala fide quis in alieno solo sua materia

teria domum ædificauerit, nihil interest vt illius fiat domus, cuius & solum est.

d *Materiam tamen vindicare non potest.* Secundum stricti iuris rationem. Secundum æquitatem tamen, vindicabit, siue bona fide, siue mala ædificium extructum sit: si non donandi animo ædificia alieno solo imposita sint, *l. 2.C.de rei vindic.* Non enim debet quis ex aliena iactura lucrum facere, *l. planè 41.ff.de pet.hered.Borch.hic.* Et qui in alieno solo quod non pos- 1
sidet ædificat, vel gerendi negotij domini, vel si non gerendi negotij domini, donandi animo id facit. Qui verò etiam sciens in alieno solo quod possidet ædificat, alij donare non videtur, quia rem gerit sibi, non alij, cum sit possessionis dominus. Vide *Cuiac. obseruat. lib. 10. cap. 1.*

c *Petat domum suam esse.* Vsus dicta regula dictante: superficiem subiecto solo cedere.

f *Per exceptionem.* Et hac quidem via seruantur impensæ, non per actionem, *l. Paulus 14.ff.de dol.mal.& met.except.l.1.C.Greg.de* 2
rei vindic. Sed tamen si per errorem sine deductione ædificium possessor restituerit incerti condictio est, idest, condictio possessionis, *l.qui exceptionem 40.§.si pars ff.de condic.indeb.l. heres 21. ff. ad Scnatus cons. Trebel.Cuiac.hic.* Seruantur quoque impensæ officio iudicis, *l. planè 41.ff.de pet.herod.l.bona fide 11. ff.de noxal. act. Idem Cuiac. obseruat. lib. 10. cap. 1.*

g *Doli mali.* Nam videtur petitor dolum facere qui ex aliena iactura lucrum quærit, *l. si quis mancipys 17. in fine ff. de Instit. act.* 3

h *Nam scienti &c.* Quod hoc loco proponitur malæ fidei possessorem domino vindicante impensas seruare non posse per exceptionem doli mali, ex iure summo est. Nam æquitas aliud suadet ne petitor ex aliena iactura locupletetur. *Cuiac.ad Afric. Tract. 8. In expticat. l.si fundus ff. locati, & obseruat. lib.10.cap.1.* Ex quo loco addi potest benignius etiam esse vt in eo in quo dominus locupletior factus erit habeatur ratio impensarum ex officio iudicis, ita vt hac vel illa via etiam malæ fidei possessori in iudicio in rem speciali impensarum vtilium deduc- 4
tio detur.

Ad §. Si Titius.

Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius (a) erit. Et ex diuerso, si Titius suam plantam in Mœuij solo posuerit. Mœuij planta

ta erit, si modò vtroque casu (b) *radices egerit, ante enim quam radices egerit, eius permanet, cuius & fuerat. Adeò autem ex eo tempore, quo radices egerit planta, proprietas eius commutatur, vt si vicini arbor ita terram Titij presserit, vt in eius fundum radices* (c) *egerit, Titij effici arborem dicamus. ratio enim non permittit, vt alterius arbor esse intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit. Et ideò propè confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum* (d) *radices egerit, communis fit.* 1

a IPsius erit. Arborum enim, quæ in fundo continentur, non est separatum corpus à fundo, *l. Quintus Mutius 41 ff. de act. emp. & vend.* Et priori domino, alij ratione æstimationis actionem in factum: alij vtilem vindicationem concedunt, quarum vtramque Cuiacius hicin notis postumis aptam esse & propositio negotio conuenire existimat.

b *Si modo vtroque casu radices egerit* Arbor radicitus eruta, & in alio posita, priusquam coaluerit, prioris domini est: 2 vbi coaluerit, argo cedit: & si rursus eruta sit non ad priorem dominum reuertitur. Nam credibile est, alio terræ alimento aliam factam, *l. sed si ex meis 26. §. Arbor. ff. de acquir rer. dom.*

c *Vt in eius fundum radices egerit.* Ita vt possit quidem viuere in solo Titij, non autem in solo, vnde ducit originem.

d *Si etiam in vicini fundum radices egerit.* Ita vt non nisi ex radicibus, quæ sunt in vtroque fundo, viuere possit. Neque obstat, *l. si plures 6. ff. vlt. ff. arb. furt. cæs. vbi Pomponius ait*: Si radicibus vicini arbor aletur: tamen eius esse, in cuius fundo 3 origo eius fuerit. Nam ibi arbor poterat viuere ex radicibus, quæ erant in solo vnde ducit originem: hic autem non. *Ex gl. hic, & in d. l. si plures 6. §. vlt.*

Ad §. Qua ratione.

Quæ ratione autem plantæ, quæ terræ coalescunt, solo (a) *cedunt, eadem ratione frumenta quoque,* (b) *quæ sata sunt, solo cedere* (c) *intelliguntur. Cæterum sicut is qui in alieno solo ædificauerit, si ab* 4 *eo dominus petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali, secundùm ea,* (d) *quæ diximus, ita eiusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is qui alienum fundum sua impensa bona fide consecuit.*

a SOlo cedunt §. *Si Titius, h. t.*

b *Frumenta quoque, quæ sata sunt. II.* legendum putat (Frumen-

menta & quæcumque fata sunt) Et ità hunc locum Theophilus intepretatur. Quam sententiam vt non improbo : sic ab omnibus codicibus alienam esse confirmo.

c *Solo cedere intelliguntur*. Si igitur in meo fundo frumentum tuum seueris : segetes, & quod ex messibns collectum fuerit, meum fiet, *l. Qui scit 25. ff. de vsuris*.

d *Secundum ea, quæ diximus. In §. ex diuerso, h.t. omnia enim, quæ in d. §.* dicta sunt de eo, qui bona vel mala fide in alieno solo ædificauit, obtinent etiam in eo, qui alienum fundum bona vel mala fide consciuit. 1

Ad §. Literæ quoque.

Literæ (a) *quoque, licet aureæ sint, perinde chartis* (b) *membranisque cedunt,* (c) *ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur, aut inseruntur : ideòque si in chartis, membranisue tuis carmen, vel historiam, vel orationem Titius scripserit, huius corporis non Titius, sed tu dominus* (c) *esse videris. Sed si à Titio petas tuos libros, tuasue membranas, nec impensas scripturæ soluere paratus sis : poterit se Titius defendere per* (c) *exceptionem doli mali, vtique si earum chartarum membranarumue possessionem bona fide nactus est.* 2

a *Literæ quoque &c. l. Qua ratione 9. §. literæ quoque ff. de acquir. rer. dom.*

b *Chartis membranisque*. Chartæ hodie ex panniculis lineis cannabinisque maceratis, contusisque confici solent. Membranæ verò sunt tenuiores animalium pelles. *Ex Mynsi. hic sub num. 3. & 4.* 3

c *Cedunt*. Quia necesse est ei rei cedere id, quod sine illa esse non potest, *l. In rem actio 24. §. sed & id ff. de rei vindic.*

d *Sed tu dominus esse videris*. Æquitas tamen suader, vt satis debeat esse tibi chartæ domino, si alia æque proba tibi reddatur, & si quid fortè tua interfuit persoluatur.

e *Per exceptionem doli mali*. Qua de re *in §. Ex diuerso, h.t.* satis explicatum est. 4

Ad §. Si quis in aliena.

Si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam (a) *picturæ cedere alijs videtur* (b) *picturam, qualiscumque sit, tabulæ cedere. Sed nobis* (c) *videtur melius esse tabulam picturæ cedere. Ridiculum*

est

est enim picturam Apellis, (d) *vel Parrhasij* (e) *in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. Vnde si à dominio tabulæ, imaginem possidente, is, qui pinxit, eam* (f) *petat, nec soluat pretium tabulæ, poterit per exceptionem doli mali submoueri. At si is, qui pinxit, eam possideat, consequens est, vt vtilis* (g) *actio domino tabulæ aduersus eum detur. quo casu si non* (h) *soluat impensam picturæ, poterit per exceptionem doli mali repelli, vtique si bonæ fidei possessor fuerit ille, qui picturam imposuit. Illud enim palàm est, quòd siue is, qui* 1
pinxit, subripuit tabulam, siuè alius, competit (i) *domino tabulæ furti actio.*

a *Quidam putant tabulam picturæ cedere.* Propter pretium picturæ, vt refert Paulus *in l. In rem actio* 24. §. *Sed & id ff. de rei vindic.* Paulus tamen eam sententiam non sequitur. Inter eos, qui putant tabulam picturæ cedere, est *Gaius in l. qua ratione* 9. §. *Sed non vt literæ ff. de acquir. rer. dom.*

b *Alijs videtur &c.* Paulo videtur picturam tabulæ cedere: Quia 2
necesse est ei rei cedere id, quod sine illa esse non potest, *l. In rem actio* 24. §. *Sed & id ff. de rei vindic.*

c *Sed nobis &c.* Hoc loco Iustinianus contra supradictam Iuris regulam Picturæ dat priuilegium, vt tabula ei cedat.

d *Apellis.* Fuit is pictor apud Græcos. præstantissimus. *Theophilus hic.*

e *Parrhasij.* Hic pictor magnum apud Romanos nomen habuit. *Idem Theoph.*

f *Eam petat.* Directa vendicatione, *l. Qua ratione* 9. §. *Sed non* 3
vt literæ ff. de acquir. rer. dom.

g *Vt vtilis actio &c.* Directæ in rem actiones dicuntur, quarum formulam is qui agit, directò ac simpliciter vsurpare potest: vtiles, quæ vtilitatis causa alteri alicui ex æquo & bono contra iuris summi seueritatem conceduntur. Quoniam igitur tabulæ dominus, per impositionem picturæ, dominio tabulæ excidit, iure summo dicere non poterit: Aio hanc tabulam meam esse, sed tamen æquitatis & vtilitatis causa eadem illi formula concedetur. *Ex H. hic.* 4

h *Si non soluat impensam picturæ.* Immo, ne priuilegium pictoris sit inane, quamuis dominus tabulæ paratus sit impensam picturæ soluere, nihilominus pictor potest tabulam retinere, si eius pretium soluere velit. Semper igitur pictor, siue agat, siue conueniatur, offerendo pretium tabulæ, præferendus est.

i *Competit dominio tutelæ furti actio.* Aduersus eum, qui surripuit tabulam.

Ad §. Si quis à non dominio.

Si quis à non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliaue qualibet iusta causa æquè bona fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus, (a) *quos percepit,* (b) 1
eius esse (c) *pro cultura & cura. Et ideò si postea dominus superuenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis* (d) *agere non potest. Ei verò qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est. itaque cum fundo etiam fructus,* (e) *licet consumpti sint, cogitur restituere.*

a *Fructus.* Non tantùm eos, qui diligentia & opera eius prouenerunt, sed omnes: quia quod ad fructus attinet, loco domini penè est, *l. bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. rer. dom.* Est tamen 2
notandum, quod licèt bonæ fidei possessor regulariter etiam naturales fructus suos faciat, non tamen id iuris habet omnis bonæ fidei possessor, veluti si possessor talis sit, qualis in specie, de qua loquitur *text. in l. fructus* 45. *ff. de vsuris*, videlicet, vir vel vxor rem donatam possidentes. In qua lege animaduertendum est, illa verba textus (Sicuti nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris) hunc sensum non habere, quasi nullus bonæ fidei possessor fructus naturales suos faciat, sed sensum esse, non quemlibet bonæ fidei possessorem naturales fructus suos face- 3
re. *Ex Fachineo Controuers. Iur. lib. 1. cap. 57. vers. Ad text. in l. fructus.*

b *Quos percepit.* Imò etiam priusquam percipiat, statim vbi à solo quoquo modo separati sunt, eius fiunt, *l. bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. rer. dom. l. Qui scit* 25. *§. penult. ff. de vsuris.*

c *Eius esse.* Interim, *l. bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. rer. dom.* Idest, quandiu cuictus fundus non fuerit. Fundo cuicto, debet fructus extantes cum ipsa re præstare, *l. certum* 22. *C. de rei vindic. tex. hic in vers. & ideò.* Nisi eos vsuceperit, *l. sequitur* 4. *§. Fructus ff. de vsucap.* Fructus tamen intelliguntur deductis impensis, 4
quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, conseruandorumque fructuum, *l. Si à patre vel à domino* 39. *§. Fructus ff. de pet. hered.*

d *Consumptis.* Ergo de extantibus agere potest, *dicta l. certum C. de rei vindicat.*

c *Etiam fructus &c.* Imò, non solùm cogitur restituere fructus, quos percepit, sed etiam eos, quos petitor, si ei possidere licuisset, percipere potuit, *l.Si nauis 62. §. vlt. ff.de rei vindic.*

Ad §. Is, ad quem.

Is ad quem vsusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quàm si ipse (a) cos perceperit. (b) Et ideò licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad heredem (c) eius non pertinent, sed domino (d) proprietatis adquiruntur. Eadem ferè (e) & de colono (f) dicuntur. 1

a *Ipse.* Vel alius eius nomine. Ex Regula, *Qui facit per alium 72. de reg. Iur. in 6.*

b *Perceperit.* Fructum percipi Labeo ait, spica aut fœno cæso, aut vua adempta, aut excussa olea: quamuis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit, *l. Si vsusfructus 13. ff. Quib. mod. vsusfruct. amit.* 2

c *Ad heredem eius non pertinent. l.In singulos 8. ff.de annuis legatis.*

d *Sed domino proprietatis adquiruntur. Dicta l. Si vsusfructus 13. ff. Quib. mod. vsusfr. amit.*

e *Eadem ferè.* Ait ferè, Quia colonus fructus pendentes ad heredem transmittit. Heres enim in conductione succedit. *§.vlt.Inst.de locat.& conduc.l.viam veritatis 10.C.de locat.& conduc.*

f *Et de colono.* Qui ad pecuniam numeratam conduxit. Is similiter, non aliter fructuũ dominus efficitur, quàm si ipse eos perceperit, *l.cum in plures 62.§.Messem ff. locati, l.Si seruus 63. §.Locaui ff.de furtis.* Aliud est in colono partiario, qui partem fructuum quasi iure societatis suam omnimodo facit, *l.Si merces 28. §.Vis maior ff. locati.* 3

Ad §. In pecudum.

In pecudum fructu etiam fœtus est, sicut lac, pili, (a) & lana. Itaque agni, hœdi, & vituli, & equuli, & suculi statim (b) naturali Iure dominij fructuarij sunt, partus verò ancillæ in fructu non est. itaque ad dominum proprietatis (c) pertinet. absurdum (d) enim videbatur, hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauerit. 4

a *Pili, & lana.* Pili caprarum, lana ouium.

b *Statim.* Simulatque æditi sunt. *Theoph.hic.* Itaque perceptione alia opus non est.

c *Ad dominum proprietatis pertinet*. Quid tamen, si fuerit etiam partus vsusfructus relictus, an fructuarius habeat in eo vsumfructum? Et cum possit partus legari, poterit & vsusfructus eius, *l.vetus 74. ff. de vsufruct. & quemad.*

d *Absurdum enim &c.* Et non temerè ancillæ eius rei causa comparantur, vt pariant, *l.Ancillarum 30. ff.de pet. hered.*

Ad §. Sed si gregis. 1

Sed si gregis vsumfructum quis habeat, in locum demortuorum (a) *capitum ex* (b) *fœtu fructuarius summittere* (c) *debet, vt Iuliano visum est, & in vinearum demortuarum, vel arborum locum, alias debet* (d) *substituere. rectè* (e) *enim colere, & quasi bonus paterfamilias vti debet.*

a *Demortuorum capitum*. Vel inutilium. Et sicut substituta statim domini fiunt: ita priora quoque ex natura fructus 2
desinunt eius esse, & fiunt propria fructuarij, *l.vel inutilium 75. ff. de vsufruct.*

b *Ex fœtu*, Quod textus ait ex fœtu, & in *l.vetus 74. ff. de vsufructu*, ex adnatis, otiosum non est. Vult enim vt fructuarius aliunde summittere non cogatur. *Ex Cuiac. hic in not. postum.*

c *Summittere debet*. Boni pastoris vel prima cura est annis omnibus in demortuarum vitiosarumque ouium locum totidem vel etiam plura capita substituere. *Columella lib.8. cap.3.* Sed
quod dicitur, debere fructuarium summittere, toties verum 3
est, quoties gregis, vel armenti, vel equitij, ideſt, vniuersitatis vsusfructus relictus est. Cæterùm si singulorum capitum: nihil supplebit, *l.quid ergo 76. §.Sed quod dicitur ff.de vsufruct.*

d *Alias debet substituere*. Et arbores priores ad fructuarium pertinent, *l.agri 21. ff. de vsufruct.* Arbores verò euulsæ vel vi ventorum deiectæ ad proprietarium pertinent. Vide *l.arboribus 13. ff.de vsufruct.* Neque compellendus est fructuaris in locum arborum vi tempestatis euersarum, alias substituere *l. arbores 65. ff.de vsufruct.*

e *Rectè enim colere &c.* Et cauere debet fructuarius, boni viri 4
arbitratu perceptum iri vsumfructum, hoc est, non deteriorem se causam vsusfructus facturum: cæteraque facturum, quæ in re sua faceret. *l.1. §.Cauere autem ff.Vsufr.quemad. cau.*

Ad

Ad §. Thesauros.

Thesauros (a) *quos quisque in loco* (b) *suo inuenerit, Diuus Hadrianus, naturalem* (c) *æquitatem secutus, ei concessit, qui inuenerit. Idemque statuit, si quis in sacro, aut* (d) *religioso loco fortuito* (e) *casu inuenerit. At si quis in alieno loco, non data ad hoc opera, sed* (f) *fortuito inuenerit, dimidium inuentori,* (g) *dimidium domino soli* 1
concessit. Et conuenienter, si quis in (h) *Cæsaris loco inuenerit,* (i) *dimidium inuentoris, dimidium Cæsaris esse statuit. Cui conueniens est, vt si quis in fiscali* (k) *loco, vel publico,* (l) *vel ciuitatis inuenerit:* (m) *dimidium ipsius esse debeat, & dimidium fisci,* (n) *vel ciuitatis.*

a *Thesauros.* Thesaurus est quædam vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat, *l. nunquam 31. ff. de acquir. rer. dom.* 2

b *In loco suo inuenerit.* Et Imperator Leo in *l. vnica C. de thesauris lib.* 10. In suis locis vnicuique, dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa, thesaurum quærere, & inuento vti, liberam tribuit facultatem.

c *Naturalem æquitatem secutus.* Thesaurus enim earum rerum numero est, quæ sunt nullius, *l. nunquam 31. ff. de acquir. rer. dom.* Quæ verò nullius sunt, naturali ratione occupanti conceduntur §. *Feræ, h. t.*

d *Aut religioso loco.* Si in locis religiosis thesauri reperti fuissent: Diui fratres post Hadrianum constituerunt, vt media pars ex his fisco vindicaretur *l. 3. §. Si in locis ff. de iure Fisci.* Sed Iustinianus hic, reiecta Constitutione Diuorum fratrum, Diui Hadriani Constitutionem obtinere vult. Fridericus tamen Imperator in *tit. quæ sint regaliæ*, in vsibus feudorum, Hadriani Constitutione rursus abrogata, Diuorum fratrum Constitutionem in vsum reuocauit. 3

e *Fortuito casu.* Itaque in sacro, aut religioso loco, thesaurum quærere non licet. Quod si quis in sacro, aut religioso loco data ad hoc opera thesaurum inuenerit, totus thesaurus ad fiscum pertinet, arg. *l. vnica C. de thesauris lib.* 10. 4

f *Sed fortuitò inuenerit.* Si verò quis in alieno loco inuitis, id est, non volentibus vel ignorantibus dominis, thesaurum scrutans inuenerit: totum thesaurum domino soli reddere compellitur, *l. vnica C. de thesaur. lib.* 10.

g *Dimi-*

g *Dimidium inuentori, dimidium domino soli concessit*: Qui autem partem ad dominum soli pertinentem suppresserit: tanquam malitiosus rerumque alienarum occultator & fur, nihil omninò accipiet, ac beneficium loci domino soli cedet. *Nouella Leonis* 51. *in fine*.

h *In Cæsaris loco*. Cæsaris sunt quæ in patrimonio sunt Cæsaris. Ea propria, & priuata eiusdem Cæsaris sunt.

i *Inuenerit*. Non data opera: si data opera, totus thesaurus ad Cæsarem pertinet, *arg.d.l.vnica C.de thesaur.lib.*10. 1

k *In Fiscali loco*. Fiscalia sunt quæ sunt in Fisci patrimonio. Ea quasi propria, & priuata principis sunt, *l.*2.§.1.*ff.ne quid inloc.pub.*

l *Vel publico, vel ciuitatis*. In loco publico, ideſt, Populi Romani. In loco ciuitatis, ideſt, populorum aliarum ciuitatum, *l.bona* 15.*& l.seq.ff.de verb.sign.*

m *Inuenerit*. Non data opera: si data opera, totus thesaurus ad fiscum, vel ciuitatem pertinet, *arg.d.l.Vnicæ C.de thesau.lib.*10.

n *Et dimidium Fisci*. Qui autem partem ad fiscum pertinentem suppresserit: totum cum altero tanto cogitur soluere, *l.*3. *in fine ff. de Iure fisci*. 2

Ad §. Per traditionem.

Per traditionem quoque iure (a) *naturali res nobis adquiruntur: nihil enim tàm conueniens est naturali æquitati, quàm* (b) *voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, & ideò cuiuscumque* (c) *generis sit corporalis* (d) *res tradi* (e) *potest, & à domino* (f) *tradita alienatur. Itaque stipendiaria* (g) *quoque & tributaria prædia, eodem modo alienantur. Vocantur autè stipendiaria & tributaria prædia, quæ in prouincijs sunt: inter quæ, necnon & Italica prædia, ex nostra* (h) *Constitutione nulla est differentia. Sed si quidem ex causa* (i) *donationis, aut dotis, aut qualibet alia* (k) *ex causa tradantur, sine dubio transferuntur.* 3

a *Iure naturali*. Ideſt, Iure gentium, *l.qua ratione* 9.§.*hæ quoque ff.de acquir.rer.dnm.* 4

b *Quàm voluntatem Domini &c.* Vnde interdum etiam sine traditione, nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam. Vide infrà *ad* §.*Interdum etiam, h.t.*

c *Cuiuscunque generis sit*. Siue mancipi sit, siue nec manaipi sit. Vide notata infrà In verbo, *Itaque stipendiaria &c.*

d *Corporalis res*. Incorporalia enim, cum tactum fugiant, traditio-

ditionem non recipiunt, *Theoph. hic, l. Seruus 43. §. 1. ff. de acquir.rer.dom.*

c *Tradi poteſt.* Res mobiles manu traduntur, immobiles tunc intelliguntur tradi, cum quis in earum poſſeſſionem inducitur *Mynſ.hic ſub num.8.*

f *Et à domino tradita alienatur.* Res à non domino tradita non alienatur, propterea quod is qui dominus non eſt, dominium quod non habet, transferre non poteſt. *Theoph. hic, l.traditio* 1
20.ff.de acquir. rer. dom. Alienatur tamen res à non domino tradita, ſi domini voluntate tradatur, §. *Nihil autem interest, h. t.*

g *Itaque ſtipendiaria quoque & tributaria prædia &c.* Vocantur ſtipendiaria & tributaria prædia, quæ in prouincijs ſunt, Italica enim prædia, immunia: prouincialia, ſtipendiaria, & tributaria fuerunt. Et qui ſtipendiaria prædia poſſidebant, ſtipendium populo Romano præſtabant, qui verò tributaria, tributum, quod ſtipendio grauius erat, Imperatori perſoluebant. Qui autem ex largitione populi, vel principis ſtipendiaria, vel tribu- 2
taria habebant prædia, domini illorum non erant: verum dominium aut apud populum erat, aut apud Principem, ſed vſum fructum eorum habebant, & pleniſſimam detentionem, ita vt & transferre poſſent, & ad heredes tranſmitterent. Italicorum verò prædiorum domini dominium habebant. *Theoph. in hoc §.* Hinc prædia Italica dicuntur res mancipi, hoc eſt, quæ alienari, & in alterius dominium transferri poſſunt. Et prædia prouincialia res nec mancipi. *Vlpian. in frag. tit. 19.* Hodie inter prouincialia, necnon & Italica prædia, ex Iuſtiniani Con- 3
ſtitutione nulla eſt differentia. Sed ſi quidem ex cauſa donationis, aut dotis, aut qualibet alia ex cauſa tradantur, ſine dubio eorum dominium transfertur per traditionem. *tex.hic.*

h *Ex noſtra Conſtitutione. In l. Vnica C. de vſucap. transfor.*

i *Sed ſi quidem ex cauſa donationis &c.* Nunquam enim nuda traditio transfert dominium, ſed ita, ſi venditio, aut aliqua iuſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur, *l. numquam 31. ff. de acquir. rer. dom.*

k *Aut quolibet alia ex cauſa.* Habili ad translationem dominij. 4

Ad §. Venditæ verò.

Venditæ verò res, & traditæ, non aliter (a) *emptori adquiruntur, quàm ſi is venditori pretium* (b) *ſoluerit, vel alio modo ei ſatisfecerit, veluti expromiſſore,* (c) *aut pignore dato* (d) *quod caueretur qui-*

quidem etiam lege duodecim tabularum, tamen rectè dicitur (e) *& iure gentium, ideſt, iure naturali id effici. Sed ſi is qui* (f) *vendidit fidem* (g) *emptoris ſecutus eſt, dicendum eſt, ſtatim rem emptoris fieri.*

a *Non aliter emptori acquiruntur &c.* Vnde eſt, quod ſi venditor, quaſi mox pretium conuentum accepturus, emptori rem tradiderit, & is venditori non ſatisfaciat, rem venditam 1
poſſit vendicare, *l. procuratoris* 5. §. *Sed ſi dediſſ. de tribut. act. l. diligenter* 5. §. *Item ſi mandauero ff. Mandati, gl. & Mynſ. hic.*

b *Pretium ſoluerit.* Non tamen pretij numeratio, ſed conuentio perficit emptionem, *l. 2. ff. de contrab. empt.*

c *Veluti expromiſſore.* Vel fideiuſſore, *l. procuratoris* 5. §. *ſed ſi dediſſ. de tribut. act.* Differt expromiſſor à fideiuſſore: quia expromiſſor ita ſuſcipit in ſe alienam obligationem, vt ſolus obligetur; is autem, pro quo expromittit, non ſit obligatus; vel quia ab initio tota obligatio in ſolum expromiſſorem confertur; 2
vel quia ex poſt facto principalis debitor per nouationem liberatur, & obligatio in expromiſſorem transfertur: fideiuſſor autem ità obligatur, vt nihilominus etiam reus principalis, pro quo fideiubet, ſit obligatus: imò ex *Nouella* 4. fideiuſſor conueniri non poteſt ante reum principalem excuſſum. *Pacius in Analy. ad Rub. Inſt. de fideiuſſ.*

d *Dato.* Hoc tamen ex venditoris voluntate. *l.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred.*

c *Tamen rectè dicitur & iure gentium &c.* Quoniam & naturalis 3
iuſtitia ei adhæret, cum apud omnes gentes æquè obſeruetur. *Theoph. hic.*

f *Qui vendidit.* Et tradidit, *l. quod vendidi* 19. *ff. de contrab. empt.*

g *Fidem emptoris ſecutus eſt.* Si fidem habuerit emptori ſine vlla ſatisdatione, *d. l. quod vendidi.*

Ad §. Nihil autem.

Nihil autem intereſt, vtrum ipſe (a) *dominus tradat alicui rem, an* 4
voluntate (b) *eius alius, cuius eius rei* (c) *poſſeſſio permiſſa ſit.*

a *Vtrum ipſe dominus tradat.* Sicut nihil etiam intereſt, vtrum emptori res tradatur, an alij voluntate emptoris, *l. Si mandauero* 22. §. *fugitiuus ff. mandati, l. ſequitur* 4. §. *tunc in poteſtatem ff. de vſucap. ſeu vſurp. Cuiac. hic.*

b *An*

b *An voluntate eius alius*. Quod enim voluntate alterius fit, perinde est ac si per eum, cuius voluntate fit, factum esset, *l.1.§.deiecisse ff.de vi & vi arm.*

c *Cui eius rei possessio permissa sit*. Sic omnes libri veteres. H. contra omnium auctoritatem restituit (cui eius rei potestas permissa sit.) Abest tamen hæc adiectio tum à Theophilo hic tum à Gaio *in l.qua ratione 9.§.nihil autem ff.de acquir.rer.dom.*

Ad §. Qua ratione.

1

Qua ratione, si cui (a) *libera vniuersorum negotiorum administratio à domino permissa fuerit, isque ex his negotijs rem vendiderit,* (b) *& tradiderit, facit eam* (c) *accipientis.*

a SI *cui libera vniuersorum &c.* Procurator, cui libera vniuersorum negotiorum administratio à domino permissa est, res domini alienare potest. *tex.hic, l.qua ratione 9.§.qua ratione, ff. de acquir. rer. dom.* Hic tamen alienare ita demum potest, si id exigat negotiorum administratio: non donandi, non deminuendi causa. *Cuiac.hic.* Procurator verò totorum bonorum, cui res simpliciter administrandæ commissæ sunt: res domini alienare non potest: nisi fructus, aut alias res, quæ facilè corrumpi possunt, *l.procurator totorum 63.ff.de procurat.* 2

b *Rem vendiderit, & tradiderit*. Ex diuerso, si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine, dominium mihi, ideſt, proprietas acquiritur, etiam ignoranti, *l.si procurator 13.ff.de acquir.rer.dom.* 3

c *Facit eam accipientis*. Nam voluntate domini eam vendere, & tradere videtur. *Theoph.hic*.

Ad §. Interdum.

Interdum (a) *etiam sine traditione, nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam, veluti si rem, quam tibi aliquis commodauit, aut locauit, aut apud te depositi, vendiderit tibi, aut donauerit.* 4 *Quamuis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit: eo tamen ipso, quod patitur tuam esse. statim tibi adquiritur* (b) *proprietas, perinde ac si eo nomine tradita fuisset.*

a INterdum *etiam &c. l.Qua ratione 9.§. Interdum etiam §. de acq. rer.dom.*

b *Statim tibi adquiritur proprietas*. Quia breui manu videris rem ex prima causa restituisse, & ex secunda causa recepisse, *arg.l.singularia 15.ff.de reb.cred.Pac.hic in Analy.*

Ad §. Item si quis merces.

Item si quis merces in horreo depositas (a) *vendiderit, simul atque* (b) *claues horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium* 1
ad emptorem.

a DEpositas. *In l.qua ratione 9. §.Item si quis merces ff. de acquir. rer.dom.* legitur; repositas.

b *Simulatque claues horrei tradiderit &c.* Clauibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claues apud horrea traditæ sunt: quo facto confestim emptor dominium & possessionem adipiscitur, & si non aperuerit horrea, *l.clauibus 74.ff.de contrab.empt.* 2

Ad §. Hoc ampliùs.

Hoc amplius, interdum & in incertam personam collata voluntas domini, transfert rei proprietatem: vt ecce prætores, & consules, qui missilia (a) *iactant in vulgus, ignorant quid eorum quisque sit excepturus: & tamen quia volunt quod quisque exceperit, eius esse, statim eum dominum efficiunt.* 3

a QVi missilia iactant in vulgus. A Martiano Imperatore scripta lex est quæ volebat non spargere pecunias Consules, *l.2.C.de consul. lib.* 12. Iustinianus autem consulibus permisit, vt si vellent, spargerent argentum, non tamen aurum. *Nouella* 105. Sed Leo nouissimè hanc Iustiniani Constitutionem abrogauit. *Nouella* 94.

Ad §. Qua ratione. 4

Qua ratione verius esse videtur, si rem pro derelicto à domino habitam occupauerit quis, statim eum dominum effici. Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abiecerit, (a) *vt id in numero rerum suarum esse nolit: ideòque statim dominus* (b) *esse desinit.*

a ABiecerit. Argumento huius verbi (Abiecerit) videtur hoc de rebus tantum mobilibus, quæ abijci possunt, intel-

intelligendum esse? verius tamen est, res soloquoque hærentes, & quæ immobiles habentur pro derelicto fieri, vt si quis domum aut agrum ita derelinquat, vt in bonis suis amplius non sit, statim dominus esse desinit, & nullius iam in bonis, quod sic derelictum est esse intelligitur. Itaque naturali ratione occupanti conceditur. *Mynsi. & Oinot. hic.* 3

b *Ideòque statim dominus esse desinit.* Proculus existimabat pro derelicto rem à domino habitam non desinere domini esse, nisi ab alio possessa fuerit: Sed Iulianus eum meritò reprehendit, *l.2. ff. pro derelicto*. Placuit enim Sabini, & Cassij sententia, existimantium statim nostram desinere rem esse, quam derelinquimus, *l. falsus creditor* 44. §. *Qui alienum ff. de furtis.* 1

Ad §. Alia causa.

Alia causa est earum rerum, quæ in tempestate maris, leuandæ (a) *nauis causa, eiiciuntur, hæ enim dominorum permanent, quia palam est* (b) *eas non eo animo eiici, quod quis eas habere non vult, sed quo magis cum ipsa naui maris periculum effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi* (c) *animo abstulerit, furtum committit* (d) *Nec longè discedere videntur abbis, quæ de rheda* (e) *currente non intelligentibus dominis cadunt.* 2

a *Leuandæ nauis causa eiiciuntur.* Lege Rhodia cauetur: vt si leuandæ nauis gratia iactus mercium factus sit: omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est, *l. 1. ff. ad leg. Rhod. de iactu.* 3

b *Quia palam est eas non eo animo eiici &c. l. Qua ratione* 9. §. *vlt. ff. de acquir rer. dom. l. 2. in fine, & l. Qui leuandæ* 8. *ff. ad leg. Rhod. de Iact. Vlpianus tamen in l. falsus* 44. §. *si iactum ff. de furtis*, Plerumq; credendum ait, quod derelinquentis animo quis iactauerit, quandò sciat iactum periturum. Vide *Eguin. Bar. hic. & Pac. leg. Concil. Cent. 7. q. 52.* 4

c *Lucrandi animo.* Quia furtum sine affectu furandi non committitur §. *placuit tamen. Instit. de oblig. quæ ex delic. nasc.*

d *Furtum committit.* Ex *Constitutione Friderici Secundi de statut. & consuetud. cont. lib. Ecc.* §. *Nauigia, in vsib. feud.* Surripientes res nauigantium, si quo casu contingente nauigia rupta fuerint, vel aliàs ad terram peruerint, bonorum suorum publicatione mulctantur.

c *Quæ de rhedacurrente &c.* Res, quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt, non fiunt repertentis, sed dominorum permanent, & qui eas lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur *l. falsus* 44. § *Qui alienum ff. de furtis.*

De Rebus (a) corporalibus, vel incorporalibus.

TITVLVS II.

1

Quædam (b) *præterea res corporales sunt, quædam incorporales. Corporales hæ sunt, quæ sui natura* (c) *tangi possunt; veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales autem sunt, quæ tangi* (d) *non possunt: qualia sunt ea, quæ in iure consistunt* (e) *sicut hereditas, usufructus, ius, obligationes quoquo modo* (f) *contractæ. Nec ad rem pertinet, quòd in hereditate res corporales continentur. Nam & fructus qui* 2 *ex fundo percipiuntur, corporales sunt, & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerumque* (g) *corporale est, veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum ius hereditatis, & ipsum ius obligationis, incorporale est. Eodem numero sunt iura prædiorum vrbanorum, & rusticorum, quæ etiam seruitutes* (h) *vocantur.*

a *De rebus corporalibus &c.* Dictum fuit in titulo præcedenti *in §. Singulorum*, quod quarumdam rerum dominium nanciscimur iure gentium, quarumdam iure ciuili, & subsequenter expositi fuerunt modi acquirendi iure gentium ideò, consequens esse videbatur, vt explicarentur modi acquirendi Iure Ciuili: Sed Imperator prius quam hoc faciat, res diuidit in corporales, & in incorporales, ac potissimum agit de rebus incorporalibus, quæ hoc loco declaratione egent, propterea quòd Iure gentium res tantùm, corporales acquiruntur, Iure autem Ciuili etiam incorporales. *Ex Pac. hic in Analy.* 3

b *Quædam præterea &c.* Hic titulus desumptus est ex Gaio in *l.* 1. §. *quædam præterea ff. de rer. diuis.* 4

c *Quæ sui natura tangi possunt.* Ideò, quæ aptæ sunt sui natura vt tangi possint - Nam rem, quæ est in profundo maris, tangere non possumus, & tamen est corporalis, *gl. in d. l.* 1. §. *quædam præterea, in verbo, possunt, ff. de rer. diuis.*

d *Quæ tangi non possut.* Cicero autem in Topicis hæc sic exponit: Definitionum duo sunt genera prima. Vnum, earum rerum

rerum quæ sunt: alterum, earum quæ intelliguntur. Esse ea dico, quæ cerni tangiue possunt: vt fundum, ædes, &c. Non esse rursus ea dico, quæ tangi demonstrariue non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt: vt si vsucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus: est quædam tamen corformatio insignita, & impressa in intelligentia, quam notionem voco. *Ex H.hic.* 1

c *Ea, quæ in iure consistunt: sicut hereditas &c.* Hereditas vsusfructus, vsus obligationes, & res similes, in iure consistere dicuntur à Iure Consultis: quasi dicant non per se consistere, sed Iuris constitutione, *Baro hic.*

f *Quoquo modo contractæ.* Multi enim sunt contrahendæ obligationis modi, vt suo loco videbimus.

g *Plerumque corporale est.* Plerumque dixit Iustinianus, quoniam interdum incorporale est, quod ex obligatione nobis debetur. 2

h *Quæ etiam seruitutes vocantur.* Quod Iura prædiorum etiam seruitutes vocentur, non ita intelligi oportet, quasi eadem prorsus essent, sed vt relata hæc inter se habeantur: & illa vim agendi, hæpatiendi significationem habeant. Ergo in eo cui debetur, eundi pura facultas, ius dicitur: in eo, qui debet, seruitus. *Ex H.hic.*

De Seruitutibus (a) rusticorum, & vrbanorum prædiorum. 3

TITVLVS III.

Rusticorum prædiorum iura sunt hæc, iter, actus, via, aquæductus. Iter est ius eundi, ambulandi hominis, non etiam (b) *iumentum agendi, vel vehiculum. Actus* (c) *est ius agendi, vel iumentum, vel vehiculum. Itaque qui habet iter, actum non habet: qui actum habet, & inter* (d) *habet, eòque vti potest, etiam sine inmento. Via* (e) *est ius eundi, & agendi, & ambulandi: nam & iter* (f) *& actum in se continet via. Aquæductus* (g) *est ius aquæ ducendæ per fundum alienum.* 4

a DE *seruitutibus &c.* Diximus suprà de rebus incorporalibus in genere, sequitur de his videre in specie. Et quia seruitu-

uitutes rusticorum, & vrbanorum prædiorum inter incorporalia computari, ad finem præcedentis tituli dictum est: meritò de seruitutibus rusticorum, & vrbanorum prædiorum nunc subijcitur.

b *Non etiam iumentum agendi.* Iter est quà homines: actus quà pecora transeunt. *Cuiac. hic.* Qui tamen sella aut lectica vehitur: ire, non agere dicitur, *l. qui sella 7. ff. de seruit. rust. præd.* 1

c *Actus est &c.* Actus est ius agendi, vel iumentum, vel vehiculum. *tex. hic.* Non etiam lapidem aut tignum trahendi, hastamue rectam deferendi, *l. qui sella 7. ff. de seruit. rust. præd.* Actus est etiam qua vehiculum duci non potest, modò si iumentum agi potest, *l. si tam angusti 13. ff. de seruitutibus.* Et ideò rectè Imperator sub disiunctione, Actus est ius agendi, vel iumentum, vel vehiculum. Iumenta autem sunt animalia, quæ dorso domantur, vt equi, muli, Asini. Hic tamen iumenti appellatione omne pecus continetur. *Cuiac. hic.* 2

d *Et iter habet.* Actus tamen continet iter, non nominatim, sed tacitè & per consequentiam. Ideòque hic in textu in definitione actus, non dicitur, Actus est ius eundi, & agendi. Sed Actus est ius agendi &c.

e *Via est &c.* Via est ius eundi, & agendi, & ambulandi, *tex. hic.* Et lapidem aut tignum trahendi, & hastam rectam deferendi, *l. qui sella 7. ff. de seruit. rust. præd.* In via, si dicta latitudo non est: legitima debetur, *l. certo generi 13. §. latitudo ff. de seru. rust. præd.* Et viæ latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectum octo pedes habet: in anfractum, id est vbi flexum est sexdecim, *l. viæ latitudo 8. ff. de seruit. rust. præd.* Latitudo actus itineriſque, si non est demonstrata, statuenda est ab arbitro, *d. l. certo generi 13. §. latitudo.* Quod si tam angusti loci (demonstratione facta) via concessa fuerit, vt neque vehiculum, neque iumentum ea ire possit, iter magis, quam via, aut actus acquisitus videtur. Sed si iumentum ea duci poterit, non etiam vehiculum: actus videbitur adquisitus, *l. si tam angusti 13. ff. de seruit.* Et notate, quod hæ viæ, quæ sunt in agro priuatorum constitutæ, priuatæ dicuntur, & non omnibus licet eis vti, sed his tantum, quibus hæc seruitus, ratione fundi dominantis, debetur. *Oinot. hic sub num. 22.* 3 4

f *Nam & iter, & actum in se continet via.* Vtrumque nominatim, & principaliter. Quod intelligitur ex ipsa definitione Viæ. Via est ius eundi, & agendi &c.

g *Aque-*

g *Aquæductus est ius &c.* Verbi gratia. Habebas fundum aquis abundantem, habebam & ego fundum in vicino aquis indigentem. Rogaui te, vt mihi liceret ex fonte, qui in tuo oritur, aquam in fundum meum ducere. Hæc seruitus dicitur aquæductus. *Theoph. hic.* Non est tamen necessarium ad constituendam seruitutem aquæductus, quod is, qui concedit seruitutem concedat etiam aquam, sed sufficit, quod concedat ius ducendi aquam etiam aliunde habitam, *l. tria prædia 31.* 1
in princ. ff. de seruit. rust. præd.

Ad §. Prædiorum vrbanorum.

Prædiorum vrbanorum seruitutes sunt, quæ ædificijs (a) *inhærent, ideò vrbanorum prædiorum dictæ quoniam* (b) *ædificia omnia, vrbana prædia appellamus, & si in villa ædificata sint. Item vrbanorum prædiorum seruitutes sunt hæ, vt vicinus* (c) *onera vicini sustineat: vt in parietem eius liceat vicino tignum* (d) *immittere, vt stillicidium,* (e) *vel flumen recipiat quis in ædes suas; vel in aream, vel in cloacam, vel non* (f) *recipiat, & ne altiùs tollat quis ædes suas, ne* (g) *luminibus vicini officiat.* 2

a Q*Væ ædificij inhærent.* Quibus debentur, vt vsusfructus personis, quibus debetur *Cuiac.*

b *Quoniam ædificia omnia &c.* Neratius, Vrbana prædia à rusticis, loco distinguit, *l. 2. ff. de seruit. rust. præd. l. eo iure 4. §. 1. ff. In quib. caus. pig. vel hypot.* Cæteri omnes non loco, sed materia 3
& qualitate, & genere vsus. *Vide l. Vrbana prædia 198. ff. de verb. sig. & ibi Cuiac.*

c *Vt vicinus onera vicini sustineat.* Hoc est: vt ædificum inferioris vicini, onera ædificij sustineat vicini superioris. Et quamuis aliarum seruitutum ea sit natura, vt is, cuius prædium, alieno seruit, nihil facere teneatur, sed tantùm pati vt fiat, quod oportet: in hac tamen oneris sustinendi, qui eam debet, parietem, vel columnam onerariam ruinosam debet reficere, vel collapsam reædificare, *l. & si fortè 6. §. Etiam ff. si* 4
seruit. vindic. l. eum debere 32. ff. de seruit. vrb. præd. Nisi aliter pactionibus fit expressum, vel longo vsu obseruatum, *l. 1. §. vlt. ff. de aqua plu. arc.*

d *Tignum immittere.* Ideſt, trabem, aut quid aliud, quod ex vno ædificio in aliud porrigatur *l. hoc, quod 24. in princ. ff. de seruit. verb. præd.* Et hæc seruitus a superiore distat, quia vicinus,
qui

qui hanc seruitutem debet, cogitur tantùm ad tignum susci-
piendum, non etiam ad parietem reficiendum, *l. sicuti autem*
8. §. *distant autem ff. si seruit. vindic.*

c *Vt stillicidium, vel flumen.* Stillicidium dicitur, cùm aqua pluuia stillatim cadit ex tectis. Flumen verò, cum eadem aqua maiore quadam vi & cumulo grauioreque cursu per canales & alueos, plumbeos puta, vel ligneos, decurrit.

f *Vel non recipiat.* Hanc seruitutem non recipiendi acquirit 1
nemo nisi qui antea debebat seruitutem recipiendi. *Cuiac. hic.* Pone ergo. Debebam tibi seruitutem stillicidij, vel fluminis recipiendi in ædes meas, vel in aream, Rogaui te ne stillicidia tua aut canales in domum vel aream meam proiiceres. Id mihi concessisti. Hæc seruitus dicitur stillicidij vel fluminis non recipiendi. *Ex Theophilo.*

g *Ne luminibus vicini officiat.* Theophilus hoc loco non constituit nouam speciem seruitutis, sed superiori coniungit hæc verba, *ne luminibus &c.* quasi reddant rationem, & explicent 2
vsum seruitutis altiùs non tollendi. Alia tamen est seruitus altiùs non tollendi, alia vicini luminibus non officiendi. Nàm illa ædificationem solam, hæc quidquid lucem adimit aut minuit, prohibet. *Ex not. hic in marg. & ex H.* Potest enim aliter offici luminibus, quàm altiùs ædes tollendo, veluti ædificium deprimendo: si fortè per repercussionem lumen ad vicini ædes perueniat, vel arborem ponendo, quæ efficiat quò minus Cœlum videri possit. *l. si arborem 16. in princ. & in §. Interdum ff. de seruit. vrb. præd.* 3

Ad §. Inter rusticorum.

Inter (a) *rusticorum prædiorum seruitutes quidam* (b) *computari rectè putant aquæ* (c) *haustum, pecoris* (d) *ad aquam adpulsum, ius pascendi*, (e) *calcis coquendæ*, (f) *arenæ fodiendæ*.

a *INter rusticorum &c. H. existimat hunc. §. Esse anteponendum præcedenti §.* 4

b *Quidam computari &c.* His verbis indicat Iustinianus non omnes Iureconsultos in hoc consensisse.

c *Aquæ haustum.* Aquæ haustus est ius hauriendi aquam necessariam fundo, vel laborantibus in eodem, ex fonte, vel puteo vicini. *Ex gl. hic.* Et qui habet haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum. Et (vt ait Neratius) siue ei ius hau-

rien-

riendi & adeundi concessum sit, vtrunque habebit : siue tantùm hauriendi, inesse & aditum : siue tantùm adeundi ad fontem, inesse & haustum, *l.3. §. Qui habet ff. de seruit. rust. præd.*

d *Pecoris ad aquam adpulsum.* Pecoris ad aquam adpulsus est ius adpellendi pecoris ad aquam vicini vt bibat, vel lauetur. Ius inquam concessum in gratiam vicini prædij. v.g. vt in eo esse possit pecus agri stercorandi causa. Si quis autem Ius habens pecoris ad aquam appellendi, plura pecora appulerit, quàm 1
deberet appellere. Trebatius ait posse vniuersum pecus impunè prohiberi : quia iunctum pecus ei pecori, cui appulsus debeatur, totum corrumpat pecoris appulsum. Marcellus autem ait, non in omnibus pecoribus eum prohibendum. Quod verum est, quia pecora separari possunt, *l. 1. §. Trebatius ait ff. de aqua quotid. & æst.*

e *Ius pascendi.* Ius scilicet pascendi pecoris in agro alieno. In gratiam tamen prædij vicini, veluti si seruitus imponatur, vt boues, per quos fundus colitur, in vicino agro pascantur, 2
l.3. ff. de seruit rust. præd.

f *Calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.* Ius calcis coquendæ, vel arenæ fodiendæ est ius coquendi calcem, vel fodiendi arenam in agro alieno, pro necessitate tamen fundi vicini, & non vltrà : veluti pro instauranda villa, quæ in fundo est, in qua fructus coguntur, coactique habentur. Huiusmodi enim seruitutes non vltrà constitui possunt, quàm quatenus ad fundum 3
vicinum opus sit, *l. ergo 5. cum l. seq. ff. de seruit. rust. præd.*

Ad §. Ideò autem.

Ideò (a) *autem hæ seruitutes prædiorum appellantur : quoniam* (b) *sine prædijs constitui non possunt. Nemo* (c) *enim potest seruitutem acquirere vrbani vel rustici prædij, nisi qui habet prædium, nec quisquam* (d) *debere, nisi qui* (c) *habet prædium.*

a *Ideò autem &c. l. 1. §. Ideò autem ff. commun. præd.*

b *Quoniam sine prædijs &c.* Obstat *l. labeo* 10. *ff. de seruit. rust. præd. & l. si seruus* 22. *§. vlt. ff. de seruit. vrb. præd.* Vbi dicitur, quod futuro quoque ædificio quod nondum est, vel imponi vel adquiri seruitus potest. Dicendum : ne hoc quidem casu seruitutem sine prædio constitui. Nàm hæc quoque constitutio ad prædium refertur, & ante ædificationem prædij perfectam, seruitutus verè nondum competit, sed spes tantùm eius

est, velut sub tacita conditione constitutæ, si ædificium fiat. *Ex G. hic.*

c *Nemo enim &c,* Nemo potest seruitutem acquirere vrbani prædij, nisi qui habet prædium vrbanum. Item nemo potest acquirere seruitutem rustici prædij, nisi qui habet prædium rusticum. Potest tamen seruitutem debere vrbani prædij etiam is qui non habet prædium vrbanum, sed rusticum, veluti vt ex ædibus liceat aquam in vicini agrum proijcere. Et contrà 1
etiam is qui non habet prædium rusticum, sed vrbanum, potest debere seruitutem rustici prædi, veluti vt per ædes ad fundum ire liceat. Et ratio est, quia seruitutes à prædijs dominantibus, non à seruientibus, vrbanorum, vel rusticorum prædiorum appellantur.

d *Nec quisquam debere, nisi &c.* Si quis tamen in prædio alieno mihi seruiturem constituat: euictionis nomine personaliter obligatur, *l. fundum* 46. §. *Si per alienum ff. de euictionibus.*

c *Nisi qui habet prædium.* Vicinum, *l. si ædes meæ* 37. *& l. seq.* 2
ff. de seruit. vrb. præd. l. ergo 5. *ff. de seruit. rust. præd.*

Ad §. Si quis velit.

Si quis velit vicino aliquod ius constituere, pactionibus, (a) *atque stipulationibus id efficere debet. Potest etiam* (b) *in testamento quis heredem suum damnare, ne altiùs tollat ædes suas, ne luminibus ædium vicini officiat: vel vt patiatur eum tignum in parietem immittere, vel stillicidium habere: vel vt patiatur eum per fundum* (c) *ire,* 3
agere, aquamue ex eo ducere.

a *Pactionibus, atque stipulationibus. l. 3. ff. de vsufr. & quemad. iuncta l. Via* 5. *ff de seruit.* Nuda pactio obligationem non parit, *l. Turisgentium* 7. §. *Sed cum nulla ff. de pactis.* Idcircò Imperator non tantùm dixit pactionibus, sed adiecit, atque stipulationibus. Possunt tamen etiam alijs conuentionibus seruitutes constitui, veluti per contractum emptionis, & venditionis, *l. quoties via* 20. *ff. de seruit. l. si à te* 16. *ff. si seruit. vind.* Est ta- 4
men notandum, quod quando seruitutes constituuntur, siue inter viuos, vt suprà, siue in vltima voluntate, vt sequitur hic in textu, potiùs causa acquirendi constituitur, quàm reuera seruitus acquiratur. Nàm ad acquisitionem seruitutis requiritur quasi traditio, ideſt, vsus ex parte illius, qui habet prædium, quod debet dominari, & patientia ex parte illius, qui habet

habet prædium, quod debet seruire. Exempli gratia, Si Titius mihi vicino suo vendat Ius eundi per fundum suum, & patiatur me ire, seruitus mihi constituta est: ex sola autem seruitutis venditione, re vera non acquiritur seruitus, sed nascitur tantùm personalis obligatio ad constituendam seruitutem, *l. viæ* 17. *& l. quoties* 20. *ff. de servit. l.* 1. *in fine*, *l. si vnus* 19. *ff. de serv. rust. præd. l. si à te* 16. *ff. si servit. vind.*

b *Potest etiam in testamento &c. l. Potest etiam* 17. *ff. commun. præd.*

c *Per fundum ire*. Et non solùm potest quis in testamento seruitute onerare fundum suum, sed etiam fundum heredis *dicta l. potest etiam* 17. *ff. commun. præd.*

De (a) Vsufructu.

TITVLVS IV.

Vsusfructus (b) *est ius* (c) *alienis* (d) *rebus vtendi* (e) *fruendi, salua rerum* (f) *substantia. Est enim* (g) *ius in corpore: quo sublato & id ipsum tolli necesse est.*

a *De vsufructu*. Hactenus de realibus seruitutibus dictum est: nunc de personalibus subijcitur: de his videlicet, quæ à re personæ debentur: quarum tres sunt species, vsusfructus, vsus, habitatio. De Vsufructu videbimus in hoc titulo: De Vsu, & Habitatione in titulo proximè sequenti.

b *Vsusfructus &c. l.* 1. *ff. de vsufructu*.

c *Est Ius*. Est ius ex seruitute quæsitum. Re vera vsusfructus est seruitus: sed ius & seruitus relatiua sunt. *H. hic*.

d *Alienis rebus*. Qui habet proprietatem, vtendi fruendi ius separatum non habet. Nec enim potest ei suus fundus seruire *l. vti frui* 5. *ff. si vsufr. pet.* An autem Vsusfructus sit vnicus, vel duplex, alter proprietarij, quem Doctores causalem, alter fructuarij, quem formalem solent appellare. *Docet Galuanus de Vsufructu cap.* 2.

c *Vtendi fruendi*. Ad differentiam nudi vsus, qui est ius tantùm vtendi, non etiam fruendi: & habitationis, quæ est ius habitandi, & similior est vsui, quàm vsufructui, vt videbimus in titulo sequenti.

f *Salua rerum substantia*. Interpretes quidam docent, ideo hæc verba fuisse adiecta, quoniam perempta rei substantia, interit

etiam vsusfructus. Est enim vsusfructus ius in corpore: quo sublato, & id ipsum tolli necesse est. *tex. hic.* Alij tradunt, ea verba, salua rerum substantia, ideò apposita fuisse, vt intelligeretur, fructuarium ita rebus vti, fruique debere, ne vtendo fruendo corrumpat substantiam illarum. Alii dicunt, hæc verba, salua rerum substantia, ideò adiecta fuisse, vt ostendatur, vsumfructum propriè esse earum rerum, quarum substantia vtendo non perit, veluti fundi, ædium, & similium. *Vide Caluanum de vsufructu cap.4. præsertim sub num.4.* Vbi in summa existimat hæc verba, salua rerum substantia: neque ad vsusfructus durationem; neque ad officium fructuarii, sed ad solam rei fructuariæ qualitatem esse referenda: vt sit sensus, illas tantum res verum vsumfructum recipere, quæ suapte natura sunt tales, vt vtendo non consumantur, sed retineant substantiam suam ad differentiam earum rerum, in quibus quasi vsusfructus constituitur: nam istarum vsus in abusu, & consumptione consistit. 1 2

g *Est enim ius in corpore &c. l.2. ff. de vsufructu.*

Ad §. Vsusfructus.

Vsusfructus à (a) *proprietate separationem recipit: idque pluribus modis accidit. vt ecce, si quis vsumfructum alicui legauerit: nam heres nudam habet proprietatem, legatarius vsumfructum. Et contrà, si fundum legauerit, deducto vsufructu: legatarius nudam habet proprietatem, heres verò vsumfructum. Item alij vsumfructum, alij deducto* (b) *eo fundum legare potest. Sine testamento verò si quis velit vsumfructum alij constituere, pactionibus* (c) *& stipulationibus id efficere debet. Ne tamen* (d) *in vniuersum inutiles essent proprietates, semper* (e) *abscedente vsufructu: placuit* (f) *certis modis extingui vsumfructum, & ad proprietatem reuerti.* 3

a *Vsusfructus à proprietate &c.* Vsusfructus testamento, pactionibus & stipulationibus constituitur. *l. omnium 3. l. vsusfructus 6. ff. de Vsufructu.* Constituitur adhuc vsusfructus & in iudicio familiæ erciscundæ, & communi diuidundo, si iudex alij proprietatem adiudicauerit, alij vsumfructum. *dicta l. vsusfructus.* 4

b *Alij deducto eo &c.* Si vero fundus simpliciter tibi legatus fuisset, & mihi eiusdem fundi vsusfructus: haberes tu totius fundi proprietatem: partim cum vsufructu, partim sine vsufructu

l. Si

l. Si tibi decem 6. ff. de vsufruct. car. rer. Etiam si testator eo propósito fecit, vt tu nudam haberes proprietatem: quia interdum plus valet scriptura, quàm quod actum sit *l. si alij 19. ff. de vsu, & vsufruct. leg.*

c *Pactionibus & stipulationibus &c. dicta l. 3. ff. de vsufructu.* Vide notata ad §. vltimum præcedentis tituli,

d *Ne tamen in vniersum &c. d. l. 3. ff. de vsufructu.*

e *Semper abscedente vsufructu.* Vsufructu semper separato exi- 1
stente.

f *Placuit certis modis &c.* De quibus in §. *Finitur, hoc eod. tit.*

Ad §. Constituitur autem.

Constituitur (a) *autem vsusfructus non tantùm in fundo, & ædibus, verùm etiam in seruis, & iumentis, & cæteris rebus: exceptis iis, quæ ipso vsu* (b) *consumuntur. Nàm hæ res neque naturali ratione, neque ciuili recipiunt vsumfructum: quo numero sunt vinum, oleum,* 2
frumentum, vestimenta: (c) *quibus proxima est pecunia numerata. Namque ipso vsu assidua permutatione quodammodo* (d) *extinguitur. Sed vtilitatis* (e) *causa Senatus censuit, posse etiam earum rerum vsumfructum constitui: vt tamen eo nomine heredi vtiliter* (f) *caueatur. Itaque si pecuniæ vsusfructus legatus sit, ita datur legatario, vt eius fiat: & legatarius satisdet heredi de tanta pecunia restituenda, si morietur,* (g) *aut capite minuetur. Cæteræ* (h) *quoque res ita traduntur legatario, vt eius fiant: sed æstimatis his, satisdatur, vt, si morietur, aut capite minuetur, tanta pecunia restituatur,* 3
quanti hæ fuerint æstimatæ. Ergo Senatus non fecit quidem earum rerum vsumfructum (nec enim (i) *poterat) sed per* (k) *cautionem quasi vsumfructum constituit.*

a *Constituitur autem &c. l. 3. §. Constituitur ff. de vsufructu.*

b *Quæ ipso vsu consumuntur.* Quia earum non est vsus, sed abusus. *l. hoc Senatus Consultum 5. §. 1. & vlt. ff. de vsufruct. car. rer. &c.* Vtimur enim his, quæ nobis vtentibus permanent: his verò abutimur, quæ nobis vtentibus pereunt. *Boet. Comment. in Top. Cicer. lib. 2.* 4

c *Vestimenta.* In vestimentis, & similibus rebus, quæ nec omninò permanent, nec statim consumuntur, sed minuuntur, & paulatim vsu atteruntur, aut verus vsusfructus constitui potest, aut quasi vsusfructus. Si enim. v. g. vsusfructus vestimentorum legatus sit, liberum est heredi, facta æstimatione

vesti-

vestimentorum proprietatem ad legatarium transferre, & sic in vestimentis quasi vsusfructus constituetur, vt apertè in hoc §. *Dicit Iustinianus*, vel etiam, si hoc malit, stipulari, finito vsufructu vestem sibi reddi, retenta proprietate, quo casu verus vsusfructus vestis constituetur, nec tenebitur legatarius, si attritam vestem teddiderit, modo ea semper sic vsus fuerit vt bono viro conuenit. *l. Sed & si quid* 18. §. *Et si vestimentorum ff. de vsufructu. l. si vsusfructus mihi* 9. §. *vlt. ff. Vsufruct. quemad. cau.* 1
Cuiac. hic in notis posthumis.

d *Quodammodo extinguitur.* Pecunia numerata, licèt vsu non consumatur, tamen quasi consumitur; dum enim impenditur, ei perit, qui impendit, quamuis in sua substantia permaneat. *Pacius hic in Analysi.*

c *Sed vtilitatis causa Senatus censuit &c. l.* 1. *ff. de vsufruct. earum rer. &c.*

f *Vtiliter caueatur.* Rectè caueatur. *l.* 2. *ff. de Vsufruct. ear. rer. &c.* Datis scilicet fideiussoribus, aut pignoribus. *l. ergo* 4. §. *Addici ff. de fideicom. libert.* 2

g *Si morietur aut capite minuetur.* In stipulatione de reddendo vsufructu pecuniæ, duo soli casus interponuntur, mortis, & capitis deminutionis. Quoniam pecuniæ vsus aliter amitti non potest, quàm his casibus *l. In stipulatione* 9. *cum l. seq. ff. de vsufruct. ear. rer. &c.*

h *Cæteræ quoque res &c.* Si vini, olei, frumenti, vsusfructus legatus erit: proprietas ad legatarium debet transferri, & ab eo cautio desideranda est: vt quandocunque is mortuus, aut ca- 3
pite minutus sit, eiusdem qualitatis res restituantur, aut æstimatis rebus, certæ pecuniæ nomine cauendum. Quod & commodius est. Idem scilicet, de cæteris quoque rebus, quæ vsu consumuntur, intelligimus. *l. Si vini* 7. *ff. de vsufruct. ear. rer. &c.*

i *Nec enim poterat.* Nec enim naturalis ratio authoritate Senatus mutari potuit. *l.* 2. *in fine ff. de vsufruct. ear. rer. &c.*

k *Sed per cautionem.* Supradictam, quæ loco proprietatis erit apud heredem. *gl. hic.*

Ad §. Finitur. 4

Finitur autem vsusfructus morte (a) *fructuarij, & duabus capitis deminutionibus, maxima,* (b) *& media, & non vtendo* (c) *per modum & tempus: quæ omnia nostra statuit* (d) *Constitutio. Item finitur vsusfructus, si domino proprietatis ab vsufructuario cedatur*

(*nam*

(nam cedendo extraneo, (c) nihil agit) vel ex contrario; si fructuarius proprietatem rei adquisierit: quæ res consolidatio (f) appellatur. Eo amplius (g) constat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terremotu, vel vitio suo corruerint, extingui vsumfructum & ne (h) areæ quidem vsumfructum deberi.

a *Morte fructuarij.* Quia vsusfructus, personæ cohæret. Quid quid autem personæ cohæret, morte finitur. *l. 3. §. vlt. ff. Quib. mod. vsufruc. amit.* Si tamen legatum vsumfructum legatarius alij restituere rogatus est: id agere prætor debet, vt ex fideicommissarij persona magis, quàm ex legatarij pereat vsusfructus, *l. si legatum 4. ff. Quib. mod. vsufruc. amit.* Quod si vsusfructus municipibus legatus erit: in eo vsufructu centum annis tuendi erunt municipes: quia is finis vitæ longeui hominis est *l. An vsusfructus 62. ff. de vsufructu. l. Si vsusfructus 8. ff. de Vsu, & vsufruc. leg.* 1

b *Maxima & media.* Ante Iustinianum etiam minima capitis deminutio vsumfructum extinguebat, *Paulus Recept. Sent. lib. 3. tit. 6. §. Capitis minutione.* Ex Constitutione Iustiniani vsusfructus minima capitis deminutione non amittitur, *l. corruptione m 16. §. vlt. C. de vsufructu.* 2

c *Et non vtendo per modum & tempus.* Si fructuarius per decennium inter præsentes, aut per viginti annos inter absentes non vtatur, extinguitur vsusfructus, *l. corruptionem 16. §. Sed nos, & §. seq. C. de vsufructu. l. sicut 13. C. de seruit. & aqua.* Et etiam finitur vsusfructus si vsufructuarius per dictum tempus, quo vsusfructus perit, debito modo non vtatur: non vtatur inquam, vt bonus pater familias. *§. Sed si gregis Inst. de rer. diuis.* Vel non vtatur eo modo, qui in constituto vsufructu dictus & comprehensus est. In quibus casibus vsusfructus dicitur amitti non vtendo, Nàm & vti alio modo, quàm quo oportet, non vti est. 3

d *Nostra statuit constitutio. Dicta l. corruptionem 16. C. de vsufruct.*

e *Nam cedendo extraneo, nihil agit.* Vsusfructus siue domino proprietatis ab vsufructuario cedatur, siue extraneo, cessione finitur. Nam & extraneo cessus, ad proprietatem recurrit. *l. Si vsusfructus 67. ff. de Iure dotium.* Nihil verò agitur in persona extranei. *Cuiac. in Frag. Vlpiam tit. 19. In verbo, Velut vsusfructus.* Alij verò dicunt, quod si extraneo fructuarius cedat vsumfructum, non vsumfructum, sed commodum vsusfructus, quandiù ipse fructuarius erit, cedere intelligitur. Quod ergo ait Iustinianus hoc loco. (Nihil agit) sic accipiendum est, quasi- 4

dice-

diceret: non diuturniorem idcircò vsumfructum suum faciet. Vel non idcircò diutiùs vsumfructum à proprietate separabit. Eodem modo quod ait Pomponius *in d. l. si vsusfructus 67. ff. de Iure dotium*. Si extraneo cedatur, nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reuersurum vsumfructum: sic accipe, Nihil noui iuris ad eum transire, quod vsumfructum diutiùs à proprietate seiunctum teneat. *H. hic*.

f *Quæ res consolidatio appellatur.* Quoniam in vnum conueniunt 1 vsusfructus, & proprietas. *Theoph. hic.*

g *Eo amplius constat &c. l. Repeti potest 5. §. Rei mutatione ff. Quibus mod. vsufruc. amit.* Est enim vsusfructus ius in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse est. *l. 2. ff. de vsufructu.*

h *Et ne areæ quidem &c.* Nec cæmentorum. *d. l. repeti potest 5. §. Rei mutatione*. Quandiù tamen quælibet portio earum ædium remanet, non solùm partis, quæ supereſt, sed etiam totius soli vsusfructus retinetur. *l. Si cui insulæ 59. ff. de vsufructu*. Sic versa vice, si areæ vsusfructus sit legatus, & in ea ædificium sit positum: extinguitur vsusfructus. Planè si proprietarius hoc fecit: ex testamento, vel de dolo tenebitur. *d. l. repeti potest 5. §. vlt. ff. Quib. mod. vsufruct. amit.* 2

Ad §. Cùm autem.

Cùm autem finitus fuerit vsusfructus, reuertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re (a) *habere potestatem.* 3

a PLenam in re habere potestatem. Plenam proprietatem. *l. pater militi 15. §. vlt. ff. de castr. pecul.* Plenum ius. *l. Titia 19. in prin. ff. de annu. leg. l. si ita stipulatus 126. §. 1. ff. de verb. oblig. Cuiac. hic.*

De vsu (a) & habitatione.

TITVLVS V. 4

Iisdem iisdem (b) *modis, quibus vsusfructus constituitur, etiam nudus* (c) *vsus constitui solet, iisdemque illis modis finitur, quibus & vsusfructus desinit.*

a DE *vsu, & habitatione &c.* Continuatio præsentis tituli patet ex continuatione tituli præcedentis. Vsus est ius alie-

nis

nis rebus vtendi, salua rerum substantia. Hæc definitio satis intelligitur ex his, quæ diximus ad *princ.tit. de vsufructu*. De Habitatione verò videbimus *ad §. Sed si cui habitatio*, hoc eodem titulo.

b *Iisdem istis modis &c.* Quibus modis vsusfructus constituitur, & finitur, isdem modis etiam nudus vsus & constitui & finiri solet. *l.omnium 3.in fine ff.de vsufructu*. Qui autem sint isti modi, quibus vsusfructus constituitur, & finitur, relatum est supra in titulo de Vsufructu, *ad §.Vsufructus, & ad §.Finitur.* 1

c *Nudus vsus.* Ideſt, sine fructu. *l.1.ff.de vsu, & habitatione.*

Ad §. Minùs autem.

Minus (a) *autem iuris est in vsu, quàm in vsufructu. Namque is, qui fundi nudum* (b) *habet vsum, nihil vlterius* (c) *habere intelligitur, quàm vt oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad vsum* (d) *quotidianum vtatur: in eo quoque* (e) *fundo hactenus* 2 *ei morari licet, vt neque domino fundi molestus sit, neque ijs, per quos opera rustica fiunt, impedimento, nec vlli alij* (f) *ius, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest: cum is, qui vsumfructum habet, possit* (g) *hæc omnia facere.*

a *Minùs autem iuris est in vsu &c.* Idem tamen continet vsus, & vsusfructus pecuniæ, vel cæterarum rerum, quæ sunt in abusu. *l.Hoc Senatus Consultum 5.§.vlt.ff.de vsufruct.earum rerum &c.*

b *Nudum habet vsum.* Ideſt sine fructu, vt dixi in præced.§. 3

c *Nihil vlterius habere intelligitur, quàm vt oleribus &c.* Immò etiam ex oleo, frumento, & cæteris artificiosis fructibus, qui in fundo nascuntur, quod ad victum sibi suisque, & etiam conuiuis, & hospitibus sufficiat, sumere potest. Aliquantò etiam largiùs cum vsuario agendum est pro dignitate eius, cui relictus est vsus, *l.plenum 12.§.1.ff.de Vsu & Habitatione*. Quod tamen ei, qui fundi nudum habet vsum, fructus etiam artificiosi debeantur vt supra: sic accipiendum est, dummodò vsuarius partem impendij proprietario restituat. *H.hic.* 4

d *Ad vsum quotidianum vtatur.* Non vsque ad compendium, sed ad vsum, non ad abusum, *d.l.plenum 12.§.1.ff.de vsu, & habitat.* Si autem fundi vsumfructum quis habeat: quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructuarij est: sic tamen vt boni viri arbitratu fruatur. *l.Item si fundi 10. ff.de vsufructu.*

c *In eo quoque fundo &c. l. In eoque fundo* 11. *ff. de vsu & habitat.* Fructuario verò fundi liberè in eo morari licet. Nàm fundi cultura ad eum spectat. *l. hactenus* 8. *in fine ff. de vsufructu.*

f *Nec vlli alij ius, quod habet &c. d. l. In eoque fundo* 11. *ff. de vsu, & habitatione.*

g *Possit hæc omnia facere.* Vsufructuarius vel ipse frui ea re, vel locare, vel vendere, vel alij fruendam concedere potest. Nam & qui locat, vtitur, & qui vendit. Sed etsi alij precario concedat vel donet, vtitur, atque ideo retinet vsumfructum, *l. arboribus* 13. §. *vsufructuarius ff. de vsufructu.* Quod ergo dicitur fructuarium posse vendere, aut gratis concedere ius, quod habet, non sic accipi debet, quasi possit fructuarius ius suum, quod personale est, & personam non egreditur, in alium transferre: sed sic debet intelligi, vt commodum vsusfructus, quandiù ipse fructuarius erit, ad alium transferre possit. Vide notata suprà *in tit. de vsufructu, ad* §. *Finitur*, In verbo, *Nam cedendo extraneo.* 1 2

Ad §. Item is, qui ædium.

Item is, qui ædium vsum habet, hactenus ius habere intelligitur, vt ipse tantùm habitet: nec hoc ius ad alium (a) *transferre potest. Et vix receptum esse videtur, vt hospitem* (b) *ei recipere liceat: sed cum vxore sua liberisque suis, item libertis, necnon alijs liberis personis, quibus non minùs quàm seruis vtitur, habitandi ius habet. Et conuenienter, si ad mulierem vsus ædium pertineat, cum marito* (c) *ei habitare licet.* 3

a *Nec hoc ius ad alium transferre potest.* Is, qui ædium vsum habet, neque locabit seorsum: neque concedet habitationem sine se, nec vendet vsum, *l. sed neque locabunt* 8. *ff. de vsu, & habitat.* Fructuarius verò ædium, vel eas ipse habitare, vel locare, vel vendere, vel alij fruendas concedere potest, *l. arboribus* 13. §. *Vsusfructuarius ff. de vsufructu.* Quod tamen accipi debet vt dixi in vltima nota præced. §. 4

b *Vt hospitem ei recipere liceat.* Sed an & inquilinum recipere possit? Et ait Labeo eum, qui ipse habitat, inquilinum posse recipere, *l. 2. ff. de Vsu & habitat.* Proculus autem de inquilino notat, non bellè inquilinum dici, qui cum eo habitat. Et secundùm hæc & si pensionem recipiat dum ipse quoque inhabitat: non erit ei inuidendum, *l. cæterùm* 4. §. *eod.*

c *Cum marito ei habitare licet.* Hoc Quintus Mutius primus admisit, ne ei matrimonio carendum foret, cum vti vult domo. Quid ergo si viduæ legatus sit ædium vsus: an nuptijs contractis, post vsum constitutum, mulier habitare cum marito possit? Et verum est posse eam cum viro, & postea nubentem habitare, *l. cæterum 4. §. Mulieri autem ff. de vsu & habitatione.* Non solùm autem cum marito mulier, quæ vsum ædium habet, sed & cum liberis, libertisque habitare, & cum parentibus poterit. Et huc vsque erit procedendum, vt eosdem, quos masculi reciperent, recipere, & mulieres possint *l. non solum 6. ff. de vsu & habitatione.* Non aliter autem mulier hospitem recipere potest, quam si is sit, qui honestè cum ea, quæ vsum habet, habitaturus sit *l. non aliter 7. ff. eodem* Sed & si vsus ædium mulieri legatus sit ea conditione, Si à viro diuertisset. Vlpianus ait remittendam ei conditionem, & cum viro habitaturam *l. Sed neque locabunt 8. §. eodem.* 1

Ad §. Item is, ad quem.

Item is, (a) *ad quem serui vsus pertinet, ipse tantummodo operis atque ministerio eius vti potest: ad alium verò nullo modo ius suum transferre ei concessum est. Idem scilicet iuris est &* (b) *in iumentis.* 2

a *Item is, ad quem serui vsus &c.* Si vsus serui alicui fuerit relictus: ad suum ministerium vtetur, & liberorum, coniugisque: nec videbitur alij concessisse, si simul cum ipsis vtatur. Operas autem serui vsuarij non locabit, neque alij vtendas concedet. Et ità Labeo ait. Quemadmodum enim concedere alij operas poterit, cum ipse tantum vti debeat? Idem tamen Labeo putat, si fundum conduxerit quis, vsuarium seruum ibi posse operari. Quid enim interest, in qua re opera eius vtatur? Quare si lanam conduxerit vsuarius expediendam: poterit etiam per vsuarias ancillas opus perficere. Itemque si vestimenta texenda redemerit, vel insulam, vel nauem fabricandam: poterit ad hæc operis vti vsuarij *l. plenum 12. §. Si vsus ministerij, & §. seq. ff. de vsu & habitatione.* Sed & ipsi seruo, ancillæue pro operis mercedem imponi posse, Labeoni placet. *l. sed & ipsi 13. ff. eodem.* 3 4

b *Et in iumentis.* Quod si bouum armenti vsus relinquatur: omnem vsum habebit vsuarius: & ad arandum: & ad cetera, ad quæ boues apti sunt, *d. l. plenum 12. §. Sed & si bouum ff. de Vsu & habitatione.*

Ad §. Sed si pecorum.

Sed si pecorum, vel (a) ouium, vsus lugatus sit, neque lacte, (b) neque agnis, neque lana vtetur vsuarius, quia ea (c) in fructu sunt. Planè ad stercorandum agrum suum pecoribus vti potest.

a *Vel ouium.* Legendum est, Veluti ouium. Nam pecorum appellatione oues quoque continentur, quia gregatim pascuntur, §. *quod autem Instit. de lege Aquila.* Id etiam confirmat *l. plenum* 12. §. *Sed & si pecoris ff. de vsu & habit. vbi legitur.* Sed & si pecoris ei relictus vsus est, puta gregis ouilis. 1

b *Neque lacte.* Modico tamen lacte vsuarium vti posse putat Vlpianus. Neque enim tam strictè interpretandæ sunt voluntates defunctorum *d. l. plenum* 12. §. *Sed & si pecoris ff. de vsu & habit.*

c *Quia ea in fructu sunt*, §. *In pecundum. Instit. de rerum diuis.* 2

Ad §. Sed Si cui habitatio.

Sed si cui (a) *habitatio legata, siue aliquo* (b) *modo constituta sit, neque vsus videtur,* (c) *neque vsusfructus, sed quasi proprium* (d) *aliquod ius: quanquam habitationem habentibus, propter rerum vtilitatem, secundùm Marcelli sententiam, nostra, decisione* (e) *promulgata permisimus, non solùm in ea degere, sed etiam* (f) *alijs locare.* 3

a *Sed si cui habitatio.* Habitatio est ius habitandi in ædibus alienis, salua earum substantia. Hæc definitio satis intelligitur ex his, quæ dixi *ad princ. tit. de vsufructu.*

b *Sine aliquo modo constituta sit.* Puta pactionibus, atque stipulationibus. Vide notata supra *ad §. Si quis velit, de seruit. rustic. &c.*

c *Neque vsus videtur, neque vsusfructus.* Primùm, quia vsus, & vsusfructus in iure, habitatio in facto potiùs consistit *l. legatum* 10. *ff. de capit. diminu.* Deinde, quia vsus, & vsusfructus non vtendo, & capitis diminutione amittitur §. *Finitur de Vsufructu, iuncto princ. huius tituli*, habitatio non item *l. si habitatio* 10. *in fine princ. ff. de vsu, & habitat* Tertiò Vsus commodari non potest, neque locari §. *Minus autem iuris, hoc titulo* Habitatio commodari potest *l.* 1. §. 1. *ff. commod. vel cont. & ex decisione Instiniani* 4

etiam

etiam locari *tex.hic l. cùm antiquitas 13. C. de vsufruct. & habit.*

d *Sed quasi proprium aliquod ius.* Ideſt, peculiaris ſpecies ſeruitutis perſonalis.

e *Noſtra deciſione promulgata.* Intelligit deciſionem *l. cum antiquitas 13. C. de vſuf. & habit.*

f *Alijs locare.* Donare non permiſit. Ideòque habitationem habentes donare non poterunt. *l. ſi habitatio 10. in princ. ff. de vſu & habitatione.* 1

Ad §. Hęc de ſeruitutibus.

Hæc de (a) *ſeruitutibus, & vſufructu, & vſu, & habitatione dixiſſe ſufficiat. De hereditatibus autem & obligationibus, ſuis locis proponemus. Expoſuimus ſummatim, quibus modis iure gentium res nobis adquiruntur modò videamus quibus modis, legitimo, & ciuili iure adquiruntur.* 2

a HÆc *de ſeruitutibus &c.* In hoc §. *Imperator noſter tranſitum facit à naturalibus mòdis acquirendi dominij, ad legitimos, & ciuiles.* Breui igitur epilogo complectitur ea, quę prox imè docuit, ac proponit, quę ſequentibus titulis expoſiturus eſt,

De Vſucapionibus, (a) & longi temporis poſſeſſionibus.

3

TITVLVS VI.

Iure ciuili (b) *conſtitutum fuerat, vt qui bona* (c) *fide ab eo, qui* (d) *dominus non erat, cum crediderit* (e) *eum dominum eſſe, rem emerit, vel ex* (f) *donatione, aliaue quauis iuſta cauſa acceperit: is eam rem ſi mobilis* (h) *erat anno vbique, ſi immobilis, biennio tatum in Italico* (i) *ſolo vſucapiat, ne rerum dominia* (k) *in incerto eſſent. Et cum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus, dominis ſufficere ad inquirendas res ſuas præfata tempora, nobis melior* 4 *ſententia reſedit, ne domini maturius ſuis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur. Et ideò Conſtitutionem* (l) *ſuper hoc promulgauimus, qua cautum eſt, vt res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poſſeſſionem (ideſt inter præſentes* (m) *decennio, inter abſentes viginti annis) vſucapiantur. Et his modis non ſolùm in Italia, ſed in omni terra, quæ noſtro*

nostro imperio gubernatur, dominia rerum, iusta causa (n) *possessionis præcedente, adquirantur.*

a *De vsucapionibus &c.* Hic titulus continuatur ad superiores per textum in §. vltimo proximè præcedentis tituli. Vsus possessionem significat. Capere est acquirere. Ergo vsucapere est per vsum, siue possessionem acquirere. *l. denique 19. l. ait Prætor 23. §. Deinde ff. Ex quib. caus. maior.* Vnde Vsucapio definitur, adeptio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti *l. vsucapio 3. ff. de vsucapionibus iuncto Vlpiano in frag. tit. 19. §. vsucapione.* Dicitur adeptio dominij: Quoniam vsucapionis effectus est, vt per eam acquiratur dominium Iure Ciuili, *vt in princ huius tituli.* Sequitur per continuationem possessionis. Quia sine possessione continuata non potest vsucapio contingere *l. possessio 20. & l. sine possessione 25. ff. de vsucapionibus.* Additur, temporis lege definiti. Olim, si res mobilis erat, anno vbique, si immobilis, biennio tantùm in Italico solo vsucapiebatur. Hodie res mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis possessionem (idest inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis) vsucapiuntur in omni terra Imperio subiecta, vt in principio huius tituli, *& in l. vnica C. de Vsucap. transfor.* Et notate, quod hoc nomen vsucapio, tam vsucapioni rerum mobilium, quàm immobilium commune est, à Iustiniano tamen rebus duntaxat mobilibus accommodatur vsucapio, rebus verò immobilibus, longi temporis possessio non solum in hac rubrica, sed & in §. *diutina, hoc eodem titulo, & in titulo per quas pers. nob. adquir. §. Item nobis.* Et hæc longi temporis possessio à DD. appellatur etiam præscriptio: Præscriptio tamen propriè nihil aliud est, quàm exceptio, & sic exceptio illa qua post completã vsucapionem, vel longi temporis possessionem, prior dominus ab agendo repellitur præscriptio rectè dicitur. 1 2 3

b *Iure ciuili constitutum fuerat &c.* Lege duodecim tabularum cautum erat vt mobilia anno, & immobilia biennio vsucaperentur. Captis postea prouincijs, in eis vsucapio decemviralis ita fuit admissa, vt mobilia quidem possent, immobilia verò non possent vsucapi in prouincijs, vt erat iuris rationi consentaneum, Prouinciales enim rerum mobilium erant domini. Res immobiles prouincialium erant stipendiariæ, vel tributariæ, & qui ex largitione populi, vel principis eas habebant, domini illarum non erant: verum dominium, aut apud populum erat, aut apud Principem. Vide notata supra *ad §.* 4

per

per traditionem Instit.de rerum diuisione In verbo, *Itaque stipendiaria quoque*.

c *Vt qui bona fide*, In emptione bona fides desideratur tempore contractus, & tempore traditionis: in cæteris contractibus dumtaxat traditionis tempore *l.3.ff. pro soluto, l.2.in princ. ff. pro emptore*. Superueniens scientia rei alienæ Iure Ciuili non impedit vsucapionem bona fide cæptam *l.bonæ fidei* 48.§. *in contrarium ff. de acquir.rer.dom.* Sed Iure Canonico oportet, vt qui 1
præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. *Cap. vlt. de præscript.* Et Iuri Canonico in hoc standum est etiam in foro ciuili *Iason.in l.possidet 3.* §. *Genera ff. de acquir.possess.n.*18. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari, *d.cap.vlt. de præscript.*

d *Ab eo, qui dominus non erat*. Si ab eo qui dominus erat, quis rem emerit: vel ex donatione, aliaue quauis iusta causa acceperit, stat im fiet dominus, nec eget vsucapione §. *Per traditionem Instit.de rer.diuis.* 2

e *Cum crediderit eum dominum esse. Modestinus in l. bonæ fidei* 110. *ff.de verb.sig.* Bonæ fidei emptor esse videtur, qui aut ignorauit eam rem alienam esse: aut cum, qui vendidit, ius putauit vendendi habere: puta procuratorem aut tutorem esse.

f *Vel ex donatione*. Inter viuos, vel causa mortis, *l.sed, & si constante 26. ff. de donat. inter vir. & vx.*

g *Aliaue quauis iusta causa*. Ideſt, aliaue quauis causa, ex qua 3
sia domino rem accepisset, dominium in ipsum accipientem fuisset translatum, veluti ex permutatione, dote, transactione.

h *Si mobilis erat, anno vbique si immobilis, biennio tantum in Italico solo*. Vide notata suprà in verbo, Iure Ciuili constitutum fuerat.

i *In Italico solo H.* hic Italicum solùm, non ipsam Italiæ regionem interpretatur, sed eas omnes regiones quæ Italici iuris erant, de quibus Vlpianus *in l.1.ff. de censibus*.

k *Ne rerum dominia in incerto essent*. Bono publico introducta 4
est vsucapio, ne scilicet quarundam rerum diu, & fortè semper incerta dominia essent *l.1.ff.de Vsucap.* Et vt aliquis litium finis esset *l.vlt.ff.pro suo*. Hinc Cicero in Oratione Pro Cæcina. Fundus à patre relinqui potest: at vsucapio fundi, hoc est finis solicitudinis, ac periculi litium, non à patre relinquitur: sed à legibus.

l *Constitutionem l.vnica C, de Vsucap.transfor.*

m *In-*

m *Inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis.* In huiusmodi specie, si vtriusque persona, tam petentis, quàm possidentis, domicilium in eadem habeat prouincia, causa inter præsentes esse videtur: Inter absentes verò, si non in eadem prouincia vterque domicilium habeat, sed alter in alia, alius in altera. De rebus autem, de quibus dubitatio est, nulla erit differentia, siue in eadem prouincia sint, siue in alia *l. cum in longi 12 C. de præscrip. long. temp.* 1

n *Iusta causa possessionis præcedente.* Iusto titulo præcedente: qualis est titulus pro emptore, pro donato, pro dote, & similes. Nullo enim iusto titulo præcedente possidentes, ratio iuris quærere dominium prohibet, *l. nullo iusto 24. C. de rei vindic.* Vide suprà In verbo, Aliaue quauis iusta causa.

Ad §. Sed aliquando.

Sed aliquando, etiam si maximè quis bona fide rem possederit, non tamen illi vsucapio vllo tempore procedit: veluti si quis (a) *liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel seruum* (b) *fugitiuum possideat.* 2

a *Veluti si quis liberum hominem &c.* Nullo tempore vsucapi possunt liber homo, res sacra, vel religiosa. Quia dominium addicit vsucapio, hæc autem in dominium nullius recidunt, *tex. & Theoph. hic.*

b *Vel seruum fugitiuum.* Seruum fugitiuum sui furtum facere, & ideo non habere locum nec vsucapionem, nec longi temporis præscriptionem, manifestum est, ne seruorum fuga dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa, *l. 1. C. de seru. fugit.* Longissimo tamen tempore adquiruntur serui fugitiui, & ideò *d. l. 1.* nec vsucapionem, inquit, nec longi temporis præscriptionem: nec quidquam de longissimo tempore dicit. *Ex Cuiac. hic.* 3

Ad §. Furtiuæ quoque.

Furtiuæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto (a) *longo tempore bona fide possessæ fuerint, vsucapi possunt. Nàm furtiuarum rerum, lex duodecim tabularum, & lex* (b) *Atinia inhibent* (c) *vsucapionem, vi* (d) *possessarum, lex Iulia* (e) *& Plautia.* 4

a *Nec si prædicto longo tempore &c.* Si res sit furtiua, aut vi possessa, licet à fure, aut prædone deinde ad bonæ fidei

fidei possessorem pervenerit, obstat nihilominùs rei vitium vsucapioni & longi temporis præscriptioni, vt hic in textu. Non tamen obstat præscriptioni longissimi temporis, id est, annorum triginta, *l. sicut 3. C. de præscript. trig. vel quadragint. ann.* Vide *Cuiac. obseruat. lib. 10. cap. 12.*

b *Et lex Atinia.* Legis veteris Atiniæ verba sunt: Quod surreptum erit, eius rei æterna auctoritas esto. *Gellius lib. 17. cap. 7.*

c *Inhibet vsucapionem.* Vbi lex inhibet vsucapionem, bona 1
fides possidenti nihil prodest, *l. Vbi lex 24. ff. de Vsucap.*

d *Vi possessarum.* Si tu vi me expuleris de fundi possessione, nec apprehenderis possessionem, sed Titius in vacuam possessionem intrauerit bona fide: potest longo tempore capi res: quia lex Iulia, & Plautia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent: non etiam ex quibus vi quis deiectus fuisset. *l. sequitur 4. §. Si tu vi, l. non solum 33. §. si dominus, ff. de vsucapionibus.*

e *Lex Iulia & Plautia.* Veteres libri, Lex Plautia, & Iulia. 2
Quod perspicuè rectum est: Nàm prior fuit Lex Plautia de vi, Lege Iulia de vi. *Cuiac. hic.* Plautiam tulit M. Plautius Siluanus Tribunus plebis. Iuliam tulit C. Iulius Octauianus Augustus. H. In Indice Legum Romanarum, In verbo, *Plautia de vi*, & In verbo, *Iulia de vi.*

Ad §. Quòd autem dictum est.

Quod autem dictum est, furtiuarum, & vi possessarum rerum vsucapionem per leges prohibitam esse, non eò pertinet, vt ne ipse fur, quiue per vim possidet, vsucapere possit (nam his alia ratione vsucapio non competit, quia scilicet mala fide possident) sed ne vllus alius, quamuis (a) ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, vsucapiendi ius habeat. Vnde in rebus mobilibus non facilè procedit, vt bonæ fidei possessori vsucapio competat. Nàm qui (b) sciens alienam rem vendidit, vel ex alia causa tradit, furtum eius committit. 3

4

a *Quamuis ab eis bona fide emerit &c.* Vide in prima nota proximè præced. §.

b *Nam qui sciens alienam &c.* Ex principio seq. §. constat legendum esse: Nam qui alienam.

Ad §. Sed tamen.

Sed tamen id (a) *aliquando aliter se habet. Nàm si heres* (b) *rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hereditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit: quin is, qui acceperit,* (c) *vsucapere possit, dubium non est: quippe cum ea res in furti vitium non* 1
ecciderit: cum vtique heres, qui bona fide tamquam suam alienauerit, furtum (d) *non committat.*

a *Sed tamen id aliquando &c.* Hoc est, Accidit tamen aliquando vt qui alienam rem vendit, vel ex alia causa tradit, furtum eius non committat, & ob id in ea re bonæ fidei possessori vsucapio competat. Exempla sequuntur in text.

b *Nam si heres rem defuncto commodatam &c. l. potest 26. ff. de* 2
Vsucap.

c *Quin is, qui acceperit, vsucapere &c.* Ipse autem heres vsucapere non potest, quia nec defunctus potuit. *Cuiac. hic.*

d *Furtum non committat.* Furtum enim sine affectu furandi non committitur. *l. furtum 37. ff. de vsucap.*

Ad §. Item si is, ad quem.

Item si is, (a) *ad quem ancillæ vsusfructus pertinet, partum suum* (b)
esse credens vendiderit, aut donauerit, furtum (c) *non committit.* 3
Furtum enim (d) *sine affectu furandi non committitur.*

a *Item si is ad quem &c. l. potest 36. in fine, cum l. seq. ff. de vsucap.*

b *Partum suum esse credens.* Iuris errore. Partus enim ancillæ ad dominum proprietatis pertinet, non ad vsufructuarium. §. *In pecudum, Instit. de rer. diuis.*

c *Furtum non committit.* Et efficit vt à possessore, qui credidit eum dominum esse, partus vsucapiatur. Ipse autem fructuarius ancillæ non potest partum vsucapere, quia in iure errat 4
partuum suum esse credens. *d. §. In pecudum, Instit. de rer. diuis.* Et in iure erranti non procedit vsucapio. *l. si fur 32. §. 1. ff. de vsucap.*

d *Furtum enim &c.* Furtum sine affectu furandi non committitur. *tex. hic. §. Placuit tamen, Instit. de oblig. quæ ex delic. nasc. l. furtum 37. ff. de vsucap. Opponitur. l. Qui saccum 79. ff. de furtis.* Vbi

dicitur, quod qui sæcum habentem pecuniam surripuit, furti actione etiam sacci nomine tenetur: quamuis non sit ei animus sacci surripiendi. Responsio: Quod dicitur *in d. l. Qui saccum*, furem non habuisse animum surripiendi sacci, sic debet intelligi, vt referatur ad præcipuum scopum furis, qui pecuniam per se surripere voluit: saccum autem per se quidem & principaliter noluit furari, pecuniæ tamen asportandæ causa voluit auferre. Pacius Legum Conciliatarum *Cent.6.q.Vlt.* 1

Ad §. Alijs quoque.

Alijs quoque (a) *modis accidere potest, vt quis sine vitio furti, rem alienam ad aliquē transferat, & efficiat, vt à possessore Vsucapiatur.*

a *Alijs quoque modis &c.* Veluti si quis aliqua existimatione deceptus, crediderit ad se hereditatem pertinere, quæ ad eum non pertineat, & rem hereditariam alienauerit, *l. potest 36.ff.de Vsucap.* 2

Ad §. Quod autem ad eas res.

Quod autem (a) *ad eas res, quæ solo continentur, expeditiùs procedit, vt quis loci* (b) *vacantis possessionem propter absentiam, aut negligentiam domini, aut quia sine successore decesserit, sine vi* (c) *nanciscatur: qui, quamuis ipse* (d) *mala fide possideat, quia intelligit se alienum fundum occupasse: tamensi alij bona fide accipienti tradiderit, poterit ci* (e) *longa possessione res adquiri, quia neque furtiuum, neque vi possessum acceperit. Abolita* (f) *est enim quorumdam* (g) *veterum sententia, existimantium etiam fundi, (h) locine furtum fieri. Et eorum, (i) qui res soli possederint, principalibus* (k) *constitutionibus prospicitur, ne cui longa, & indubitata possessio auferri debeat.* 3

a *Quod autem ad eas res &c.* Legendum est: Quo autem ad eas res, quæ solo continentur, expeditiùs procedit, vt quis loci vacantis &c. Et sententia huius textus hæc est: Expeditiùs procedit, vt quis rei immobilis possessionem sine vi nanciscatur, quàm rei mobilis siue furto. *Ex Cuiac.* 4

b *Vt quis loci vacantis possessionem &c.* Fundi alieni potest aliquis sine vi nanciscì possessionem, quæ vel ex negligentia domini vacet, vel quia dominus sine successore decesserit, vel longo 5

tempore abfuerit, *l.furtum 37.ff.de Vſucap.*

c *Sine vi nanciſcatur*. Si res ſit vi poſſeſſa, licèt à prædone deinde ad bonæ fidei poſſeſſorem peruenerit, obſtat nihilominus rei vitium longi temporis præſcriptioni. §. *furtiuæ quoque*, & §. *quod autem dictum eſt, hoc eodem tit.*

d *Qui, quamuis ipſe mala fide &c. l. Quare 38. ff. de Vſucapionibus.*

e *Poterit ei longa poſſeſſione &c.* Sed hodie malæ fidei poſſeſſore alienante, ceſſat longi temporis præſcriptio, ſi verus dominus ignorat & ius ſuum, & alienationem factam. Spectatur ergo triginta annorum defenſio. *A. Vt ſponſal. larg. & c. collat. 9. cap. 7. A. Malæ fidei C. de præſcrip. longi temp.* 1

f *Abolita eſt enim &c. d. l. Quare 38. ff. de Vſucap.*

g *Quorundam Veterum*. In Libro Sabini, cui titulus eſt, de furtis, ſcriptum eſt fundi quoque & ædium fieri furtum. *Gellius lib. 11. cap. 18.*

h *Fundi, locive*. Fundus integrum aliquid eſt: locus eſt portio fundi. Vide *l. locus 60. & l. fundi appellatione 211. & ibi Cuiacium ff. de Verb. ſignif.* 2

i *Et eorum qui res ſoli poſſederint*. Sic veteres libri. In aliis editionibus legitur: Et eorum vtilitati, qui res ſoli poſſident.

k *Principalibus Conſtitutionibus*. Vſucapio eſt ex duodecim tabulis, vt dixi ad principium huius tituli. Longi temporis poſſeſſio eſt ex Conſtitutionibus, vt ex hoc loco intelligitur.

Ad §. Aliquando etiam.

3

Aliquando etiam furtiua, vel vi poſſeſſa res vſucapi poteſt, veluti ſi in domini poteſtatem (a) reuerſa fuerit. Tunc enim vitio rei purgato, procedit eius vſucapio.

a *Si in domini poteſtatem reuerſa fuerit*. Quando autem dicatur in poteſtatem domini reuerſa, latè explicat *Paulus in l. ſequitur 4. §. quod autem, & quatuor ſeqq. ff. de Vſucap.*

Ad §. Res Fiſci.

4

Res Fiſci (a) noſtri vſucapi non poteſt: ſed Papinianus ſcripſit, bonis (b) vacantibus fiſco nondum nunciatis, bonæ fidei emptorem traditam ſibi rem ex bis bonis vſucapere (c) poſſe. Et ita Dinus Pius, & Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

a *Res fiſci noſtri &c.* Res fiſci vſucapi non poteſt, *l. 2. C. comm. de Vſucap. l. quamuis 18. ff. de Vſucap.* Adquiritur tamen res

Fiſci

Fisci spatio quadraginta annorum. *l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. an. gl. hic*, in verbo, *non potest*.

b *Bonis vacantibus*. Bona vacantia sunt ea, quæ illius fuerunt, cui neque heres, neque bonorum possessor extat, *l. 1. §. Diuus Pius ff. de Iure fisci.*

c *Vsucapere posse*. Vsucapere ex sententia Iustiniani est diutina siue longa possessione capere, *l. quamuis 13. ff. de vsucap.* Opus autem hac in re fuit rescriptis: quoniam ipso iure bona vacantia ad fiscum pertinent. Non tamen in patrimonio Fisci esse videntur, antequàm nunciata & confiscata sint. *Cuiac. hic.* 1

Ad §. Nouissimè.

Nouissimè (a) *sciendum est, rem talem esse debere, vt in se non habeat vitium, vt à bonæ fidei emptore vsucapi possit, vel qui ex alia iusta causa possidet.* 2

a *Nouissimè sciendum est &c.* In hoc §. generaliter concluditur. Rem talem esse debere, vt in se non habeat vitium, vt ab eo, qui ex iusta causa bona fide possidet, vsucapi possit.

Ad §. Error.

Error autem (a) *falsæ causæ vsucapionem nou parit: veluti si quis* (b) *cum non emerit, emissæ se existimans, possideat: vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.* 3

a *Error autem falsæ causæ*. Causa est possessionis, siue traditionis titulus.

b *Veluti si quis cum non emerit &c.* Quod vulgò traditum est, cum, qui existimat se quid emissæ, nec emerit, non posse pro emptore vsucapere: hactenus verum esse ait Africanus, si nullam iustam causam eius erroris emptor habeat. Nam si fortè seruus vel procurator, cui emendam rem mandasset persuaserit ei, se emisse, atque ita tradiderit: magis esse, vt vsucapio sequatur, *l. Quòd vulgò 11. ff. pro emptore.* 4

c *Vel cum ei donatum non fuerit &c. Paulus in l. 1. ff. pro donato.* Pro donato is vsucapit: cui donationis causa res tradita est: nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet. c

Ad

Ad §. Diutina possessio.

Diutina (a) *possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & heredi* (b) *& bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat* (c) *prædium alienum. Quòd si ille initium iustum non habuit, heredi & bonorum possessori, licet ignoranti, possessio* (d) *non prodest. Quod nostra* (e) *Constitutio similiter & in* (f) *vsucapionibus obseruari constituit, vt tempora continuentur.* 1

a *Diutina possessio &c.* Prædium quis alienum bona fide, & ex iusta causa possedit per quinquennium continuum inter præsentes, & posteà mortuus est. Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & heredi & bonotum possessoti continuatur, licet ipse sciat prædium alienum esse. Et ideò si heres, aut bonorum possessor per quinquennium alterum continuum inter præsentes prædium possideat, ita illud habebit, 2
vt auferri ab eo non possit.

b *Et heredi & bonorum possessori continuatur*, Cœptam quoque vsucapionem à defuncto, posse & ante aditam hereditatem impleri, constitutum est, *l. cœptam 40. ff. de vsucapionibus.*

c *Licet ipse sciat &c.* Iure ciuili continuatio possessionis non impeditur heredis scientia, *l. heres eius 43. ff. de Vsucap.* Nostris enim videtur legibus vnam quodammodo esse personam heredis, & eius, qui in eum transmittit hereditatem. *A. de Iure Iur. ñ mor. præst. in fine princ.* 3

d *Possessio non prodest.* Cum exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur, & heres in ius omne defuncti succedat, *l. cum hæres 11. ff. de diuers. & temp. præscrip.*

e *Quod nostra Constitutio. l. Vnica C. de Vsucap. transform.*

f *In Vsucapionibus.* Rerum scilicet mobilium.

Ad §. Inter Venditorem.

Inter (a) *Venditorem quoque & emptorem coniungi tempora, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.* 4

a *Inter Venditorem &c.* Tempus, quo venditor, antequàm venderet, possedit, emptori ad vsucapionem prodest. *l. Id tempus 14. ff. de Vsucap. l. 2. §. penult. ff. pro emptore.* Non tamen prodest emptori ad vsucapionem bona fides venditoris. Si enim

enim eam rem, quam pro emptore vsucapiebas, scienti mihi alienam esse, vendideris: non capiam vsu. *l. 2. §. Si eam rem ff. pro emptore*.

Ad §. Edicto Diui Marci.

Edicto (a) *Diui Marci cauetur, cum, qui* (b) *à Fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium* (c) *præterierit, posse dominum rei per exceptionem repellere. Constitutio* (d) *autem diuæ memoriæ Zenonis benè prospexit ijs, qui à fisco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum aliquid accipiunt, vt ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, siue experiantur, siue conueniantur. Aduersus autem sacratissimum* (e) *ærarium vsque ad* (f) *quadriennium liceat intendere ijs, qui pro dominio, vel hypotheca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putauerint sibi quasdam competere actiones. Nostra autem diuina* (g) *Constitutio, quam nuper promulgauimus, etiam de ijs qui à nostra, vel venerabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfata Zenoniana Constitutione continentur.* 1 2

a *Edicto Diui Marci &c.* Edictum hoc necessarium erat ijs, qui minore tempore, quàm quinquennio, domini eius, quod emerant, fieri non poterant: veluti, quia fortè furtiuum erat. *Theoph. hic*. Erant tamen edicto Diui Marci res Minorum exemptæ, *l. vlt. C. Si aduers. fisc.*

b *Qui à Fisco*. Vendente vt suam. 3

c *Quinquennium præterierit*. Intra quinquennium re euicta, emptor pretium a fisco consequi potuit. *Cuiac. hic.*

d *Constitutio autem. l. 2. C. de quadrien. præscrip.*

e *Sacratissimum ærarium*. Ærarium differt à fisco sic, vt illud populi, hic principis dicatur. Plinius in Panegyrico Traiani: At fortasse non eadem seueritate fiscum, qua ærarium cohibes? imò tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis? Interdum tamen ærarium & fiscus pro eodem vsurpantur, vt in hoc §. *& in l. Edicto Diui Marci 13. ff. de Iure fisci*. 4

f *Vsque ad quadriennium*. Neque tamen Reipublicæ causa absentibus, neque alijs maioribus ad titulum in integrum restitutionis pertinentibus, præscriptionem quadrienuii post factam à fisco venditionem obesse posse manifestum est, *l. Neque Respublica 5. C. de restit. milit.*

g *No-*

g *Nostra autem Diuina Constitutio &c.* Idem, quod Zenonis Constitutio in fiscalibus alienationibus introduxit, statuit Iustinianus in alienationibus rerum proprii patrimonij factis ab Imperatore, vel ab eius coniuge, *l. vlt. C. de quadrien. præscrip.*

De Donationibus.

TITVLVS VII. 1

Est & (a) *aliud genus adquisitionis donatio. Donationum autem duo sunt genera: mortis causa, & non* (b) *mortis causa.*

a *Est & aliud genus &c.* In hoc titulo alius modus præscribitur quo singularum rerum dominium Iure Ciuili adquiritur, donatio scilicet: quamuis enim traditio ex causa donationis Iure gentium transferat rei dominium. §. *per traditionem Inst. de rer. diuis.* Modus tamen acquirendi dominij Iure Ciuili hic constituitur donatio, quatenus secundum eiusdem Iuris informationem, olim nonnisi mancipatione, seu stipulatione, & traditione perficiebatur. *Corn. hic.* 2

b *Et non mortis causa.* Quæ inter viuos appellatur. §. *Aliæ autem donationes, hoc tit.*

Ad §. Mortis causa. 3

Mortis causa (a) *donatio est quæ propter mortis fuit suspicionem, cum quis ita donat, vt si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit. Si autem supenuixisset* (b) *is, qui donauit, reciperet: vel si eum donationis* (c) *pœnituisset, aut prior decesserit is, cui donatum sit. Hæ mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per* (d) *omnia. Nam cum prudentibus ambiguum fuerat, vtrum donationis, an legati instar eam obtinere oporteret, & vtriusque causæ quædam habebant insignia, & alij* (e) *ad aliud genus eam retrahebant: à nobis constitutum est, vt per omnia* (f) *ferè legatis connumeretur, & sic procedat, quæmadmodum nostra* (g) *Constitutio eam formauit. Et in summa, mortis causa* (h) *donatio est, cum magis se quis velit habere, quàm eum, cui donat: magisque eum, cui donat; quam heredem suum. sic & apud Homerum Telemachus donat, Piræo:* 4

Πείραι, &c. *Id est,*

Piræe

Piræ, incertus quoniam rerum exitus harum est,
Si tacita incautum stolidi me fortè necare
Morte Proci poterunt, & opes vexare paternas.
Hæc ego te malo, quam illorum quempiam habere.
Sin ego eos iusta meritos affecero clade,
Tum mihi tu lætoreddes illa omnia lætus.

a *Mortis causa donatio est &c.* Tres sunt species mortis causa donationum. Vna, cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. Alia, cum quis imminente periculo commotus ita donat, vt statim fiat accipientis. Tertia, si quis periculo mortis non sic det, vt statim faciat accipientis: sed tunc demum, cum mors fuerit insecuta. *l. 2. ff. de mort. caus. donat.* 1

b *Supernixisset.* Superuiuere, nunc saluum euadere: alias superuiuere est superstitem alicui viuere. *Ex Cuiac. hic.*

c *Vel si eum donationis pœnituisset.* Vbi ità donatur mortis causa, vt nullo casu reuocetur: perinde haberi debet donatio, atq; alia quæuis inter viuos. *l. Vbi ita 27. ff. de mortis causa donationibus.* 2

d *Per omnia.* Ferè, vt sequitur in textu.

e *Et alij ad aliud genus &c.* Alij inter vltimas voluntates eam posuerunt & legatis aggregandam esse censuerunt: alij autem inter donationes, quæ inter viuos consistunt, eam posuerunt *l. vlt. C. de donat. cau. mort.*

f *Vt per omnia ferè legatis connumeretur.* Ei potest mortis causa donari, cui potest legari *l. Senatus 35. in princ. ff. de mort. cau. don.* In donationibus causa mortis, vt in legatis, quinque testes debent adhiberi, *l. vlt. C. de donat. cau. mort. l. vltima §. vltimo C. de Codicillis.* Et legatarijs, & donatarijs causa mortis substituti potest, *l. vt heredibus 51. ff. de legatis 2.* Data, legata possunt adimi, & etiam donationes causamortis possunt reuocari, *tex. hic l. datum legatum 17. C. de legatis.* Sicut legata non insinuantur apud acta, ita nec donationes causa mortis requirunt insinuationem apud acta, *d. l. vlt. C. de donat. cau. mort.* In eis etiam habet locum Falcidia *l. Si mortis 5. C. ad leg. Falcid.* Et ius accrescendi *l. vnica §. hæc autem omnia C. de Caduc. tol.* Nec præstantur nisi deducto ære alieno *l. Etsi debitor 17. ff. de mort. cau. don.* Et omnes effectus legatorum habent; ita vt quodcunque in legatis iuris est, id in mortis causa donationibus sit accipiendum *d. l. vlt. C. de don. cau. mort. & l. Illud 37. ff. eodem.* Causæ autem, propter quas Iustinianus hic in textu dixit 3 4

donationes causa mortis per omnia ferè legatis connumerari, apud Accursium hoc eodem loco relatæ sunt.

g *Nostra Constitutio. Hæc est l.vlt.C.de donat. cau.mort.*

h *Mortis causa donatio est &c. l. 1. ff. de mortis causa donationibus.*

Ad §. Aliæ autem donationes.

Aliæ autem donationes sunt, quæ sine vlla mortis cogitatione fiunt, quas inter viuos appellamus: quæ non (a) *omninò comparantur legatis, quæ si fuerint perfectæ. temere* (b) *reuocari non possunt. Perficiuntur* (c) *autem, cum donator suam voluntatem scriptis, aut sine scriptis manifestauerit. Et ad exemplum* (d) *venditionis, nostra* (e) *Constitutio eas etiam in se habere necessitatem* (f) *traditionis voluit: vt etiam si non tradantur, habeant plenissimum, & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori. Et cum retrò Principium* (g) *dispositiones insinuari* (h) *eas actis interuenientibus volebant, si maiores fuerant ducentorum solidorum: Constitutio* (i) *nostra eam quantitatem vsque* (k) *ad quingentos solidos ampliauit, quam stare etiam sine insinuatione statuit. Sed & quasdam donationes inuenit, quæ penitus* (l) *insinuationem fieri minimè desiderant, sed in se plenissimam habent firmitatem. Alia insuper multa ad vberiorem exitum donationum inuenimus: quæ omnia ex nostris* (m) *constitutionibus, quas super his exposuimus, colligenda sunt. Sciendum est tamen, quòd & si plenissimæ sint donationes, si tamen ingrati existant homines, in quos beneficium collatum est, donatoribus* (n) *per nostram* (o) *Constitutionem licentiam præstitimus certis ex* (p) *causis eas reuocare: ne qui suas res in alios contulerunt, ab his quandam patiantur iniuriam, vel iacturam, secundùm enumeratos in Constitutione nostra modos.* 1 2 3

a *Quæ non omninò &c.* In quibusdam libris legitur: Quæ omninò non comparantur legatis.

b *Temerè reuocari non possunt.* Temerè inquit Iustinianus, quia ex iustis causis possunt donationes, & si plenissimæ sint, reuocari vt videbimus infrà eodem. In versiculo, sciendum 4

c *Perficitur autem &c* Donatio inter viuos sola voluntatis testatione perficitur. *l. Si quis argentum 35. §. Sin autem Cod. de donat.*

d *Et ad exemplum venditionis.* Non tamen ad exemplum venditoris donatur tenetur de euictione, *l. Aristo 18. §. vlt. ff. de donat.*

No-

c *Nostra Constitutio. d. l. si quis argentum 35. §. Sin autem C. de donat.*

f *Necessitatem traditionis. Iustinianus in d. l. si quis argentum 35. §. Sin autem, addidit, omnimodo.* Necessitatem igitur imposuit simplicem & absolutam. *Cuiac. hic.* Et si quidem stipulatio donationi inserta sit, ex eius auctoritate compellitur donator ad traditionem faciendam. Sin verò stipulatio sit prætermissa, *ex d. l. Iustiniani* necessitas traditionis donatori imponitur *d. §. Sin autem* Ipsius tamen ratio habenda est, ne egeat. *l. Inter eos 19. §. vlt. ff. de re Iud.* 1

g *Et cum retro Principium dispositiones. Vt Theodosij l. vlt. C. Theod. de sponsal. & ante nup. don.*

h *Insinuari eas &c.* Donationem insinuare actis interuentibus est publicare: & notam facere donationem coram magistratu, actis adhibitis *Borch. hic sub num. 7.* Non est autem necessarium in donationibus, quæ actis insinuantur, testes adhibere. Nam superfluum est priuatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant *l. In donationibus 31. C. de donat.* Et etiam post donationem factam potest fieri insinuatio per textum in *l. vlt. §. Similique modo C. de donat. ant. nup.* 2

i *Constitutio nostra, l. si quis pro redemptione 36. §. cæteris C. de donat.*

k *Vsque ad quingentos solidos &c.* Primùm vsque ad trecentos, *l. Sancimus 34. in princ. C. de donat.* Deinde vsque ad quingentos *l. si quis pro redemptione 36. § cæteris C. eodem* Si quid autem, sine insinuatione, supra legitimam definitionem fuerit donatum, hoc quod superfluum est, tantummodo non valet: reliqua verò quantitas, quæ intra legis terminos constituta est in suo robore perdurat quasi nullo penitus alio adiecto, *d. l. Sancimus 34. §. Si quid autem, & dicta l. si quis pro redemptione 36. §. cæteris C. de donat.* De solidis autem, vide notata suprà *in. tit. de Atil. tut. ad §. nos autem, in verbo*, vsque ad quingentos solidos. 3

l *Quæ penitus insinuationem &c.* Quædam sunt donationes, quæ, licet quingentorum solidorum summam excedant, insinuationem fieri minimè desiderant: vt si pro redemptione captiuorum donetur, vel si magistri militum res mobiles, vel sese mouentes donent militibus, vel si donetur pro refectione domus incendio vel ruina corruptæ, *l. Si quis pro redemptione 36. C. de donat.* Idem est si Princeps donet, vel ei donetur. *Nouella 52. cap. 2.* 4

m *Ex nostris Constitutionibus. l. illam subtilem 33. & quatuor sequentibus C. de donat.*

n *Donatoribus*. Non tamen donatorum successoribus, *l. vlt. §. vlt. C. de revoc. donat.*

o *Per nostram Constitutionem d. l. vl. C. de revoc. donat.*

p *Certis ex causis*. Donationes legitimè factæ, firmæ illibateque manent, si non donationis acceptor ingratus circa donatorem inueniatur, ita vt iniurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel grauem iacturam faciat substantiæ donatoris, vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel 1
conuentiones donationi impositas minime implere voluerit. *d. l. vlt. C. de revoc. donat.*

Ad §. Est & aliud genus.

Est & aliud (a) *genus inter vinos donationum, quod veteribus quidem prudentibus penitùs erat incognitum, posticà autem à Iunioribus Diuus Principibus introductum est, quod ante nuptias vocabatur: & tacitam in se conditionem habebat, vt tunc ratum esset, cùm matri-* 2
monium fuerit insecutum. Ideòque ante nuptias appellabatur, quòd ante matrimonium efficiebatur, & nunquam post nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem Diuus Iustinus (b) *pater noster, cùm augeri dotes & post nuptias fuerat permissum, si quid tale eueniret, etiam ante nuptias augeri donationem constante matrimonio, sua* (c) *Constitutione permisit. Sed tamen nomen inconueniens remanebat, cum ante nuptias quidem vocabatur, post nuptias autem tale accipiebat incrementum. Sed nos pleniss imo fini tradere sanctiones cupientes, & consequentia nomina rebus esse studentes,* 3
constituimus, (d) *vt tales donationes non augeantur tantùm, sed & constante matrimonio initium accipiant; & non ante nuptias, sed propter nuptias vocentur: & dotibus in hoc* (c) *exæquentur, vt quemadmodum dotes constante matrimonio, non solùm augentur, sed etiam fiunt, ita & istæ donationes, quæ propter nuptias introductæ sunt, non solùm antecedant matrimonium, sed eo etiam contracto augeantur & constituantur.*

a EST *& aliud genus &c. In hoc §. declarat Iustinianus donationem* 4
propter nuptias. Donatio propter nuptias ea est, quam mariti, vel pro his alij, nuptiarum causa faciunt vxoribus, quasi in compensationem dotis, siue ante nuptias, siue nuptijs consistentibus. Et quando hæc donatio fit ante nuptias, tacitam in se conditionem habet, vt tunc rata sit, cum matrimonium fuerit insequutum, *vt hic in textu*. Sic etiam stipulatio &c

acce-

acceptilatio dotis causa facta habet in se conditionem hanc, si nuptiæ fuerint sequutæ. *l. stipulationem 22. l. promittendo 42. l. licèt 44. ff. de Iure dotium. l. Item 4. §. Huius rei ff. de pactis. Et ex Nouella 119. cap. 1.* Donatio propter nuptias, cuiuscunque sit quantitatis, non eget insinuatione, nec ex parte mulieris, nec ex parte viri: quod ita emendat *Nouella 127. cap. 2.* vt egeat insinuatione ex parte viri, ideſt, quatenus pro rata donationis propter nuptias vir lucrum captat ex dote, non ex parte mu- 1
lieris. *Cuiac. in d. Nouella 119. in princ.*

b *Diuus Iustinus pater noster.* Fuit Iustinianus Iustini Maioris ex sorore nepos: Sed eundem Iustinum patrem appellat, quòd ab eo adoptatus esset,

c *Sua Constitutione. l. Si constante 19. C. de donat. ant. nupt.*

d *Constituimus. l. Cum multæ 20. C. de donat. ante nupt.*

e *Et dotibus in hoc exæquentur.* Hodie æqualitas omninò seruanda est in dote & donatione propter nuptias, tam in Constitutione, quàm præstatione vtriusque, & in augumento, & in 2
lucris exinde prouenturis. *Nouella 97. cap. 1. & 2. A. æqualitas C. de pactis conuentis.* Et sicut maritus sit dominus dotis, sic vxor donationis propter nuptias: vsumfructum tamen habet maritus, ne accidat matrimonij oneribus dotem non seruire. Et sicut dos vxori, sic & talis donatio redditur viro, soluto matrimonio. Neque inutilis est propternuptialis donatio, ex ea enim consulitur mulieri soluto matrimonio, si res dotales non existant. *Ex gl. hic* in verbo *Exæquentur*. De consuetudine tamen hæc donatio, præsertim quoad æqualitatem, hodie non 3
est in vsu. Vide *gl. in d. A. æqualitas*, in verbo, *pari C. de pactis conuentis*.

Ad §. Erat olim.

Erat olim & alius modus ciuilis adquisitionis per ius adcrescendi, quod est tale: Si communem seruum habens aliquis cum Titio, solus ei libertatem imposuit, vel vindicta, (a) vel testamento; eo casu pars eius amittebatur, & socio (b) adcrescebat. Sed cùm pessimum fe- 4
rat exemplo, & libertate seruum defraudari, & ex ea humanioribus quidem dominis damnum inferri, seuerioribus autem dominis lucrum adcrescere, hoc quasi inuidia plenum, pio remedio per nostram Constitutionem (c) mederi necessarium duximus: & inuenimus viam, per quam, & manumissor, & socius eius, & qui libertatem accepit, nostro beneficio fruatur, libertate cum effectu procedente (cuius fa-

uore

uore, & antiquos legislatores multa etiam contra (d) *communes regulas statuisse manifestum est) & eo, qui eam imposuit, suæ liberalitatis stabilitate gaudente, & socio indemni conseruato, pretiumque serui secundum partem dominij, quod* (e) *nos definiuimus, accipiente.* (f)

a *VEL vindicta, vel testamento.* Vel censu. Si inter amicos eum manumiserit, plerisque placet eum nihil egisse. *Vlpianus in frag. tit. de libertis, §. Ciues Romani, & §. Communem seruum.* De his autem modis manumittendi vide notata suprà in *tit. de Libertinis, ad §. Multis autem modis, & ad §. Libertinorum autem.* 1

b *Et socio adcrescebat.* Nàm ex parte liber, ex parte seruus esse non poterat.

c *Per nostram Constitutionem. l. 1. C. de commun. ser. man.*

d *Multa etiam contra communes regulas. l. Generaliter 24. §. Si quis tutorem. ff. de fideicom. libert. Vbi Vlpianus ait,* Non ignotum esse, quod multa contra iuris rigorem pro libertate sint constituta. 2

e *Quod nos definiuimus. In d. l. 1. §. Ne autem, & seq. C. de communi ser. man.*

f *Accipiente.* A manumissore. *Theoph. hic.*

Quibus alienare (a) licet, vel non.

TITVLVS VIII.

3

Accidit (b) *aliquando, vt qui dominus rei sit, alienare non possit: & contrà, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat. Nàm dotale* (c) *prædium maritus* (d) *inuita muliere per legem* (e) *Iuliam prohibetur alienare, quamuis* (f) *ipsius sit dotis causa ei datum: quod nos, legem Iuliam corrigentes, in meliorem statum* (g) *deduximus. Cum enim lex in solis tantummodò rebus locum habebat, quæ Italicæ fuerant: & alienationes inhibebat, quæ inuita muliere fiebant, hypothecas* (h) *autem earum rerum, etiam volente ea, vtrique* (i) *remedium imposuimus, vt & in eas res, quæ in prouinciali solo positæ sunt, interdicta sit alienatio, vel obligatio: & neutrum eorum, neque consentientibus* (k) *mulieribus procedat, ne sexus muliebris* (l) *fragilitas in perniciem substantiæ earum conuerteretur.*

a *QVibus alienare &c.* Superioribus titulis nonnulla de acquirendo rerum dominio Iure gentium, vel Ciuili tra-

4

dita

dita sunt: Verùm quia dominia rerum vt plurimum non acquiruntur, nisi res ab aliquo alienentur: Ideò nunc subijcitur titulus, Quibus alienare licet, vel non, Hoc loco, Alienatio est omnis actus per quem dominium transfertur, vt in *l. 1. C. de fundo dotali.*

b *Accidit aliquando &c.* Regulariter, Qui dominus rei est, alienare potest, §. *Per traditionem Inst. de rer. divis.* Et contrà, Qui dominus non est, rem alienare non potest *l. cùm à matre 14. C. de rei vindic.* Accidit tamen aliquando, vt qui dominus rei sit, alienare non possit. Et contrà, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat, vt in hoc titulo Imperator explicat. 1

c *Nàm dotale prædium.* Inæstimatum, quod & dotale propriè nuncupatur. *l. vnica §. In fundo C. de rei vxor. act.* Nàm æstimatum quod fuit ab initio, etiam si postea conuenerint vt idipsum restituatur, etiam hodie alienari potest volente vxore *l. vlt. ff. de pact. dot. l. æstimatis 51. ff. sol. mat. Cuiacus hic.* Si modò maritus sit soluendo. Dotale autem prædium accipere debemus, tam 2 vrbanum, quàm rusticum. *l. dotale prædium 13. in princ. ff. de fun. dot.* Quòd si res dotales sint mobiles, possunt à marito, qui soluendo est, alienari, per *textum in l. 1. C. de seruo pig. dat. manumis.*

d *Maritus.* Lex Iulia, quæ dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare, plenius interpretanda est: vt & de sponso idem iuris sit, quod de marito *l. lex Iula 4. ff. de fundo dotali*: tunc enim prædium est quasi dotale. Et etiam fundus dotali seruo legatus ad Legem Iuliam pertinet, quasi do- 3 talis *l. fundus 3. ff. de fundo dotali.*

e *Per legem Iuliam.* De adulteriis. *Paulus Recept. Sent. lib. 2. tit. de dotibus.* Quæ lata est à Diuo Augusto *l. 1. ff. ad leg. Iul. de adult.* Hoc tamen caput legis Iuliæ, quo cauetur, ne dotale prædium maritus inuita vxore alienet, vulgò Lex Iulia de fundo dotali appellatur.

f *Quamuis ipsius sit.* Est quidem maritus rei dotalis dominus subtili fictione legum, sed naturaliter vxor domina est *l. In rebus 30. C. de Iure dotium. l. quamuis 78. ff. eodem.* 4

g *In meliorem statum deduximus. l. Vnica §. Et cum lex Iulia C. de rei vxor. act.*

h *Hypothecas autem earum &c.* Ideò lex Iulia prædij dotalis alienationes inhibebat, quæ inuita muliere fiebant, hypothecas autem, etiam volente ea: quia facilius consentit mulier hypothecæ, quàm alienationi. *Theoph. hic.*

i *Veri-*

i *Vtrique remedium imposuimus &c. d.l.Vnica §.Et cumlex Iulia C. de rei vxor act.*

k *Neque consentientibus mulieribus procedat.* Iure Ciuili adeò interdicta est alienatio, vel obligatio prædij dotalis, vt neutrum eorum, neque consentientibus mulieribus cum iuramento procedat. Eodem enim Iure nullius momenti est iuramentum, quod contra legis dispositionem est interpositum *l. non dubium 5. C. de legebus.* Sed Iure Canonico mulieres consentientes cum iuramento dictæ alienationi, vel obligationi, seruare debent huiusmodi iuramenta, sine vi & dolo sponte præstita, cum in alterius præiudicium non redundent, nec obseruata vergant in dispendium salutis æternæ *cap. cum contingat 28. de Iure iurando, & cap. 2. eod. tit. in 6.* 1

l *Ne sexus muliebris fragilitas &c.* Ne mulier fragilitate naturæ suæ in repentinam deducatur inopium *dicta l. Vnica. §. Cum autem C. de rei vxor. act.*

Ad §. Contrà autem. 2

Contrà autem creditor pignus ex pactione, quamuis eius (a) *ea res non sit, alienare* (b) *potest. Sed hoc forsitan ideò videtur fieri, quòd voluntate debitoris intelligitur pignus alienari, qui ab initio* (c) *contractus pactus est, vt liceret creditori pignus vendere, si pecunia non soluatur. Sed ne creditores ius suum persequi impedirentur, neque debitores temerè suarum rerum dominium amittere viderentur, nostra* (d) *Constitutione consultum est, & certus modus impositus est, per quem pignorum distractio possit procedere, cuius tenore vtrique parti creditorum & debitorum, satis, abundeque prouisum est.* 3

a *Quamuis eius ea res non sit.* Manet enim pignus in dominio debitoris *l. rescriptum est 12. in princ. ff. de distract. pignor. l. pignus 8. C. de pignor. act.*

b *Alienare potest.* Hoc est, potest dominium transferre in alium, quamuis ipse dominium non habeat *l. voluntate creditoris 10. §. vlt. ff. Quib. mod. pig. vel hypot. sol. l. non est nouum 46. ff. de acquir. rer. dom.* 4

c *Qui ab initio contractus.* Siue postea *l. Si conuenerit 4. ff. de pignor. act.*

d *Nostra Constitutione. In l. vlt. C. de Iure dom. impet.* Huius Constitutionis summa hæc est, Si cautum est quemadmodum debeat

debeāt pignus distrahi: pactiones sunt seruandæ. Si de hoc nulla pactio interceſſerit: interpellandus eſt debitor, vt ſoluat, qui ſi ceſſauerit per biennium, ex denunciatione, ſi creditum ſit liquidum, vel ſi illiquidum, ex ſententia numerandum, poteſt pignus vendi. Et ſi non inueniatur emptor, rurſus denunciabitur debitori vt pignus intra certum tempus luat, qui ſi ceſſauerit, impetrabit ſibi creditor ius dominij: ita tamen vt poſt dominij adiectionem poſſit debitor intra biennium, ſi debitum cum omni damno, & intereſſe creditori offerat, pignus luere. *Videte dictam l. vlt.* quia in ea pleniùs de hac materia tractatur. Et notate, quod ſi conuentum ſit, ne pignus diſtrahatur, diſtrahi non poteſt, niſi trina denunciatione præmiſſa; & biennio poſtea, ex denunciatione, vel ex ſententia vt ſupra numerando, expectato, *l. ſi conuenerit 4.* & ibi *gl.* in verbo, *Niſi ci ff. de pignor. act.* 1

Ad §. Nunc admonendi. 2

Nunc (a) *admonendi ſumus, neque pupillum, neque pupillam, vllam rem ſine tutoris auctoritate alienare poſſe. Ideòque ſi mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem, quia pecuniam* (b) *non facit accipientis. Ideòque numi vindicari poſſunt, ſicubi extent. Sed ſi numi, quos mutuò minor* (c) *dederit, ab eo, qui accepit, bona fide* (d) *conſumpti ſunt, condici* (e) *poſſunt: ſi mala* (f) *fide, ad exhibendum* (g) *de his agi poteſt. At ex contrario, omnes res pupillo, & pupillæ ſine tutoris auctoritate rectè* (h) *dari poſſunt. Ideòque ſi debitor pupillo ſoluat, neceſſaria eſt* (i) *debitori tutoris auctoritas: alioquin* (k) *non liberabitur. Sed hoc etiam euidentiſſima ratione ſtatutum eſt in Conſtitutione,* (l) *quam ad Cæſarienſes* (m) *aduocatos ex ſuggeſtione Triboniani viri eminentiſſimi, quæſtoris* (n) *ſacri palatij noſtri, promulgauimus; qua diſpoſitum eſt, ita licere tutori, vel curatori debitorem pupillarem* (o) *ſoluere, vt priùs iudicialis* (p) *ſententia ſine omni* (q) *damno celebrata, hoc permittat. Quo ſubſecuto, ſi & iudex pronunciauerit, & debitor ſoluerit, ſequatur huiuſmodi ſolutionem pleniſſima* (r) *ſecuritas. Sin autem aliter, quàm diſpoſuimus, ſolutio facta fuerit, pecuniam autem ſaluam habeat pupillus, aut ex ea locupletior* (ſ) *ſit, & adhuc eandem pecuniæ ſummam petat, per exceptionem* (t) *doli mali poterit ſubmoueri. Quòd ſi aut malè conſumpſerit, aut furto amiſerit: nihil proderit debitori doli mali exceptio, ſed nihilominus damnabitur: quia tenerè, ſine tuto-* 3 4

ris (u) *auctoritate, & non secundùm nostram dispositionem soluerit. Sed ex diuerso, (x) pupilli, vel pupillæ soluere sine tutoris auctoritate non possunt: quia id, quod soluunt, non fit accipientis: cùm scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa sit.*

a *Nunc admonendi &c.* Martianus *in l. pupillus* 11. *ff. de acquir. rer. dom.* Pupillus alienare nullam rem potest, nisi præsente tutore auctore: ac ne possessionem quidem, quæ est naturalis, vt Sabinianis visum est. Quæ sententia vera est. 1

b *Quia pecuniam non facit accipientis.* Bona ratio. Nàm appellata est mutui datio ab eo, quòd de meo tuum fit. Et ideò si tuum non fiat: non nascitur obligatio. *l. 2. §. appellata ff. de rebus creditis.*

c *Minor.* Hoc loco, minor, pro pupillo accipitur.

d *Bona fide consumpti sunt.* Ideſt, eo, qui mutuum accepit, existimante adultum esse, qui mutuum dabat. *Theoph. hic.*

e *Condici possunt.* Si pupillus sine tutoris auctoritate crediderit: consumpta bona fide pecunia, condictionem habet *Text. hic l. non omnis* 19. §. *Si pupillus ff. de rebus creditis.* Tunc igitur certi condictione repetitur pecunia quasi mutua, tum propter bonam fidem eius, qui accepit, tum propter pupilli vtilitatem qui rei vindicatione, & ad exhibendum actione deficitur in proposita specie. *Baro. hic.* 2

f *Si mala fide.* Ideſt, ab eo, qui pupillum esse sciuit, à quo mutuum accepit. *Theoph. hic.*

g *Ad exhibendum de his agi potest.* Ad exhibendum actione non tantum is qui possidet, sed etiam is tenetur; qui dolo fecit quo minus exhiberet. *l. ad exhibendum* 5. *C. ad exhib.* Immò, qui mala fide consumpsit, etiam in rem actione tenetur, quia pro possessore habetur, *l. sin autem* 28. §. *Sed & is ff. de rei vindic. l. qui dolo* 174. *ff. de reg. Iur.* Sed in rem vtilis est, ad exhibendum, directa. Commodiùs ergo agitur ad exhibendum, quàm in rem *Cuiac. hic.* Insuper aduersus eum, qui mala fide consumpsit, datur condictio furtiua. §. *Si tamen alienam. Instit. de rer. diuis.* 3

h *Rectè dari possunt.* Ita videlicet vt dominium in eos transferatur. Placuit enim meliorem quidem conditionem suam licere pupillis facere, etiam sine tutoris auctoritate; Deteriorem verò non aliter quàm cum tutoris auctoritate. *princ. tit. Inst. de auct. tut.* 4

i *Necessaria est debitori &c. l. Pupillo soluì* 15. *ff. de solut.*

k *Alioquin non liberabitur.* Nàm si debitor liberatus esset, iam re-

periretur pupillus, accepto sine tutoris auctoritate debito, obligationem alienare, quod prohibitum est. *Theoph.hic.*

l *In Constitutione. l.Sancimus 25.C.de administr.tut.*

m *Quam ad Cæsarienses aduocatos.* Ideſt, ad interrogata aduocatorum, qui erant in Cæsarea Metropoli Cappadociæ. Nec tamen missa ad eos, sed ad Ioannem Præfectum Peætorio Orientis & Illyrici. Solebant autem Imperatores huiusmodi responsa, etiam si ab alijs interrogati essent, ad Præfectum 1
Prætorio, cum præsertim, qui per Orientem Præfectus esset, mittere, vt is deinde nota omnibus ea faceret. *Ex Cuiac.hic.*

n *Quæstoris Sacri palatij nostri.* Vide notata suprà ad §. *Cumque hoc,* In Proœmio Inst. In verbo, *Exquæstore Sacri Palatij.*

o *Debitorem pupillarem soluere.* Hoc est, debiti solutionem recipiendo, debitorem absoluere & liberare ab obligatione, qua pupillo astrictus tenebatur. Idem in curatore, & debitore adulti, *vt in d.l.Sancimus.*

p *Vt priùs iudicialis sententia.* Hæc tamen sententia non est ne- 2
cessaria in his solutionibus, quæ vel ex reditibus, vel ex pensionibus, vel alijs huiusmodi causis pupillo, vel adulto accedunt. *d.l.Sancimus 25.C.de administ.tut.* Neque necessaria est in solutione vsurarum, quæ tamen biennales metas, & centum solidorum quantitatem, etiam in vnum collectæ, non excedunt, *l.Constitutionem 27.C.de administ.tut.*

q *Sine omni damno.* Sine omni sumptu.

r *Plenissima securitas.* Vt nemo in posterum inquietetur. Non enim debet quod ritè & secundum leges ab initio actum est, 3
ex alio euentu resuscitari. *d.l.sancimus.* Igitur nec aduersus solutionem ita factam implorari potest restitutio in integrum.

f *Aut ex ea locupletior sit.* Quia vtiliter eam in vsus suos, aut patrimonium suum consumpserit, fortè enim aut ædes suffulsit, aut fundus suos excultiores reddidit, aut præceptoribus mercedes præbuit, aut creditores absoluit. *Theoph.hic.*

t *Per exceptionem doli mali &c. l.Pupillo solui 15. ff. de solut. & liber. l. Apud Celsum 4. §. Si quis pupillo ff. de dol. mal. & met. excep.* Nàm hoc natura æquum est, neminem cum alterius detri- 4
mento fieri locupletiorem, *l. nam hoc natura 14. ff. de condic. indeb.*

u *Sine tutoris auctoritate.* Quòd si cum auctoritate tutoris, sed sine decreto, solutio facta fuerit, ipso quidem iure liberatur debitor, sed potest pupillus in integrum restitui, si ex tali solutione lædatur, *l.1.C.Si aduers. solut.* Exceptis tamen casibus notatis

tatis supra in verbo, *Vt priùs iudicialis sententia.*

x *Sed ex diuerso pupilli &c.* Pupillum sine tutoris auctoritate nec soluere posse, palam est. Sed si dederit nummos, non fient accipientis, vindicarique poterunt. Planè si fuerint bona fide consumpti, statim liberabitur. *l. Quod si forte* 14. §. *vlt. ff. de solut. & liber. innct. a l. obligari* 9. §. *Pupillus ff. de auct tut.* Quòd si mala fide fuerint consumpti, ad exhibendum de his agi poterit, *l. ad exhibendum* 5. *C. ad exhib.* Vide notata supra in verbo, 1
Ad exhibendum de his &c.

Per quas (a) personas nobis adquiritur.

TITVLVS IX.

Adquiritur (b) *nobis non solùm per nos met ipsos, sed etiam per eos, quos in potestate habemus: item per seruos, in quibus* (c) *vsumfructum habemus: item per homines liberos, & seruos alienos, quos bona fide possidemus, de quibus singulis diligentiùs dispiciamus.* 2

a *Per quas personas &c.* Dominia rerum, non solùm per nos metipsos, sed etiam per alias quasdam personas nobis adquiruntur. Ideò meritò præcedentibus titulis, in quibus de adquirendo rerum dominio nonnulla diximus, præsens subijcitur, in quo agitur per quas personas nobis adquiritur rerum dominium, & etiam de acquisitione possessionis quædam intermiscentur. Per quas verò personas nobis obligatio adquiritur, videbimus infrà in titulo. Per quas personas nobis obligatio adquiritur. Omne enim quod adquiritur, aut dominium est, aut possessio, aut obligatio. 3

b *Adquiritur nobis &c. l. adquiritur* 10. *ff. de adquir. rer. dom.*

c *In quibus vsumfructum habemus.* Vel etiam nudum vsum. Nàm per hos quoque nobis adquiritur ex re nostra vel ex operis suis in re nostra præstitis. Vide notata supra *in tit. de Vsu, & habit. ad* §. *Item is ad quem.* 4

Ad §. Igitur liberi.

Igitur (a) *liberi nostri vtriusque sexus, quos in potestate habemus, olim quidem, quidquid ad eos peruenerat (exceptis videlicet* (b) *castrensibus peculijs) hoc parentibus suis adquirebant sine vlla* (c) *distin-*

distinctione. Et hoc ita parentum fiebat, vt esset eis licentia, quod per vnum vel vnam eorum adquisitum est, alij filio, vel extraneo donare, vel vendere, vel quocumque modo voluerant adplicare. Quod nobis inhumanum visum est: & generali Constitutione (d) *emissa, & liberis peperci mus, & parentibus honorem debitum reseruauimus. Sancitum etenim à nobis est, vt si quid ex re* (e) *patris ei obueniat, hoc secundùm antiquam obseruationem totum* (f) *parenti adquiratur. Quæ enim inuidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reuerti? Quod autem* (g) *ex alia causa sibi filius familias adquisiuit, huius vsumfructum patri* (h) *quidem adquirat, dominium autem apud eum remaneat: ne quod ei suis laboribus, vel prospera fortuna accessit, hoc ad alium perueniens, luctuosum ei procedat.* 1

a *Igitur liberi nostri &c.* Peculum, quod filius familias habet, quadruplex est. Aliud enim est Castrense, aliud Quasi castrense, aliud Profectitium, aliud Aduentitium. Castrense 2
est, quod à filiofamilias in castris, vel occasione militiæ armatæ adquiritur. *l.miles 4.l,Castrense peculium 11.ff.de Castren.pecul.Paul.Recept.sent. lib.3. tit.4. §.filiusfamilias.* Quasi castrense est, quod à filiofamilias adquiritur in togata militia, *l.vlt.C.de Inoffic.test.l.sacrosanctæ 33. & l.Cum lege 45. C.de Episcop. & Cler.* Profectitium est, quod ex re patris, vel facto eius obuenit filio familias. *text.hic l.profectitia 5.ff.de Iur.dot.* Aduentitium verò, quod ex alijs causis, præter iam dictas, filiofamilias accedit, veluti ex suis laboribus, vel prospera fortuna. *Tex.hic l.Cum* 3
oportet 6. C.de bon.quæ liber. Castrense, vel Quasi Castrense peculium pleno iure ad filiosfamilias pertinet: Profectitium pleno iure patri adquiritur: Aduentitium adquiritur patri quoad vsumfructum filijs quoad proprietatem. *d.l.Cum oportet 6.C.de bon.quæ liber.* Sunt tamen quidam casus, in quibus patri vsusfructus aduentitiorum non adquiritur. Primus est si patre recusante, filius adierit hereditatem, *l.vlt.§.1. C.de bon.quæ liber.* Secundus est si res filio sint donatæ, aut per vltimam voluntatem relictæ sub ea conditione, vt pater in his non habeat vsum- 4
fructum. *Nouella 117.in princ.* Tertius si ab intestato simul succedat pater cum fratribus, aut sororibus vtrinque coniunctis defuncto. *Nouella 118.cap.2.§.Si verò.* Quartus est in his, quæ ex lege deferuntur liberis, parentibus præsumentibus soluere matrimonium sine causis lege definitis. *Nouella 134.cap.7.§.quia verò. A.Idem est C.de bon.quæ liber.*

b *Exce-*

b *Exceptis videlicet castrensibus peculijs*. Nec enim patribus aliquid ex castrensibus bonis filiorum debetur *l.ex nota* 10. *ff. de castren. pecul.* Sed filij familias in castrensi peculio vice patrum familias funguntur, *l.2. ff. ad S.C.Maced.* Antiquo tamen iure patri filius omnia adquirebat. *Dionys. Halicar. lib.*8. Apud Romanos, inquit, filij proprium nihil possident, quandiu patres eorum viuunt: sed licet parentibus & pecunijs & corporibus filiorum vti arbitratu suo. 1

c *Sine vlla distinctione*. Profectitij, vel aduentitij.

d *Et generali constitutione*. *Constitutio l. cum oportet 6. C. de bonis quæ liberis*.

e *Ex re patris*. De bonis eius, vel facto eius *l.profectitia* 5.*ff.de iure dotium*. Et hoc est Peculium profectitium.

f *Totum parenti*. Pleno iure, quo ad vsumfructum, & proprietatem.

g *Quod autem ex alia causa &c.* Peculium aduentitium hic intelligit, cuius vsumfructum patri filius familias adquirit dominium autem apud eum remanet. 2

h *Vsumfructum patri quidem adquirat, dominium autem &c.* Sic etenim & parenti nihil derogabitur vsumfructum rerum possidenti: & filij non lugebunt, quæ ex suis laboribus sibi possessa sunt ad alios transferenda aspicientes vel ad extraneos, vel ad fratres suos, quod etiam grauius multis esse videtur. *d. l.cum oportet 6.C.de bon.quæ lib.*

Ad §Hoc quoque. 3

Hoc quoque (a) *à nobis dispositum est & in ea specie, vbi parens emancipando liberos suos ex rebus, quæ adquisitionem* (b) *effugiebant, sibi tertiam partem retinere si voluerat, licentiam ex anterioribus* (c) *Constitutionibus habebant, quasi* (d) *pro pretio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam accidebat, vt filius rerum suarum ex hac emancipatione dominio pro parte tertia defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quòd sui iuris effectus esset, hoc per rerum deminutionem decresceret. Ideòque* 4 *statuimus, vt parens pro tertia eorum bonorum parte dominij, quam retinere poterat, dimidiam,* (c) *non dominij rerum, sed vsusfructus retineat. Ita etenim* (f) *res intactæ apud filium remanebunt, & pater ampliore summa fructur, pro tertia dimia potiturus.*

a *Hoc quoque à nobis dispositum est &c.* Parens emancipando liberos suos potest tantùm dimidiam partem vsusfructus

aduentitiorum sibi retinere, non autem pleno iure tertiam partem eorumdem, quam tertiam per anteriores Constitutiones ex aduentitijs, quæ parentum adquisitionem effugiebant, sibi poterat retinere. *tex. hic. l. Cum oportet 6. §. Cùm autem C. de bonis quæ liberis.*

b *Quæ adquisitionem effugiebant.* Vt bona materna, & materni generis, *l. 1. 2. 3. & 4. C. Theodos. de matern. bon.* Nuptialia, & sponsalitia lucra *l. 4. & 5. C. de bon. quæ lib.* 1

c *Ex anterioribus Constitutionibus. Constantini in l. 1. & 2. C. Theodos. de matern. bon.*

d *Quasi pro pretio &c.* Seù, vt dicitur *in d. l. cum oportet 6. §. Cum autem C. de bon. quæ lib.* Quasi remunerationis gratia.

e *Dimidiam.* Hanc dimidiam vsusfructus potest parens retinere etsi in emancipatione sibi eam minimè seruauerit. Nisi enim specialiter parentes, vel in emancipatione huic præmio renunciauerint vel donatione facta sese & ab huiusmodi beneficio alienauerint, & in liberos hoc transtulerint: manet 2 apud eos etiam tacentes ius & beneficium vsusfructus retinendi *d. l. cum oportet 6. §. Cùm autem C. de bon. quæ lib.*

f *Ita enim res intactæ &c.* Sic enim nec liberis aliquid dominij auferetur, & parentibus amplioris patrimonij vsusfructus assignabitur *d. l. cùm oportet 6. §. Cùm autem.*

Ad §. Item nobis adquiritur.

Item nobis (a) *adquiritur, quod serui nostri ex traditione nanciscuntur,* 3 *siue quid stipulentur, siue ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia causa adquirant. Hoc enim nobis & ignorantibus & inuitis* (b) *obuenit.* (c) *Ipse enim seruus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Sed si heres institutus sit, non alias* (d) *nisi nostro iussu, hereditatem adire potest. Et si nobis inuentibus* (e) *adierit, nobis hereditas adquiritur, perinde ac si nos ipsi heredes instituti essemus. Et conuenienter scilicet nobis* (f) *legatum per eos adquiritur. Non solùm autem proprietas per eos, quos in potestate habemus, nobis adquiritur, sed etiam* (g) *possessio. Cuiuscumque enim* 4 *rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere videmur. Vnde etiam per eos* (h) *vsucapio, vel longi temporis possessio nobis accedit.*

a *Item nobis adquiritur &c. l. adquiritur 10. §. Igitur ff. de adquir. rer. dom.*

b *Et inuitis. l. etiam inuitis 32. ff. de adquirendo rerum dominio.*

Pos-

Possumus tamen postea repudiare adquisitum.

c *Obuenit.* Confestim: neque momento aliquo subsistit in persona eorum, *l. placet 78. ff. de adquir. vel omit. hered.*

d *Non alias nisi nostro iussu &c.* Nam fieri potest, vt onera, quæ latent, necdum comparent, longe maiora sint lucro, quod prima facie apparet. Porro absurdum esset, ignorantes, imò & nolentes nos, damnosam adire hereditatem, eaque propter, in adquisitione hac necesse est, quod domini iussus præ- 1
cedat. *Theoph. hic l. si quis mihi bona 25. §. Iussum ff. de adquir. vel omit. hered.*

e *Et si nobis iubentibus adierit &c.* Sed quid si seruus, cum iuberetur adire hereditatem, dicto audiens non fuit? Per competentem iudicem compellendus est seruus hoc facere, *l. 1. §. 1. ff. Si quis omiss. cau. test. l. cum aliquis 21. C. de Iuredelibe- randi.*

f *Nobis legatum &c.* Nobis etiam inuitis legatum per eos adquiritur. Et ratio differentiæ inter hereditatem & legatum est quia legatum adquisitum nunquam nobis damno esse potest: 2
hereditas interdum damnosa est *l. si hereditatem 32. ff. mandati.*

g *Sed etiam possessio. Iusta l. quòd seruus 24. in fine ff. de adquir. vel amit. poss.* Id enim solum acquirere dicimur, quod iustè adquirimus.

h *Vnde etiam per eos vsucapio &c.* Si quis enim rem non suam mobilem aut immobilem, seruo meo bona fide accipienti tradat, possessio eius siue detentio ad hoc mihi proficiet, vt rei dominus constituar per vsucapionem, vel longi temporis possessionem. *Theoph. hic.* Et Celsus scribit, Si seruus meus pe- 3
culiari nomine adipiscatur possessionem: id etiam ignorante me vsucapere. Quod si non peculiari nomine: non nisi sciente me *l. pro emptore 2. §. Celsus scribit ff. pro emptore.*

Ad §. De ijs autem seruis.

De ijs autem (a) *seruis in quibus tantum* (b) *vsum fructum habemus, ita placuit: vt quidquid ex re nostra,* (c) *vel ex operibus suis adquirant, id nobis adijciatur: quod vero extra eas causas persecuti* (d) 4
sunt, id ad dominum (e) *proprietatis pertineat, Itaque si is seruus heres* (f) *institutus sit, legatumue quid ei, aut donatum fuerit non vsufructuario, sed domino proprietatis adquiritur. Idem placet* (g) *& de eo, qui à nobis bona fide possidetur, siue is liber sit, siue alienus seruus. Quod enim placuit de vsufructuario, idem placet & de bonæ fidei possessore, Itaque quod extra istas* (h) *duas causas adquiritur*

ritur id vel ad ipsum (i) *pertinet, si liber est, vel ad dominum, si seruus est. Sed bonæ fidei possessor cùm vsucepevit* (k) *seruum (quia eo modo dominus fit) ex omnibus causis per eum sibi adquirere potest. Fructuarius verò vsucapere* (l) *non potest: primum, quia* (m) *non possidet, sed habet ius vtendi fruendi: deinde, quia scit* (n) *seruum alienum esse. Non solum autem proprietas per eos seruos, in quibus vsum fructum habemus, vel quos bonafide possidemus, aut per liberam personam, quæ bona fide nobis seruit, nobis adquiritur: sed etiam possessio.* (o) *Loquimur autem in vtriusque* (p) *persona secundum definitionem, quam proximè exposuimus, idest, si quam possessionem ex re nostra, vel ex suis operibus adepti fuerint.*

a *De ijs autem seruis &c. l. adquiritur* 10. *ff. de acquir. rer. domin.*

b *In quibus tantum vsumfructum habemus.* Per seruos verò, in quibus nudum vsum habemus, nobis adquiritur ex re nostra, vel ex operibus suis in re nostra præstitis. Vide notata suprà *in tit. de vsu & habit. Ad §. Item is ad quem.* 2

c *Ex re nostra, vel ex operibus suis:* Quod si seruus, in quo vsumfructum habemus, proprietatis domino ex re nostra, vel ex operibus suis, nominatim stipuletur: domino quidem proprietatis adquirit: sed ei condicere possumus *l. cum seruus penult. ff. de stipul. seru.*

d *Persecuti.* Persecuti pro consecuti, vt in §. *sunt præterea iust. de act.* Persequimur pro consequimur.

e *Id ad dominum proprietatis pertinet.* Nisi nostra contemplatione id seruis obueniat. *l. si serui* 24. *& l. seq. & l. si quis donaturus* 28. *ff. de vsufructu.* 3

f *Heres institutus fit &c.* Si seruus, in quo vnus habet nudam proprietatem, alter verò vsumfructum, heres institutus sit, vel legatum, vel donationem accipit, Labeo distinguit, vt si gratia fructuarij, ipsi adquiratur, sin verò domini, vel ipsius serui, adquiratur domino *d. l. si serui* 24. *& l. seq. ff. de vsufructu.* Et si quis donaturus vsufructuario, spoponderit seruo, in quo vsumfructū habet, stipulanti ipsi vsufructuario obligabitur: quia vt ei seruus talis stipulari possit, vsitatum est *d. l. Si quis donaturus* 28. *ff. de vsufructu.* 4

g *Idem placet &c. d. l. adquiritur* 10. §. *Idem placet ff. de adquir. rer. dom.* Et summa huius loci hæc est. Qui à nobis bona fide possi detur, quod ex re nostra, vel ex operibus suis adquirit, id nobis adquirit: quod verò aliunde consecutus est, id vel ad

ipsum pertinet, si liber est, vel ad dominum, si seruus est.

h *Quod extra istas duas causas.* Veluti, si heres institutus sit, legatumue quid ei, aut donatum fuerit.

i *Id vel ad ipsum pertinet &c.* Id enim lex ipsi reseruat in illud tempus, cum fortunam suam is agnouerit. *Theoph.hic.* Si tamen nostra contemplatione quid obueniat ei, qui à nobis bona fide possidetur, id nobis adquiritur *l.aditio* 45. §.*vlt. ff.de* 1 *adquir.vel omit.hered.*

k *Cum vsuceperit seruum.* Per triennium bona fide eum possidendo,

l *Vsucapere non potest.* Neque fructuarium ad obtinendam proprietatem rerum, quarum vsumfructum habet, neque successores eius, ex ea causa tenentes, vlla temporis præscriptio munit *l. neque fructuarium* 8.*C.de vsufructu.*

m *Primùm, quia non possidet.* Non possidet ciuiliter, quia non iure & animo domini, & sine possessione ciuili vsucapio non 2 procedit, At ius vtendi fruendi quasi possidet, quo fretus & rem ipsam naturaliter possidere videtur *l. naturaliter* 12.*ff. de acquir. vel amit.possess.in qua l.*12. Non alia ratione dicitur, quod naturaliter videtur possidere, quàm quod fructuarius est tantummodo in naturali possessone, non etiam verè naturaliter dosidet. Solus enim dominus possessor est, & posidet per fructuarium. *Ex Cuiac.hic & Obseruat.lib.9. cap.33.in fine*

n *Deinde quia scit &c.* Et consequenter non habet bonam fidem, quæ in vsucapione principaliter exigitur. *l. Vnica C. de vsucap.* 3 *transfor.*

o *Sed etiam possessio.l.*1.§.*sed & per eum,& l.possessio* 49.*ff.de adquir. vel amitt.possess.*

p *In vtriusque persona.* In persona eius serui, in quo vsumfructum habemus, vel quem bonafide possimemus, & liberi hominis qui bona fide nobis seruit.

Ad §. Ex his itaque apparet.

4

Ex his itaque apparet, per liberos homines, quos neque nostro iuri subiectos habemus, neque bona fide possidemus: item per alienos seruos, in quibus neque vsum fructum habemus, neque possessionem (a) *iustam, nulla ex causa nobis adquiri posse. Et hoc est quod dicitur, per extraneam personam nihil* (b) *adquiri posse: excepto eo, quod per liberam personam, veluti per* (c) *procuratorem, placet*

non

non solùm scientibus, (d) *sed & ignorantibus nobis adquiri possessionem, secundùm Diui* (c) *Seueri Constitutionem, & per hanc possessionem etiam dominium, si dominus fuerit qui tradidit: vel vsucapionem*, (f) *aut longi temporis præscriptionem, si dominus non sit.*

a NEque *possessionem iustam*. Neque possessionem bonæ fidei. *Theoph. hic.*

b *Nihil adquiri posse. l.1.C.per quas pers.nob.adquir.* 1

c *Veluti per procuratorem*. Idem in tutore, aut curatore *l.1. §. per procuratorem ff. de adquir. vel amitt.possess. l.si procurator 13. ff. de acquir rer. dom.*

d *Non solum scientibus, sed & ignorantibus &c.* Nàm si quis mihi prædium, quod alio in loco situm est, vendat: neque ego illuc proficisci possim, sed procuratorem meum mittam, & hic possessionem prædij accipiat: possessio mihi per eum adquiretur. Non solùm si ego sciam, sed etiam si ignorem possessionem apprehensam esse. *Ex Theoph.* 2

e *Secundum Diui Seueri Constitutionem. l.1.C.de adquir. & retinen. possess.*

f *Vel vsucapionem*. Non tamen vsucapionis conditio inchoari potest, nisi postquam scientia nostra interuenerit. *l.1. C. de adquir. & retin. possess.* Quia vt ignorantes vsucapiamus in peculiaribus rebus tantum receptum est *l.2.ff.pro soluto*.

Ad §. Actenus.

3

Hactenus tantisper admonuisse sufficiat, quemadmodum singulæ res nobis adquirantur. Nam legatorum ius, quo & ipso iure singulæ res nobis adquiruntur: item fideicommissorum, vbi singulæ res nobis relinquuntur, opportuniùs inferiore loco (a) *referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per vniuersitatem res adquiruntur. Si cui ergo heredes facti sumus, siue cuius bonorum possessionem petierimus, vel si quem adrogauerimus, vel si cuius bona libertatum conseruandarum causa nobis addicta fuerint: eius res omnes ad nos transeunt. Ac prius de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex* 4 *conditio est. nàm vel ex testamento, vel ab intestato ad nos pertinent. Et priùs est, vt de his dispiciamus*, (b) *quæ ex testamento nobis obueniunt. qua in re necessarium est initium de ordinandis testamentis exponere.*

a INferiore loco referemus *In tit. de legatis, & in tit.de singul. reb. per fideicom.relict.*

b *Et priùs est, vt de his dispiciamus, quæ ex testamento &c.* Nam quandiu potest ex testamento adiri hereditas, ab intestato non defertur. *l. quandiu 39. ff. de adquir. vel omit. hered.*

De Testamentis (a) ordinandis.

TITVLVS X. 1

Testamentum ex eo appellatur, quòd testatio (b) *mentis est.*

a *DE Testamentis ordinandis.* Hic titulus continuatur ad superiores per textum in §. vltimo proximè præcedentis tituli. Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Hæc definitio est *Modestini in l. 1. ff de testam.* Aliam habemus, *Vlpiani in fragmen. titul. de testam in princ.* Testamentum est mentis nostræ iusta contestatio, in id solemniter facta, vt post mortem nostram valeat. 2

b *Quòd testatio mentis est.* Contestatio vltimi iudicij: seù enunciatio ac demonstratio vltimæ voluntatis apud eos exposita, qui vt testes essent, rogati sunt. Et notate, quod Ser. Sulpitius Testamentum deducit à testatione, vt pactum à pactione *l. 1. ff. de pactis*, & adijcit mentis, non quòd duplex esse nomen existimaret, vt *Gellius lib. 6. cap. 12.* eum scripsisse affirmat, sed ne quis quamcumque testationem existimaret esse testamentum. *Cuiac. hic.* 3

Ad §. Sed vt nihil.

Sed vt nihil antiquitatis penitùs ignoretur, sciendum est, olim quidem duo (a) *genera testamentorum in vsu fuisse: quorum altero in pace & otio vtebantur, quod calatis* (b) *comitijs appellabant, altero, cùm in prælium exituri essent, quod* (c) *procinctum dicebatur. Accessit* (d) *deinde tertium genus testamentorum, quod dicebatur,* (e) *per æs & libram: scilicet quod per emancipationem, ideſt, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque* (f) *testibus, & libripende, ciuibus Romanis puberibus præsentibus, & eo qui familiæ* (g) *emptor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera testamentorum ex veteribus temporibus in desuetudinem abierunt; quod verò* 4

per

per æs & libram fiebat, licèt diutiùs permanserit, attamen partim & hoc (h) *in vsu esse desijt.*

a *Olim quidem duo genera &c.* Olim duo genera testamentorum in vsu fuere: Vnum, quod Calatis comitijs dicebatur: alterum verò Procinctum. Accessit deinde tertium genus, quod dicebatur per æs, & libram. De his *Gellius lib.* 15. *Noct. Attic. cap.*27. *sic scribit.* Tria genera testamentorum fuisse accepimus: Vnum, quod Calatis comitijs in concione populi fieret: alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur: tertium per familiæ emancipationem, cui æs, & libra adhiberetur. 1

b *Quod Calatis comitijs.* Testamentum Calatis comitijs tempore pacis fiebat bis in anno, hunc in modum. Præco vniuersam circunibat ciuitatem conclamans, & totus populus congregabatur, & ita qui volebat, teste populo testamentum scribebat. Inde Calatis comitijs dictum est. Nam Calare, vocare est: Comitia, congregatio: quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum Calatis comitijs. *Theoph. hic.* Et quia genera Comitiorum inter se diuisa, erant tria: Centuriata, Tributa, & Curiata, si quis quærat, quibusnam comitijs testamenta condita fuerint; indubitanter respondendum est, ea condita fuisse, non Centuriatis, vel Tributis; sed Curiatis, quoniam ritus iste testandi antiquissimus fuit, & inter Comitiorum genera constat Curiata fuisse vetustiora. *Galuan. de Vsufruct. cap.*10. *num.*8. 2

In libro verò Lælij Felicis ad Q. Mutium primo, hoc scriptum est: Cum ex generibus omnium suffragium feratur, Curiata comitia esse: cùm ex censu & ætate, Centuriata: cùm ex regionibus & locis, Tributa. *Gellius d. lib.*15. *cap.*27. Cùm autem populus omne imperium in principem contulerit, *vulgata lege Regia.* §. *Sed & quod principi Inst. de Iure nat. gent. & Ciu.* testamentum coram eo, tanquam coram populo factum, hodie etiam obtinet *l. omnium* 19. *C. de testamentis.* vt hic testandi modus non penitùs sublatus, sed solùm mutatus videatur. *Vigilius hic sub num.*7. 3 4

c *Quod procinctum dicebatur.* Procinctum testamentum est, quod fiebat à Romanus cùm in prælium essent exituri, nomenque ab habitu, in quo testamenta faciebant, sortitum est. Procinctus enim dicitur qui accinctus est & paratus ad confligendum cum hoste. Nàm cùm in incerto esset, an redituri essent, testamento prius facto, in prælium exibant. *Theoph. hic.* Plutar-

tarchus autem in Coriolani vita, de hoc testamento sic scribit: Eo tempore mos erat Romanis, prælium inituris, scutaque sumpturis, togam præcingere, simulque testamenta sine scripto facere, & tribus aut quatuor audientibus heredem nuncupare. Hoc testamentum Gellius loco supra allegato, & Vlpianus in *fragmen. tit.* 20. §. 1. appellant in procinctu.

d *Accessit deinde tertium genus &c.* Ideo accessit deinde hoc tertium genus testamentorum, quia eueniebat vt nonnulli subitaneo morbo correpti, intestati morerentur, neque enim Calatis comitijs testabantur, quia nondum instaret tempus: neque item in Procinctu, quia bellum non esset. Deinde & illud mali ominis videbatur, sano quempiam & valente corpore testamentum facere *Theoph. hic.* 1

c *Quod dicebatur per æs & libram.* Testamentum, quod dicebatur per æs & libram, poterat fieri omni tempore, per emancipationem familiæ, idest, per imaginariam quandam hereditatis venditionem. Hæc autem imaginaria venditio in hunc modum fiebat. Quinque aderant testes, & libripens, Ciues Romani, ijque puberes. Atque ijs præsentibus, is qui successor defuncti erat futurus, patrimonium morituri emebat, verba quædam dicens solemnia, & imaginarij pretij nomine, numum rerum dominio dabat, appellabaturque is, qui emebat, Familiæ emptor. Deinde ordinabat moriens, quid post mortem suam fieri vellet, dicebat enim familiæ emptori, siue heredi: Huic volo dari fundum, illi domum, alij centum solidos. Idem Theophilus. Hanc autem libræ adhibendæ solemnitatem ab eo profectam esse nemo nescit, quòd veteres infectum argentum appendere, non numerare solerent. Et Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem deuictum vsus est. *Barnabas Brissonius Select. ex Iur. Ciuil. Antiquit. lib.* 1. *cap.* 7. 2 3

f *Quinque testibus.* Id notandum, hunc numerum testium quinque, olim fuisse sollemnem in omni mancipatione, idque propterea, quod Romæ populus vniuersus constaret ex quinque classibus, atque ita per hos quinque testes totus populus repræsentaretur. Huius opinionis argumentum & hoc est, quod testamentarij testes olim dicebantur classici, teste Festo. *G. hic. & Galuan. de Vsufruct. cap.* 10. *num.* 10. 4

g *Qui familiæ emptor.* Familia hoc loco significat hereditatem, vt in *l. pronunciatio* 195. §. *Familiæ ff. de verbor. sig. & in tit. ff. familiæ erciscundæ.*

h *Partim & hoc in vsu esse desijt.* Nàm, cùm idem familiæ emptor

ptor esset, & heres, pro certo habens is se heredem futurum, in dominum hereditatis insidias comparabat: vnde complures pro veteri more familiæ emptorem adhibebant, qui imaginaria emptione patrimonium morituri emeret: sed testator seorsum in tabulis aut chartis, quem sibi heredem esse vellet, scribebat. *Theoph. hic.* Et forsitan ad hæc tempora sunt referenda verba *Vlpiani in fragmen. tit.* 20. In testamento, inquit, quod per æs & libram fit, duæ res aguntur, familiæ mancipatio, & nuncupatio testamenti. Nuncupatur testamentum in hunc modum: tabulas testamenti testator tenens, ita dicit, Hæc vti his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites testimonium præbitote. Quæ nuncupatio & testatio vocatur. 1

Ad §. Sed prædicta quidem.

Sed prædicta quidem nomina testamentorum ad Ius Ciuile referebantur: postea verò ex edicto Prætoris forma alia faciendorum testamentorum introducta est. Iure enim (a) *honorario nulla emancipatio desiderabatur: sed septem testium signa sufficiebant, cum Iure Ciuili signa testium non essent necessaria.* 2

a *Iure enim honorario.* Ius honorarium generaliter dicitur, quod à Magistratibus constituitur. Quare ius prætorium honorarij iuris est portio. Quia tamen Ius prætorium est maior pars Iuris honorarij, cùm dicimus Ius honorarium, solemus Ius prætorium intelligere, vt hic. 3

Ad §. Sed cùm paulatim.

Sed cum paulatim, tam ex vsu hominum, quàm ex Constitutionum emendationibus cœpit in vnam consonantiam ius ciuile & prætorium iungi: (a) *constitutum est, vt vno* (b) *eodemque tempore, quod ius ciuile* (c) *quodammodo exigebat, septem testibus* (d) *adhibitis, & subscriptione* (e) *testium, quod ex* (f) *Constitutionibus inuentum est,* 4 *& , ex edicto Prætoris, signacula* (g) *testamentis imponerentur, vt hoc ius tripertitum esse videatur, vt testes quidem & eorum* (h) *præsentia vno* (i) *contextu testamenti celebrandi gratia, à iure ciuili descendant: subscriptiones* (k) *autem testatoris & testium, ex sacrarum Constitutionum obseruatione adibeantur: signacula autem, & testium numerus, ex edicto Prætoris. Sed his omnibus à nostra* (l) *Constitutione*

tione propter testamentorum sinceritatem, vt nulla fraus adhibeatur, hoc additum est: vt per manum (m) *testatoris vel testium nomen heredis exprimatur, & omnia secundùm illius Constitutionis tenorem procedant.*

a *Vsgi*. In eo scilicet quod attinet ad rationem ordinandi testamenti. *Cuiac. hic.*

b *Vt vno eodemque tempore*. Licet alio tempore dictatum scriptumue proferatur testamentum, sufficiet vno tempore eodemque die, nullo actu extraneo interueniente, testes omnes, videlicet simul, nec diuersis temporibus subscribere signareque testamentum *l. hac consultissima* 21. §. *Sed licet C. de testamentis*. 1

c *Quod ius ciuile quodammodo exigebat*. Nàm dum illa mancipatio per æs & libram fiebat, breui spacio sine vlla intermissione peragebatur. *Ex H.*

d *Septem testibus adhibitis*. In testamentis testes rogati adesse debent, vt testamentum fiat. *l. heredes palàm* 21. §. *In testamentis ff. de testamentis*. Testes autem testamentarij cur debeant esse rogati, explicat *Galuan. de Vsufruct. cap.* 10. *num.* 11. his verbis: Testium inquit, testamentariorum rogationem ad veterem comitiorum rationem esse reuocandam existimo, cum enim is qui populum coegerat, eundem quoque rogare solitus esset; hinc factum est, vt translato testamento comitiali in testamentum per æs, ac libram, & subinde in alia genera testamentorum, nihilominus semper constanter retentus fuerit mos rogandorum testium testamentariorum, vt patet. *l. heredes* 21. §. *penult. ff. Qui testam. fac. poss. l. hac consultissima* 21. §. *vlt. C. de testam.* Quia nimirum hi testes adhibentur ad actus testamentarij non modò fidem, & probationem (vt contingit in alijs actibus *l. ad fidem* 11. *ff. de testibus*) sed etiam solemnitatem, ac formam publicam, cum hi testes rogati habeant vicem omnium ciuium in comitijs publicis rogatorum: Qua ratione arrogatio pariter nomen accepit, ac retinuit arrogationis; quod olim fieri soleret rogatis comitijs, vt *Gellius probat Noct. Attic. lib.* 5. *cap.* 19. 2 3 4

e *Et subscriptione testium*. Singulos testes, qui testamento adhibentur, proprio chirographo annotare conuenit, quis, & cuius testamentum signauerit *l. Singulos testes* 30. *ff. de testamentis*. Et si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, veruntamen signauerit; pro eo est, atque si adhibitus non esset. Et si adscri-

adscripserit se, non tamen signauerit: adhuc idem dicemus. *l.ad testium* 22. §.*Si quis ex testibus ff. de testamentis*.

f *Quod ex constitutionibus &c.* Obscura & perplexa sententia. Sensus est, numerum testium, & consignationem ex edicto, subscriptionem ex Principum Constitutionibus manare: quod apertè Iustinianus mox demonstrat. Constitutiones autem antiquorum Cæsarum intelligit. *H. hic*.

g *Signacula testamentis imponerentur*. Vide supra in verbo, *Et subscriptione testium*. 1

h *Et eorum præsentia*. Testes in conspectu testatoris esse oportet. *l.Si non speciali* 9. *C.de testamentis*.

i *Vno contextu*. Vno contextu actionis testari oportet. Est autem vno contextu, nullum alienum actum testamento intermiscere *l.heredes palàm* 21. §.*vlt. ff.de testamentis*. Si quid tamen necessarium euenerit, & ipsum corpus laborantis respiciens contigerit, idest, vel victus necessarij, vel potionis oblatio, vel medicaminis datio, vel impositio, quibus relictis ipsa sanitas testatoris periclitetur, vel si quis necessarius naturæ vsus ad depositionem superflui ponderis immineat vel testatori, vel testibus, non erit ex hac causa testamentum subuertendum *l.Cum antiquitas* 28. *C. de testamentis*. 2

k *Subscriptiones autem testatoris*. Quòd si literas testator ignoret, vel scribere nequeat: octauus subscriptor pro eo adhiberi debet *l.hac consultissima* 21. §.*Quòd si literas C. de test.* Si autem quis sua manu totum testamentum conscripserit, non alia subscriptio hodie requiritur neque ab eo neque pro eo ab alio. *l.cùm antiquitas* 28. §.*vlt. C. de test.* 3

l *Nostra Constitutione*. *l.Iubemus* 29. *C.de test.*

m *Vt per manum testatoris &c.* Debet testator, si vires habeat ad scribendum, nomen heredis, vel heredum in sua subscriptione, vel in quacunque parte testamenti ponere: vt sit manifestum secundum illius voluntatem hereditatem esse transmissam. Sin autem forsitan ex morbi acerbitate, vel literarum imperita, hoc facere minimè potuerit: testibus testamenti præsentibus, nomen vel nomina heredis vel heredum debent ab eo nuncupari, vt omnimodò sciant testes, qui sint scripti heredes: & ita certo heredis nomine successio procedat. Et ipsi testes in suis subscriptionibus heredum nomina (cum testator hæc non scripserit, sed nuncupauerit) subscribere debent *dicta l. Iubemus* 29. *C. de test.* Sed Iure Nouellarum firmum testamentum est: siue per se aliquis, siue per cuiuslibet alterius per- 4

sonam nomen heredis inscripserit: si omnino reliquam legitimam obseruationem in testamento testator obseruauerit. *Nouella 119. cap. 9.* Cæterum notate, quod hoc testamentum scriptum, siue solemne, non ob id infirmatur, quod testes ignorent, quæ in eo sunt scripta. Potest enim testator consignaram, vel ligatam, vel tantum clausam, inuolutamque proferre scripturam, eamque rogatis testibus offerre signandam, & subscribendam & dicere suum esse testamentum, quod offertur. *l. hac consultissima 21. in princ. C. de testam.* Et etiam hodie hoc testamentum est in vsu, licet rariori. Frequentius enim homines, ad tantas solemnitates euitandas, testamento nuncupatiuo, hoc est, non scripto, vtuntur, de quo videbimus ad §. *vlt. huius tituli*. 1

Ad §. Possunt autem.

Possunt autem omnes testes & vno (a) *annulo signare testamentum, quid enim si septem annuli vna* (b) *sculptura fuerint, secundùm quod Pomponio visum est? Sed & alieno* (c) *quoque annulo licet signare.* 2

a ET *vno annulo*. Et non tantùm annulo quis potest signare, sed & quibusuis alijs sculptis rebus ad obsignandum idoneis *l. Ad testium 22. §. Signum ff. de testamentis*. Vbi cum negatione legendum, vt non tantum annulo &c.

b *Vna sculptura fuerint*. Hoc est, vnum & eundem habeant characterem. *Theoph. hic*. 3

c *Sed & alieno quoque annulo. l. Si vnus 12. C. de testamentis*. Imò si ab ipso testatore annulum accepero, & signauero: testamentum valet, quasi alieno signauerim. *d. l. ad testium 22. §. Si ab ipso ff. de testamentis*.

Ad §. Testes autem.

Testes autem adhiberi possunt ij, cum quibus (a) *testamenti factio est. Sed neque* (b) *mulier, neque* (c) *impubes, neque* (d) *seruus, neque* (e) *furiosus, neque* (f) *mutus, neque* (g) *surdus, neque is*, (h) *cui bonis interdictum est, neque ij*, (i) *quos leges iubent improbos intestabilesque esse, possunt in numero testium adhiberi.* 4

a CVm *quibus testamenti factio est*. Idest, qui possunt heredes instituì: Cùm enim testamenti factio duplex sit: actiua, corum,

eorum, qui testamentum facere possunt; & passiua, eorum, qui ex alieno testamento, vel ipsi capere possunt, vel alij adquirere, licet non possint facere testamentum. §. *In extraneis. verf. testamenti Instit. de hered. qualit. & differ.* propriè loquendo, illi dicuntur habere testamenti factionem, cum his autem dicitur esse testamenti factio. *Pacius hic in Analy.*

b *Sed neque mulier.* Cum fœminis nulla comitiorum communio est, teste Gellio *Noct. Attic. lib. 5. cap. 19.* Hinc factum est, 1
vt nec coram fœminis condi potuerint illa testamentorum genera, quæ subrogata sunt in locum testamenti comitialis, & in quibus testes adhibentur magis in publicam auctoritatem, ac solemnitatem: quàm in fidem testamenti. In alijs actibus, in quibus testes adhibentur, magis ad fidem, quàm ad formam intrinsecam ipsius actus; & magis ex arbitrio priuato; quàm ex publici ritus necessitate, mulieres non ptohibentur esse testes, *l. ex eo 18. ff. de testibus. l. Qui testamento 20. §. Mulier ff. de testam.* Ex Galuano de Vsufructu *cap. 10. n. 12.* 2

c *Neque impubes.* Impubes enim animi iudicio caret. §. *Præterea Inst. Quib. non est permiss. fac. test.* Nec vnquam propter eam infirmitatē ad ciuiles legitimasque actiones admitti solet. *H. hic.*

d *Neque seruus.* Cùm iuris ciuilis communionem non habeat in totum: ne prætorij quidem edicti. *l. Qui Testamento 20. §. seruus quoque ff. de testamentis.*

e *Neque furiosus.* Cùm compos mentis non sit, sed si habet intermissionem: eo tempore adhiberi potest. *l. Qui testamento 20. §. Ne furiosus ff. de testamentis.* 3

f *Neque mutus.* Mutus is intelligitur, qui loqui nihil potest, non qui tardè loquitur. §. *Item surdus Instit.* Quibus non est permissum facere testamentum. Vnde apparet, quod mutus non potest in numerum testium adhiberi, quia dicere pro testimonio quid actum sit, non potest.

g *Neque surdus.* Nàm quid dicatur non intelligit. Vtique enim de eo surdo loquimur, qui omninò non exaudit, non qui tardè exaudit. *d. §. Item surdus.*

h *Neque is, cui bonis interdictum est.* Ideſt, prodigus. Testis autem ad testamentum prodigus meritò adhiberi non potest: 4
cùm neque testamenti factionem habeat. *l. Is, cui 18. ff. de testamentis.* Et passim furioso comparetur. *l. 1. ff. de curat. fur. l. Is, qui 12. §. vlt. ff. de tut. & cur. dat.*

i *Neque ij, quos leges &c.* Quales sunt ob carmen famosum damnati. *Vlpianus in d. l. Is, cui §. vlt. ff. de testamentis.* Si quis ob

carmen famosum damnetur: Senatus consultò expressum est, vt intestabilis sit, ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi.

Ad §. Sed cum aliquis.

Sed cùm aliquis ex testibus testamenti quidem faciendi tempore liber (a) *existimabatur, posteà verò seruus apparuit: tam Diuus* (b) *Hadrianus Catonio Vero, quàm posteà Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, subuenire* (c) *se ex sua liberalitate testamento, vt sic habeatur, atque si vt oportet factum esset: cum eo tempore, quo testamentum signaretur, omnium* (d) *consensu hic testis liberorum loco fuerit, neque quisquam esset, qui statum ei quæstionem mouisset.* 1

a *Liber existimabatur.* Inter omnes ferè conuenit, vt idem in alia qualibet persona non habili, seù non idonea ad testimonium ferendum, obseruetur: veluti si quis communi opinione tempore conditi testamenti erat probus & testabilis, vel pubes, vel ciuis, ac deinde compertum fuit, intestabilem, impuberem, deportatum, vel peregrinum fuisse: Nàm ex eadem æquitate & tunc testamento subuenietur. *Ex Viglio hic sub n.* 1. *& ex Mynsingerio sub n.* 5. 2

b *Tam Diuus Hadrianus.* Hæc constitutio adhuc extat *in l.* 1. *C. de testamentis.*

c *Subuenire se &c.* Ex verbo [subuenire] apparet, sua sponte vitiosum esse testamentum, & iniustum, sed benignitate Imperatorum confirmatum. *H. hic.* 3

d *Omnium consensu.* Aut multorum. *l. cum quidam* 20. §. *Quod dicitur, il 2. ff. de acquir. vel omit. hered.*

Ad §. Pater.

Pater, nec (a) *non is, qui in potestate eius est, item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, vtique testes in vno* (b) *testamento fieri possunt: quia nihil nocet ex vna* (c) *domo plures testes alieno negotio adhiberi.* 4

a *Pater, necnon is &c. l. pater* 17. *ff. de Testibus. l. ad Testium* 22. *ff. de testam.*

b *In vno Testamento.* Vel eodem negotio. *d. l. pater* 17. *ff. de testib.*

c *Ex vna domo.* Ex vna familia. Apud Theophilum legitur: Ex vna familia, seu domo.

Ad

Ad §. In testibus autem.

In testibus autem non debet esse qui (a) *in potestate testatoris est. Sed & si filius familias de castrensi peculio post* (b) *missionem faciat testamentum, nec pater eius rectè adhibetur testis, nec is, qui in potestate eiusdem patris est: reprobatum est enim in ea re* (c) *domestico testimonium.* 1

a *Qui in potestate testatoris est.* Ergo à contrario, si filius sit emancipatus, poterit esse testis in testamento paterno. Communis tamen sententia nec emancipatum admittit. Sed hanc impugnat Viglius hic, & Viglium sequuntur Mynsingerius, & Pacius hoc eodem loco.

b *Post missionem.* Quia filiusfamilias de castrensi peculio post missionem iure communi testamentum facit, nec pater eius rectè adhibetur testis, nec is, qui in potestate eiusdem patris 2
est. *tex. hic iuncto princ. seq. tit.* Ergo, si ante missionem iure militari faciat testamentum, & hi quoque testes rectè adhibentur, *l. Qui testamento 20. §. per contrarium ff. de testam.*

c *Reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium.* A domo domesticum dicitur. Et domus familiam significat. His igitur verbis [Reprobatum est in ea re domesticum testimonium] significatur, eum, qui est ex vna domo, seu familia, non posse esse testem in testamento illius, qui est ex eadem domo, seu familia: Et ratio est: quia iure familiæ, pater, & omnes alij, 3
qui sunt in familia, pro vna habentur persona. Et notate, quod dicitur [in ea re] quoniam in alijs causis, non solùm ex dicta familiæ, seù personarum vnione, sed etiam ex sola cognatione testimonium reprobatur.

Ad §. Sed neque heres.

Sed neque (a) *heres scriptus, neque is, qui in potestate eius est, neque pater eius, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in eius-* 4
dem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt: quia hoc totum negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur hodie (b) *inter testatorem, & heredem agi. Licet enim totum ius tale conturbatum fuerat, & veteres quidem familiæ emptorem, & eos, qui per potestatem ei coniuncti fuerant, à testamentarijs testimonijs repellebant:* (c) *heredi* (d) *autem, & ijs, qui per potestatem ei coniuncti*

iunctifuerant, concedebant testimonia (e) *in testamentis præstare, licet ij, qui id permittebant, hoc iure minimè* (f) *abuti eos debere suadebant: tamen nos eandem observationem corrigentes, & quod ab illis suasum est, in legis necessitatem transferentes, ad imitationem pristini familiæ emptoris, merito nec heredi, qui imaginem vetustissimi familiæ emptoris obtinet, nec alijs personis, quæ ei, vt dictum est, coniunctæ sunt, licentiam concedimus, sibi quodammodo* (g) *testimonia præstare. Ideoque nec ciusmodi veteres constitutiones* 1 *nostro Codici inseri permisimus.*

a *Sed neque heres scriptus &c.* Qui testamento heres instituitur, in eodem testamento testis esse non potest. *l. Qui testamento 20. in princ. ff. de testamentis.* Nullus namque idoneus testis in re sua intelligitur. *l. nullus 10 ff. de testibus.* Vnde, neque hi, qui per potestatem heredi coniuncti sunt, testes adhiberi possunt, ne sibi quodammodo videantur testimonia præstare. *Text. hic.*

b *Creditur hodie inter testatorem, & heredem agi.* Sublata videlicet familiæ mancipatione, quæ olim inter testatorem, & familiæ emptorem fiebat. *Vlpianus in frag. tit. 20. §. Qui in potestate.* De mancipatione familiæ. Vide notata supra ad §. *Sed vt nihil,* In verbo, *Quod dicebatur per æs & libram.* 2

c *Repellebant.* Quoniam familiæ mancipatio inter testatorem & familiæ emptorem fiebat, vt suprà dixi.

d *Heredi autem.* Scortum in tabulis scripto. Vide notata supra ad §. *Sed vt nihil.* In verbo, *Partim & hoc in vsu.*

e *Concedebant testimonia in testamentis præstare.* Quia totum negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, non vt hodie inter testatorem, & heredem, sed inter testatorem, & familiæ emptorem agebatur. 3

f *Hoc iure minimè abuti eos &c.* Si ergo heres instituendus, quid futurum esset sciebat, honestius ei erat à testamentario testimonio abstinere.

g *Sibi quodammodò testimonia præstare.* Nàm iure familiæ, pater, & omnes alij, qui sunt in familia, pro vna habentur persona.

4

Ad §. Legatarijs autem.

Legatarijs (a) *autem & fideicommissarijs* (b) *quia non iuris* (c) *successores sunt, & alijs personis, quæ eis coniunctæ sunt, testimonium* (d) *non denegauimus: imò in quàdam nostra* (e) *Constitutione, & hoc specialiter concessimus, & multò magis ijs, qui in eorum pote-*

potestate sunt, vel qui eos habent in potestate huiusmodi licentiam damus.

a *Legatarijs autem. l. Qui testamento 20. in princ. ff. de testamentis, l. Si quis ita 15. ff. de rebus dubijs, l. dictantibus 22. §. testibus etiam C. de testamentis.*

b *Et fideicommissarijs.* Particularibus. Fideicommissariò verò vniuersali testimonium denegatur. Effectu enim quodammodo heres est. *l. Si filiusfamilias 5. §. Si filio ff. Quod cum eo &c.* 1

c *Quia non iuris successores sunt.* Non sunt successores iuris vniuersi, sed rei aut iuris singularis, atque adeò negotium istud vltimi temporis principaliter inter eos & testatorem non agitur. Imò nec vllum negotium cum testatore legatarius gessisse propriè dici potest. §. *heres, infra de oblig. quasi ex contractu Cuiac. hic.*

d *Testimonium non denegauimus.* Etiamsi omnibus testibus essent facta legata, adhuc testamentum valeret. *d. l. Si quis ita 15. ff. de rebus dubijs.* 2

e *In quadam nostra Constitutione.* Hæc Constitutio non extat.

Ad §. Nihil autem interest.

Nihil autem (a) *interest, testamentum in tabulis, an in chartis,* (b) *membranisue, vel in alia materia fiat.*

a *Nihil autem interest &c.* Testamentum quacumque in materia scribi potest, *l. 1. C. de bon. poss. sec. tab.* 3

b *In chartis, membranisue.* Chartæ hodie ex panniculis lineis cannabinisque maceratis, contusisque confici solent. Membranæ verò sunt tenuiores animalium pelles, vt diximus suprà ad §. *Literæ quoque, de rer. diuis.*

Ad §. Sed & vnum.

Sed & vnum (a) *testamentum pluribus codicibus conficere quis potest, secundùm obtinentem tamen obseruationem omnibus factis: quod interdum etiam necessarium est: veluti si quis nauigaturus* (b) *& secum ferre, & domi relinquere iudiciorum suorum contestationem velit, vel propter alias innumerabiles causas, quæ humanis necessitatibus imminent.* 4

a *Sed & vnum &c.* Vnum testamentum in pluribus codicibus eiusdem tenoris conficere quis potest, sic tamen vt vnusquisque

quisque eorum ea obseruatione conficiatur, quæ in testamentis obtinet. *Tex.hic l.vnum testamentum 24. ff. de testamentis.* Et tunc singuli Codices fidem faciunt, *l.vlt.ff.de his,quæ in test.del.l.1.§.Si quis in duob.ff.de bon.poss.sec.tab.*

b *Veluti si quis nauigaturus &c. d.l.Vnum Testamentum 24. ff. de testam.*

Ad §. Sed hæc quidem.

Sed hæc quidem de testamentis, quæ iu scriptis conficiuntur. Si quis autem sine (a) *scriptis voluerit ordinare Iure* (b) *Ciuili testamentum septem testibus* (c) *adhibitis, & sua voluntate coram eis* (d) *nuncupata, sciat hoc perfectissimum testamentum iure ciuili, firmumque constitutum.* 1

a *Si quis autem sine scriptis &c.* Hoc testamentum dicitur fieri sine scriptis: non quia scribi non possit [plerumque enim in scriptis redigitur] sed quia non fit per scripturam, vt testamentum solemne, verùm scriptura ei iam facto accedit, quippè cum non solemnitatis, sed probationis tantùm causa adhibeatur. *Pacius hic in Analy.* Et hodie in scripturam redigi ferè semper à Notarijs solet: quo facto, etiamsi deinde vel decedant testes, vel aliàs reddantur inhabiles, nihil officit. *Mynsing. hic sub num.6.* 2

b *Iure Ciuili.* Nàm prætor testamentum sine scriptis ignorat. Quomodo enim nosset, qui signa testium semper requirat? *Theoph.hic.* Vtilis tamen à prætore bonorum possessio contra nuncupationem, vel secundum nuncupationem conceditur, *l.2.C.de bon.poss.sec.tab.l.si ita scriptum 8.in fine ff.eodem l.vlt.in prin. C.de Codicil.l.1.C.de bon.poss.cont.tab.lib.* 3

c *Septem testibus adhibitis.* In testamentis testes rogati adesse debent, vt testamentum fiat. *l.heredes palàm 21.§.In testamentis ff.de testamentis.* Vide notata suprà *ad* §. *Sed prædicta quidem*, In verbo, *Septem testibus adhibitis, hoc eodem tit.*

d *Et sua voluntate coram eis nuncupata.* Ex Constitut.Theod. & Valent. *in l.Hac consultissima 21.§. per nuncupationem C.de testam.* Per nuncupationem, hoc est, sine scriptura, testamenta non aliàs valent, quàm si septem testes simul vno eodemque tempore collecti, testatoris voluntatem, vt testamentum sine scriptura facientis audierint. 4

De

De Militari (a) testamento.

TITVLVS XI.

Supradicta diligens obseruatio in ordinandis testamentis, Militibus propter nimiam (b) *imperitiam Constitutionibus* (c) *principalibus remissa est. Nàm quamuis ij neque legitimum* (d) *numerum testium adhibuerint, neque aliam testamentorum solemnitatem obseruauerint: rectè nihilominùs testantur, videlicet cum in expeditionibus* (e) *occupati sunt: quod meritò nostra* (f) *Constitutio introduxit. Quoquo enim* (g) *modo voluntas eius suprema inueniatur, siue scripta, siue sine scriptura: valet testamentum ex voluntate eius. Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in alijs locis, vel suis* (h) *ædibus degunt, minimè ad vindicandum tale priuilegium adiuuantur. Sed testari quidem, & si* (i) *filij familiarum sunt, propter militiam conceduntur: iure tamen communi eadem obseruatione & in eorum testamentis adhibita, quam & in testamentis paganorum proximè exposuimus.* 1 2

a *De Militari testamento.* De militum testamentis ideò separatim Iustinianus tractat, quòd optimè nouit ex Constitutionibus Principalibus propria, atque singularia iura in testamentis eorum obseruari. *Ex l. 2. ff. de milit. test.*

b *Propter nimiam imperitiam.* Propter simplicitatem militarem. *l. 3. C. de test. mil.* Seù propter iuris ignorantiam. Arma etenim magis quàm iura scire milites existimantur, *l. vlt. §. 1. C. de Iur. deliber.* Sunt etiam huius priuilegij militaris causa, grauia pericula, quæ pro Republica milites subeunt, *l. 1. in princ. ff. de bon. poss. ex test. mil.* 3

c *Constitutionibus Principalibus.* Harum Constitutionum meminit *Vlpianus in l. 1. ff. de milit. test.*

d *Neque legitimum numerum testium.* Vnum testem sufficere Theophilus hoc loco scripsit. Imò Cuiacius *in Consultat.* 49. nullum testem necessariò requirit, ac satis esse putat si alijs probationibus legitimis constare possit de voluntate militis. Nàm *l. Lucius* 41 *ff. de milit. test.* non testes exigit, sed legitimas probationes, quarum plura sunt genera. 4

e *Cum in expeditionibus occupati sunt.* Olim Romani, cùm in prælium essent exituri, testamentum faciebant, tribus aut qua-

tuor audientibus, quod procinctum, seù in procinctu dicebatur, vt diximus supra ad §. *Sed vt nihil de testam. ord.* In verbo, *Quod procinctum dicebatur*. Deinde ex Constitutionibus Principum fuit militibus concessum, vt quoquo modo testati fuissent, quocunque in loco agerent, rata esset eorum voluntas. *Theoph. hic l.1.ff. de milit. test.* Sed hoc priuilegium Iustinianus postea restrinxit ad tempus, quo milites in expeditionibus occupati sunt. *l.Ne quidam 17.C. de testam.militis*. In expeditione vero milites occupati, & degere dicuntur, non solùm, cùm sunt in acie, in hostico, verum etiam, cum sunt in castris, siue quod idem est, in fossatis, in statiuis, in præsidijs, alioquin nihil distaret paganus à milite. Nam & paganus, qui iure militari testari non potest, in acie, in hostico, quomodo velit, & quomodo potest, rectè testatur *l.vlt.ff. de milit.test. Borch. hic sub n. 5. & 6.* 1

f *Nostra Constitutio. Dicta l. ne quidam 17.C. de testam.militis.*

g *Quoquo enim modo &c.* Proinde, si milites quid in vagina, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotauerint, aut in puluere inscripserint gladio sub ipso tempore quo in prælio vitæ sortem derelinquunt, huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet *l. milites 15. §. Proinde C. de testamento militis*. 2

h *Vel suis ædibus*. Sic legitur *in l.vlt.C. de restit. milit.* vnde sumptus hic locus videtur.

i *Et si filij familiarum sunt*. Filij familiarum, cum in expeditionibus occupati sunt, de castrensi peculio testamentum facere possunt, etiam iure militari. Sed extra expeditionum occupationem, de eodem peculio testari quidem propter militiam. 3 conceduntur: iure tamen communi. Vide *infrà ad princ. tit. quib.non est permiss.fac.test. & ad §.vlt.h.t.*

Ad §. Planè.

Planè de testamentis militum diuus Traianus (a) *Statilio* (b) *Seuero ita rescripsit. Id priuilegium, quod militantibus est datum, vt quoquo modo facta ab eis testamenta, rata sint: sic intelligi debet, vt vtique priùs constare debeat, testamentum factum esse, quod & sine* 4 *scriptura, à non militantibus quoque fieri potest. Is ergo miles, de cuius bonis apud te quæritur, si conuocatis* (c) *ad hoc hominibus, vt voluntatem suam testaretur, ita locutus est, vt declararet quem vellet sibi heredem esse, & cui libertatem tribuere: potest videri sine scripto hoc modo esse testatus, & voluntas eius rata habenda est. Cæterùm si (vt plerumque sermonibus fieri solet,) dixit alicui,*

Ego

Ego te heredem facio, aut bona mea tibi relinquo, non oportet hoc pro testamento obseruari. Nec vllorum magis interest, quam ipsorum, quibus id priuilegium datum est, eiusmodi exemplum non admitti. alioquin non difficulter post mortem alicuius militis testes existerent, qui affirmarent se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona, cui visum sit, & per hoc vera iudicia subuerterentur.

1

a *Diuus Traianus &c.* Hoc Traiani rescriptum ad verbum Florentinus recenset in *l. Diuus Traianus 25. ff. de milit. test.*

b *Statilio Seuero.* Vulgati codices habent, Statilio, quorum etiam auctoritatem confirmat Theophilus. Nonnulli tamen reposuerunt, Catilio, non solùm hoc loco, sed etiam *in d. l. Diuus Traianus 25. ff. de milit. test.*

c *Si conuocatis ad hoc hominibus.* Ex eo quod miles testes conuocauerat collegit Traianus, testari eum voluisse: conuocari 2
igitur & vocari debere testes in testamento militis, ex hoc loco probari non potest *Cuiac. hic.*

Ad §. Quinimò.

Quinimò & (a) mutus & surdus miles testamentum (b) facere potest.

a *Quinimo & mutus & surdus &c.* Iure militari surdum, & mutum testamentum facere posse ante causariam missionem in numeris manentem placet *l. Iure militari 4. ff. de milit. test.* 3

b *Testamentum facere potest.* Indistinctè. Paganus verò mutus & surdus, certis tantùm casibus & modis testari potest vt in titulo proximè sequenti ad §. *Item surdus, explicabitur.*

Ad §. Sed hactenus.

Sed hactenus hoc illius à principalibus Constitutionibus conceditur, quatenus militant (a) & in castris degunt: post missionem verò veterani, vel extra castra, si faciant adhuc militantes testamentum communi omnium ciuium Romanorum iure id facere debent. Et quod in castris fecerint testamentum non communi (b) iure, sed quomodo voluerint: post missionem (c) intra annum tantum valebit. Quid ergo si intra annum decesserit, conditio autem heredi adscripta, 4

non sit subsecuta. Idque apertius *in l. Idemque 9. ff. de milit. Test.* Idem Vlpianus declarat, Pij rescriptum allegans, & hoc quo dixi modo & ipse accipiens. *Ex Viglio hic sub n. 1.*

b *Resignauit illud.* Illud aperuit.

Ad §. Denique.

Denique & si (a) *in adrogationem datus fuerit miles, vel si filius familias* (b) *emancipatus est: testamentum eius quasi ex noua* (c) *militis voluntate valet, nec videtur capitis deminutione* (d) *irritum fieri.* 1

1 *Denique & si in adrogationem &c.* Testamentum militis, qui se in adrogationem dederit, quasi ex noua eius voluntate valet. Hoc tamen debet intelligi, si pater familias miles de castrensibus rebus duntaxat testatus adrogandum se dederit *l. Idem & si 24. ff. de milit. test.*

b *Vel filius familias emancipatus est.* Filius familias quantum ad- 2
testandum de castrensi peculio pro patre familias habendus est, & ideo nec emancipatione irritum fieri militis veterani testamentum, verum est. *l. si quis filio 6. §. vlt. ff. de iniusto, rupto &c.* Multo minus ergo emancipatione irritum fiet testamentum militis in expeditionibus occupati.

c *Quasi ex noua militis voluntate valet.* Quoniam hoc ipso, quod non mutauit testamentum, valere id & vires habere voluit. *Theoph. hic.*

d *Nec videtur capitis deminutione irritum fieri.* Pagani verò testa- 3
mentum, quacumque capitis deminutione fit irritum §. *Alio, Instit. Quib. mod. test. infir.*

Ad §. Sciendum tamen est.

Sciendum (a) *tamen est, quod ad exemplum castrensis peculij, tam anteriores leges, quam principales constitutiones quibusdam quasi castrensia dederunt peculia, & horum quibusdam* (b) *permissum erat etiá in testate degentibus testari: quod nostra Constitutio* (c) *latiùs extendens, permisit omnibus, in his tantummodo peculijs testari quidem, sed iure* (d) *communi. Cuius Constitutionis tenore perspecto, licentia est nihil eorum, quæ ad præfatum ius pertinet, ignorare.* 4

a *Sciendum tamen est &c.* Ad exemplum castrensis peculij, filijs familiàs quasi castrensia peculia data sunt, & eisdem permissum

missum est in huiusmodi peculijs testari, iure tamen communi *tex.hic.l. vlt.C.de Inoffic. testam.l.vlt. C. Qui testam.fac. poss.*

b *Et horum quibusdam permissum erat &c.* Vt proconsulibus, & Præsidibus Procinciarum *l. vlt.§.1.C.de in offic.test.*

c *Nostra Constitutio l.vlt.C. de in offic.test.*

d *Sed iure communi.* Sed communi & licito & consuetudo ordine obseruando. *Ex d.l.vlt.*

1

Quibus non est (a) permissum facere testamentum.

TITVLVS XII.

Non tamen omnibus licet facere testamentum. Statim enim ij, (b) *qui alieno iuri subiecti sunt, testamenti faciendi ius non habent: adeò quidem, vt quamuis parentes eis permiserint, nihilo magis iure testari possint: exceptis ijs* (c) *quos antea enumerauimus, & præcipuè* (d) *militibus, qui in potestate parentum sunt, quibus de eo,* (e) *quod in castris adquisierunt, permissum est ex Constitutionibus principum testamentum facere. Quod quidem ius initio tantùm militantibus datum est, tam ex auctoritate* (f) *Diui Augusti, quam Neruæ, nec non optimi* (g) *Imperatoris Traiani: postea verò subscriptione Diui Hadriani, etiam dimissis militia, ideſt, veteranis concessum est. Itaque si quod fecerint de castrensi peculio testamentum, pertinebit hoc ad eum, quem heredem reliquerint. Si verò intestati* (h) *decesserint, nullis liberis, vel fratribus superstitibus, ad parentes eorum iure* (i) *communi pertinebit. Ex hoc intelligere possumus, quod in castris adquisierit miles, qui in potestate patris est, neque ipsum patrem* (k) *adimere posse neque patris creditores id vendere, vel aliter* (l) *inquietare, neque patre mortuo* (m) *cum fratribus commune esse: sed scilicet proprium eius esse, qui id in castris adquisierit: quamquam* (n) *iure ciuili omnium, qui in potestate parentum sunt, peculia perinde in bonis parentum computentur, ac seruorum peculia in bonis dominorum numerantur, exceptis videlicet ijs, quæ ex Sacris Constitutionibus, & præcipuæ nostris propter diuersas causas non adquiruntur. Præter hos igitur, qui castrense vel quasi castrense habent, si quis alius filius familias testamentum fecerit, inutile* (o) *est, licet suæ potestatis* (p) *factus decesserit.*

2

3

4

QVibus non est permissum &c. Diximus suprà quomodo secundum, vel præter regulas iuris testamenta fiant. Sed quia non

non omnibus licet facere testamentum: Ideò, quibus non est permissum facere testamentum videamus.

b *Statim enim ij, qui alieno iuri &c.* Qui in potestate parentis est, testamenti faciendi ius non habet: adeòvt quamuis pater ei permittat, nihilo magis tamen iure testari possit. *l. qui in potestate 6. ff. de testamentis l. Tam is 25. §. Filius familias ff. de mortis causa donat. l. nemo 11. C. Qui testam. fac. pos. Ratio est*: Quia testamenti factio, non priuati, sed publici iuris est. *l. 3. ff. de testamentis*. Ideòque non à priuato aliquo, sed à sola lege concedi potest. Et lex duodecim tabularum præcisè ac definitè de patribus familias locuta est: Pater familias vti super pecunia, tutelaue sua legassit, ita ius esto. *Vlp. in frag. tit. 11. iuncta l. Sæpe 53. ff. de verb. sig. & Auct. ad Heren. lib. 1.* Alia ratio est donationis causa mortis. Nam, cum illa non sit iuris publici, sed priuati, & arbitrarij, mortis causa donare patre permittente filius familias potest *d. l. tam is 25. ff. de mortis causa donationibus*. 1

c *Exceptis ijs, quos antea enumerauimus*. Exceptis iis, qui habent castrense, vel quasi castrense peculium. *princ. tit. & §. vlt. de milit. test.* 2

d *Et præcipuè militibus, qui in potestate &c.* Nam quantum ad testandum de castrensi peculio, filius familias pro patre familiàs habendus est. *l. si quis filio 6. §. vlt. ff. de Iniusto rupto &c.* Hoc priuilegium datum militibus, qui in potestate parentum sunt, Iuuenatis Saty. *Vlt. his versibus descripsit.*

Solis præterea testandi militibus ius 3
Vino patre datur: Nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater.

e *De eo quod in castris acquisierunt*. Et de ijs omnibus, quæ militiæ beneficio adepti sunt. *l. miles 4. l. Castrense 11. ff. de Castren. pecul.*

f *Ex auctoritate Diui Augusti*. Diuus Augustus constituit, vt filius familiàs miles, de eo peculio, quod in castris adquisiuit, testamentum facere possit. *Vlpianus in Frag. tit. 20. §. filius familias*. 4

g *Optimi Imperatoris Traiani*. Traianus Neruæ adoptione Imperium assecutus, tanta probitate, innocentia, lenitate, ac temperantia id gessit, vt cùm omnium constanti voce, tum etiam Senatus decreto Optimus appellatus sit. *H. In Vita eiusdem Imperatoris*.

h *Si verò intestati decesserint &c.* Iure veteri, si filius familias miles decedebat intestatus : bona eius non quasi hereditas, sed quasi peculium patri deferebantur *l.1. & 2. ff. de Castren. pecul.* Iure nouo, intestati filijfamilias peculium Castrense defertur primùm ad liberos, deinde ad fratres, & postea, nullis liberis, vel fratribus superstitibns, ad patrem iure communi pertinet. *tex. hic.* Iure nouissimo, in illis rebus, quæ patri non acquiruntur, liberi quidem parentibus præferuntur, sed fratres vnà cum 1
parentibus succedunt in capita. Imò si fratres sint defuncto ex vno tantùm parente coniuncti, ad intestati successionem post parentes vocatur. *Nouella 118. cap.1. 2. & 3.*

i *Iure communi.* Quoniam ab intestato Ius commune locum habet, in testamento priuilegio est locus. *Cuiac. hic.*

k *Neque ipsum patrem adimere posse.* Nec enim patribus aliquid ex Castrensibus bonis filiorum debetur. *l. Ex nota 10. ff. de Castren. pecul.*

l *Vel aliter inquietare.* Veluti, possidere, aut inter se diuidere. 2
§.1. *infrà, de hered. qual. & differ. ex Cuiac.*

m *Neque patre mortuo cum fratribus &c. Vlpianus in l.1. §. Nec Castrense ff. de collat. bon.* Nec Castrense, nec quasi Castrense peculium fratribus confertur. Hoc enim præcipuum esse oportere, multis Constitutionibus continetur.

n *Quamquam Iure ciuili &c.* Castrense & quasi Castrense peculium est quasi proprium patrimonium filijfamilias *l.3. §. penult. ff. de minoribus, d. l. 1. §. Nec Castrense.* Id quod iure singulari introductum est, quamquam, inquit, Iure Ciuili, ideſt, Iure 3
communi Ciuium Romanorum, omnia peculia ad patrem pertineant, exceptis maternis bonis, & lucris nuptialibus, & vt nouissimè Iustinianus constituit, exceptis ijs omnibus, quæ filio extrinsecus acquiruntur. *l. cum oportet 6. C. de bonis quæ liberis. Ex Barone, & Cuiacio hic.*

o *Inutile est.* Ergo filiusfamilias nec hodie testatur de aduentitijs, quorum vsusfructus patri adquiritur, aut etiam non adquiritur *l. vlt. §. In his itaque C. de inoffic. test. l. penult. & vlt. C. qui test. fac. poss. Opponitur primò l. vlt. §. Filijs autem familias C. de bon.* 4
quæ lib. Vbi Iustinianus ait : Filijs autem familias in his duntaxat casibus, in quibus vsusfructus apud parentes constitutus est, donec parentes viuunt, nec de ijsdem rebus testari permittimus &c. Vnde in alijs casibus, in quibus vsusfructus apud parentes constitutus non est, filijs familias permittere videtur de ijsdem rebus testari. Verum Iustinianus : qui fecit hunc no-

dum

dum, mox eundem etiam dissoluit in *l. penult. C. Qui test. fac. poss.* his verbis: *Nemo ex lege*, quam nuper promulgauimus, in rebus, quæ parentibus adquiri non possunt, existimet aliquid esse innouandum, aut permissum esse filijsfamilias cuiuscunque gradus, vel sexus testamenta facere &c. Illa enim verba, ex lege, quam nuper promulgauimus, omninò accipienda sunt de *dicta l. vlt. C. de bon. quæ lib. vt ostendit Galuan. de Vsufruct. cap. 9. num. 7.* Opponitur secundò, *Nouella 117. cap. 1.* Vbi filio- 1
familias permittitur libera facultas disponendi de aduentitijs. Verum iam pridem interpretes eruditi docuerunt in autographo Græco Iustin. Cæsaris hanc dispositionem non ita latè patere, vt testandi facultatem includat; sed de administratione libera, & iure disponendi inter viuos, esse intelligendam. Idem *Galu. vbi supra sub num. 8.* Casus autem, in quibus patri vsusfructus aduentitiorum non adquiritur, notaui suprà in *tit. Per quas pers. nob. adquir. ad §. Igitur liberi.*

p *Licèt suæ potestatis factus decesserit. Modestinus in l. Si filiusfamilias 19. ff. de testamentis*: Si filiusfamilias tabulas testamenti fecerit, signauerit: secundum eas bonorum possessio dari non potest: licèt filiusfamilias sui iuris factus decesserit: quia nullæ sunt tabulæ testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuit. 2

Ad §. Præterea.

Præterea testamentum facere non possunt impuberes: quia nullum (a) 3
eorum animi iudicium est. Item furiosi: quia mente (b) *carent, nec ad rem* (c) *pertinet, si impubes, postea pubes: aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem,* (d) *si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, iure testati* (e) *esse videntur, certè eo,* (f) *quod ante furorem fecerint, testamento valente. Nàm neque testamenta rectè facta, neque vllum* (g) *aliud negotium rectè gestum, postea furor interueniens perimit.*

a *Quia nullum eorum animi iudicium est.* Testamentum facere 4
non possunt impuberes: quia nullum eorum animi iudicium est. *tex. hic.* Testamentum enim est supremum hominum iudicium *l. vel negare 5. ff. Quemad. test. aper.* Impuberes autem intelliguntur masculi annis quatuordecim minores, fœminæ verò minores annis duodecim. Vide *l. Quæ ætate 5. ff. de testam.*

b *Quia mente carent.* Testamentum facere non possunt furiosi: quia mente carent. *tex. hic.* Testamentum enim testatio mentis est. *princ. tit. Instit. de testamentis ordinandis.*

c *Nec ad rem pertinet &c.* Quia testamentum, quod is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuit, nullum est *l. Si filius familias* 19. *ff. de testam.* Et consequenter temporis tractu convalescere non potest. *princ. tit. Inst. de exhered. liber. l. penult. ff. de reg. iur.* 1

d *Furiosi autem si per id tempus &c.* Furiosi in suis inducijs, seu dilucidis interuallis, possunt condere testamentum *l. furiosum* 9. *C. Qui testam. fac. poss. Paul. Recept. Sent. lib. 3. tit. 4. §. Furiosus.*

e *Iure testati esse videntur.* Dummodo testamentum sana mente inceperint facere, & consummauerint nullo tali morbo interueniente. *d. l. furiosum* 9. *C. Qui testam. fac. poss.*

f *Certè eo, quod ante furorem &c. l.* 1. *§. Si quis autem ff. de bon. poss. sec. tab.*

g *Neque vllum aliud negotium rectè gestum.* Veluti sponsalia, *l. furor* 8. *ff. de Sponsalibus, aut matrimonium l. patre furioso* 8. *ff. de ijs, qui sui, vel alieni &c. l. oratione* 16. *ff. de Ritu nuptiar.* 2

Ad §. Item prodigus.

Item (a) *prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta* (b) *est, testamentum facere non potest: sed id quod antè fecerit, quàm interdictio suorum bonorum ei fiat, ratum* (c) *est.* 3

a ITem *prodigus &c.* Prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest: & si fecerit, ipso iure non valet. Quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit. *tex. hic. l. Is, cui* 18. *ff. de testamentis.*

b *Interdicta est.* A Prætore, vel Præside. *l.* 1. *ff. de Curatoribus furioso &c.*

c *Ratum est.* Etiam si apertè fuerit prodigus. *Vigilius hic sub num.* 3. 4

Ad §. Item surdus.

Item surdus (a) *& mutus non semper testamentum facere possunt. Vtique autem de eo surdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tardè exaudit. Nàm & mutus is intelligitur, qui loqui nihil potest, non*

non qui tardè loquitur. Sæpe autem etiam literati & eruditi homines varijs causis, & audiendi, & loquendi facultatem amittunt. Vnde nostra (b) *Constitutio etiam his subuenit, vt certis casibus* (c) *& modis secundum normam eius possint testari, aliaque* (d) *facere, quæ eis permissa sunt. Sed si quis* (e) *post testamentum factum, aduersa valetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit: ratum nihilominus eius permanet testamentum.*

1

a *Item surdus, & mutus &c.* Ex Iustiniani Constitutione surdus & mutus simul à natura, testari non potest: sed talis factus ex accidenti, potest, dummodo scribere sciat, & manu sua voluntatem suam declaret. Qui verò est surdus tantùm, siue à natura, siue ex accidenti, potest facere testamentum, etiamsi nesciat scribere: Et qui mutus tantùm est, siue à natura, siue ex accidenti, non prohibetur testari, dummodo scribire sciat, & sua manu suam scribat voluntatem, *l. Discretis* 10. *C. Qui testam. fac. possunt.* Vbi etiam additur, quod nullum discrimen 2
neque in masculis neque in fœminis in hoc est seruandum.

b *Vnde nostra Constitutio. Dicta l. Discretis* 10. *C. Qui testam. fac. possunt.*

c *Vt certis casibus & modis.* Notatis ad princ. huius §.

d *Aliaque facere &c.* Hi surdi & muti, qui ex supradicta Iustiniani Constitutione possunt testari, possunt etiam codicillos facere, fideicommissum relinquere, mortis causa donare, & libertatem imponere. *dicta l. Discretis* 10. *C. Qui testam. fac. possunt.*

e *Sed si quis post testamentum factum &c. l. Qui in potestate* 6. *§. vlt. ff. de testamentis.* 3

Ad §. Cæcus autem.

Cæcus (a) *autem non potest facere testamentum, nisi per obseruationem, quam lex Diui Iustini* (b) *patris mei introduxit.*

a Cæcus autem &c. Cæcus non potest facere testamentum, nisi obseruet formam à Iustino præscriptam in *l. Hac consultissima* 8. *C. Qui testam. fac. possunt.* Debet igitur cæcus, qui vult testari, siue sit cæcus à natura, siue ex accidenti, per nuncupationem condere testamentum præsentibus septem testibus, & tabulario, vel octauo teste, qui tabularij munere fungatur, si tabularius reperiri non possit, & primùm, illis omnibus ad se conuocatis, debet coram eis declarare, quod vult sine scri- 4

ptis facere testamentum; deinde palàm exprimere nomina, specialiter heredum, & dignitates singulorum, & indicia, & subsequenter legata, & fideicommissa, & alias omnes voluntatis suæ dispositiones. Quibus omnibus ex ordine peroratis, debet tabularius, vel octauus testis talem nuncupationem in scripturam redigere, & eam manu propria, quod etiam quilibet testis facere debet, subscribere, & consignare. Et hæc omnia vno, eodemque loco, & tempore expedienda sunt. Si 1
verò cæcus, antequam testes & tabularium conuocaret, voluntatem suam per quamcunque personam sibi placuerit scribi fecerit: illis postea, vno eodemque loco, & tempore conuocatis, & declaratione præmissa quare eos conuocauerit, scripturam exhibebit, quam testatori simul & testibus recitabit tabularius, vel octauus testis, si tabularius haberi non possit: vt vbi tenor eius cunctis innotauerit, elogium suum testator profiteatur agnoscere, & ex animi sui, quæ lecta sunt, dispositione sententia, & in fine scripturam, vt suprà dictum est, vna 2
cum omnibus testibus subscribet, & subsignabit tabularius, vel octauus testis, qui tabularij munere fungitur. Si tamen cæcus inter liberos, vel ad pias causas testaretur, prædictam testandi formulam non esse necessariam Doctores volunt, vt notat *Mynsi. hic sub num.* 8. Vide *Iason. in d.l.hac consultissima* 8. *sub num.*4. *C. Qui testam. fac. poss.*

b *Diui Iustini patris mei*. Fuit Iustinianus Iustini maioris ex sorore nepos: sed eundem Iustinum patrem appellat, quòd ab eo adoptatus esset. 3

Ad §. Eius qui apud hostes.

Eius qui (a) *apud hostes est, testamentum, quod ibi fecerit, non valet, quamuis* (b) *redierit. sed quod, dum in ciuitate fuerat, fecit: siue redierit, valet iure* (c) *postliminij: siue illic decesserit, valet ex lege* (d) *Cornelia.*

a *Ius qui apud hostes &c. l. Eius qui* 8. *ff. de Testam.* Qui autem 4
à latronibus capti sunt, cum liberi maneant, vel qui apud exteros legatione funguntur, possunt facere testamentum. *l. Qui à latronibus* 13. *ff. de testam.* Obsides verò testari non possunt *l. obsides* 11. *ff. eod.* Sunt enim & hi quasi captiui. *l. Diuus Commodus* 31. *ff. de Iur. fis.*

b *Quamuis redierit*. Quia, cùm nullum sit testamentum, quod

is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuit: temporis tractu conualescere non potest. Vt suprà notaui ad §. *Præterea, hoc eod. titulo.*

c *Valet iure postliminij.* Postliminium fingit eum, qui ab hostibus reuertitur, semper in ciuitate fuisse *l. Retro 16. ff. de captiuis. §. Si ab hostibus, Quib. mod. ius pot. sol.* Vbi de Postliminio plenè dixi.

d *Valet ex lege Cornelia.* Lege Cornelia testamenta eorum, qui 1
in hostium potestate decesserint, perinde confirmantur ac si ij, qui ea fecissent, in hostium potestatem non peruenissent, *l. lege Cornelia 12. ff. de Testamentis.*

De exheredatione (a) liberorum.

TITVLVS XIII.

2

Non tamen vt omnimodo valeat testamentum, sufficit hæc obseruatio, quam suprà exposuimus: sed qui filium (b) *in potestate habet, curare debet, vt eum heredem instituat, vel exheredem eum nominatim faciat. alioquin si eum silentio* (c) *præterierit, inutiliter* (d) *testabitur: adeò quidem, vt & si viuo patre filius mortuus sit, nemo heres ex eo testamento existere possit, quia scilicet* (e) *ab initio non constiterit testamentum. Sed non ita* (f) *de filiabus, vel alijs per virilem sexum descendentibus liberis vtriusque sexus antiquitati* (g) *fuerat obseruatum: sed si non fuerant scripti heredes, scriptæue, vel exheredati, exheredatæue, testamentum quidem non infirmabatur, ius autem adcrescendi eis ad certam* (h) *portionem præstabatur. sed nec nominatim eas personas exheredare parentibus necesse erat, sed licebat inter* (i) *cæteros hoc facere. Nominatim* (k) *autem quis exheredari videtur, sine ita exheredetur, Titius filius meus exheres esto: sine ita, Filius meus exheres esto, non adiecto proprio nomine, scilicet si alius filius non extet.* 3

a DE *exheredatione liberorum.* Vt omnimodo valeat testamentum, non sufficit testari volenti solemnia à iure præscripta obseruare, testamentique factionem habere, vt suprà exposuimus, sed hoc amplius, qui filium in potestate habet, curare debet, vt eum heredem instituat, vel exheredem nominatim faciat: alioquin, si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur, vt videbimus in hoc titulo. *tex. hic, l. Inter cætera 30. ff. de liberis & postum.* 4

b *Sed qui filium in potestate habet.* Emancipatos liberos iure ciuili, neque heredes instituere, neque exheredare necesse est, vt videbimus ad §. *Emancipatos, hoc eodem titulo.*

c *Si eum silentio præterierit.* Neque eum heredem instituendo, neque eum, vt oportet, exheredando. §. *Eadem, Instit. de hered. quæ ab intest. defer.* Nota ergo præteritionem dici respectu hereditatis, non autem respectu legatorum, vel fideicommissorum: adeò vt filius, qui nec est institutus, nec exheredatus, 1
dicatur præteritus, etiam si aliquid ei sit legatum, vel per fideicommissum relictum.

d *Inutiliter testabitur.* Testamentum ipso iure nullius est momenti, cùm filius, qui fuit in patris potestate, præteritus est. *l. 1. ff. de Iniusto, rupto &c. iuncta l. vlt.* §. *Sancimus C. de liber. præter.* Quòd si filius præteritus bonis se patris abstinuit, voluntas testatoris ex bono, & æquo tuebitur. *L. filio præterito 17. ff. de Iniusto, rupto &c.*

e *Quia scilicet ab initio &c.* Et quæ ab initio inutilis fuit institutio: ex post facto conualescere non potest. *l. penult. ff. de reg. Iur.* 2

f *Sed non ita de filiabus &c.* Iustinianus autem in §. *Sed hæc quidem, hoc tit.* has iuris antiqui distinctiones inter filios, & filias. & cæteras descendentes per virilem sexum personas abrogauit. Vnde hodie in omnibus liberis in potestate testatoris existentibus eadem obtinent, quæ olim filiorum propria erant. *Ex Pac.*

g *Antiquitati.* Ideſt, Mediæ Iurisprudentiæ. Est autem Iurisprudentia Media Ius illud, quod sine scripto traditionibus inductum est veterum Iurisconsultorum, qui apud Romanos 3
post latas XII. tab. leges floruerunt. Vide *Galuan. de Vsufruct. cap. 6. num. 7. & 8. & cap. 8. num. 15.*

h *Ad certam portionem.* Ad dimidiam extraneis heredibus institutis, vel ad virilem portionem, si sui heredes scripti essent. *Theoph. hic. Vlpian. in frag. tit. 22. verſ. ſcriptis heredibus. Gaius lib. 2. Inſt. tit. 3. in princ.* Quòd si vnà extranei, & sui heredes scripti fuissent, extraneis pariter ad dimidiam, & suis ad virilem hi præteriti adcrescebant. *Paul. Recept. Sent. lib. 3. tit. 4. circa finem.* 4

i *Inter cæteros.* Inter cæteros exheredari dicuntur, qui verbis generalibus exheredantur, veluti si testator dicat: Titius filius meus heres esto, cæteri exheredes sunto. *Ex Theoph.*

k *Nominatim autem &c.* Nominatim quis exheredari videtur, siue adiecto proprio nomine ita exheredetur, Titius filius meus exheres esto; siue non adiecto proprio nomine exheredetur

ita,

ita, filius meus exheres esto: si modò alius filius non extet. *tex. hic*. Sed & à studijs, & ab arte, & ab ætate, & à colore demonstrari potest is, qui exheredatur. Et vt in vniuersum dicam, sermo omnis & loquutio dilucidè explicans personam, de qua quis loquitur, exheredationem nominatim perficit. *Theoph. hic*. Videte *l.1. 2.3. ff. de liberis & postumis*.

Ad §. Postumi quoque. 1

Postumi (a) *quoque liberi, vel heredes instituti debent, vel* (b) *exheredari. Et in eo par* (c) *omnium conditio est, quòd & filio postumo, & quolibet ex cæteris liberis, siue fœminini sexus, siue masculini, præteritis, valet quidam* (d) *testamentum: sed postea agnatione postumi, siue postumæ rumpitur, & ea ratione totum* (e) *infirmatur. Ideòque si mulier, ex qua postumus aut postuma sperabatur, abortum* (f) *fecerit: nihil impedimento est scriptis heredibus ad hereditatem adeundam. Sed fœminini quidem sexus personæ, vel nominatim,* (g) *vel inter cæteros exheredari solebant: dum tamen, si inter cæteros exheredarentur, aliquid eis* (h) *legaretur, ne per obliuionem præteritæ esse viderentur. Masculos verò* (i) *postumos, idest, filium, & deinceps,* (k) *placuit non aliter rectè exheredari, nisi* (l) *nominatim exheredarentur, hoc scilicet modo: Quicunque mihi filius genitus fuerit, exheres esto.*

a *Postumi quoque liberi &c.* Hæc de postumis suis. Et suus postumus est, qui natus, inter suos heredes testatori futurus est. Vide notata infra ad §. *Postumo quoque*, de legatis. 3

b *Vel exheredari*. Hodie tamen ex communi Doctorum sententia exheredatio postumi in vniuersum est sublata. Siquidem ex *Nouella* 115. *cap.*3. prohibentur parentes nonnisi ex causa ingratitudinis, liberos exheredes facere. Postumus autem non potest esse ingratus. *Vigl. & Mynsh. hic sub num.9. & seq.*

c *Et in eo par omnium conditio est &c.* In liberis iam natis olim circa præteritionem par omnium conditio non erat, vt constat ex princ. huius tituli. 4

d *Valet quidem testamentum &c.* Alia causa est filiorum superstitum, alia postumorum. Illi iniustum faciunt: hi rumpunt; illi semper: hi si nascantur, nec inueniant se exheredatos; *l.3. §. Ex his ff. de Iniusto, rupto &c.*

e *Totum infirmatur*. Hodie tamen postumi agnatione totum testamentum non infirmatur, sed duntaxat quantum ad institutio-

tutiones. Legata verò & fideicommissa firma permanent. *A. Ex causa, & ibi DD.C.de liberis præteritis.* Quod tamen intelligi debet, si testator scienter præterijt postumum. Nam si ignoranter, nec legata quidem præstanda sunt. Videre Iasonem *in d.A.Ex causa sub num.2.& seqq.* Et notate, quod vbi legata essent talia quæ verisimiliter testator reliquisset, etiam si de filio cogitasset, neutiquam ea reuocanda essent. Idem Iason vbi suprà *sub num.6.circa finem.* 1

f *Abortum fecerit.* Qui mortui nascuntur, neque nati, neque procreati videntur: quia nunquam liberi appellari potuerunt. *l.Qui mortui 129.ff.de verb.sign.* Qui verò viuus perfectè natus est ad nullum declinans monstrum, vel prodigium, licet illicò decedat, nihilominus testamentum rumpit, *l.3. C.de postum.hered.instit.* Et natum accipe, & si ex secto ventre editus sit. Nam & hic rumpit testamentum, *l.quod dicitur 12.ff.de liber.& postum.*

g *Vel nominatim, vel inter cæteros &c.* Hoc corrigitur in §.*Sed hæc quidem*, hoc eodem titulo, Vbi disponitur, quod etiam postumæ, non aliter, quàm nominatim, exheredari possint. Vide notata suprà in Verbo, *Vel exheredari.* 2

h *Aliquid eis legaretur.* Personæ verò fœminini sexus iam natæ, etiam sine legato, inter cæteros exheredari poterant, vt supra eodem in princ.tit.

i *Masculos verò postumos &c.* Postumi per virilem sexum descendentes ad similitudinem filiorum nominatim exheredandi sunt, ne testamentum agnascendo rumpant. Postumos autem dicimus eos duntaxat, qui post mortem parentis nascuntur. Sed & ij, qui post testamentum factum in vita nascuntur: ita demum per legem Velleiam rumpere testamentum prohibentur, si nominatim sint exheredati, *l.3. in princ.ff. de Iniusto, rupto &c.* 3

k *Et deinceps.* Sed ex filio nepotes iam nati, etiam inter cæteros exheredari poterant, vt supra eod. *in princ.tit.*

l *Nisi nominatim.* Nominatim autem exheredatus postumus videtur, siue ita dixerit, Quicunque mihi nascetur: siue ita, Ex Seia, siue ita: venter exheres esto. Sed & si dixerit, Postumus exheres esto: natus vel post mortem, vel viuo testatore non rumpet. *d.l.3.§.nominatim autem ff.de Iniusto, rupto &c.* Hodie tamen exheredatio postumi ex communi Doctorum sententia in vniuersum est sublata, vt dixi ad princ. huius §. 4

Ad

Ad §. Postumorum autem.

Postumorum (a) *autem loco sunt & hi, qui in sui heredis locum succedendo, quasi adgnascendo fiunt parentibus* (b) *sui heredes vt ecce, si quis filium, & ex eo nepotem neptemue in potestate habeat: quia filius gradu præcedit, is solus iura sui heredis habet, quamuis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si filius eius vivo* 1
eo moriatur, aut qualibet alia ratione (c) *exeat de potestate eius, incipit nepos neptisue in eius locum succedere, & eo modo iura suorum heredum quasi adgnatione nanciscitur. Ne ergo eo modo rumpatur eius testamentum: sicut ipsum filium vel heredem instituere, vel nominatim exheredare debet testator, ne non iure faciat testamentum: ita & nepotem neptemue ex filio necesse est ei, vel heredem instituere, vel exheredare: ne forte eo vivo, filio mortuo, succedendo in locum eius nepos, neptisue, quasi adgnatione rumpat testamentum. Idque lege Iulia* (d) *Velleia prouisum est, in qua simul ex-* 2
heredationis (e) *modus ad similitudinem postumorum demonstratur.*

a Postumorum autem loco &c. Hic §. *Sumptus est ex Gaio in l. Postumorum 13. ff. de Iniusto, rupto &c.* Et hoc dicit: Postumorum loco sunt & hi, qui ante testamentum parentum nati sunt non sui heredes, quia alius eos præcedebat, sed postea in sui hæredis locum succedendo, quasi agnascendo fiunt parentibus sui heredes: vt ecce, Si quis tempore testamenti filium, & ex eo nepotem neptemue in potestate habeat: quia filius gradu præ- 3
cedit, is solus iura sui hæredis habet, quamuis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si vivo testatore filius eius moriatur, aut alio modo exeat de potestate eius, nepos neptisue in locum patris sui succedit, & eo modo quasi agnatione fit suus heres auo. Auus ergo, ne eo modo rumpatur eius testamentum, hunc etiam nepotem neptemue heredem instituere, vel exheredare debet ad similitudinem postumorum.

b *Fiunt parentibus sui heredes.* Sui heredes sunt qui & in patris- 4
familias potestate sunt, & in familia proximum ab eo gradum obtinent. Vide infrà ad §. *Sui autem, de hered. qualit. & differ.*

c *Aut qualibet alia ratione exeat de potestate eius.* Filius tamen qui per dignitatem exit de potestate patris, iura suorum heredum intacta habet, & consequenter nepos neptisue in eius locum non succedit, nec eo modo iura suorum heredum

nanciscitur. *Nouella 81. cap. 2.*

d *Idque lege Iulia Velleia.* Legis Velleiæ capita duo fuerunt. Ad postumos, qui viuo parente post testamentum factum sui nascuntur, siue tempore facti testamenti sui fuerint, siue non fuerint, primum caput legis Velleiæ pertinet, de quo capite agitur in *l. Gallus 29. §. Nunc de lege Velleia ff. de liber. & postum.* Ad postumos verò, de quibus in hoc §. *tractatur*, pertinet secundum caput legis Velleiæ, de quo *in d. l. Gallus §. sequenti parte.* 1
Et licuit semper hos postumos heredes instituere. Quamobrem non hoc lex Velleia induxit vt institui possent, sed vt instituti successione non rumperent testamentum. *d. l. Gallus §. sequenti parte, & §. Ille casus, vers. Denique.*

e *In qua simul exheredationis modus &c.* Hoc est, vt nepotes nominatim, neptes verò etiam inter cæteros cum adiectione legati, exheredentur. Vt supra §. *Postumi quoque h. t.*

Ad §. Emancipatos. 2

Emancipatos (a) *liberos iure ciuili neque heredes instituere, neque exheredare necesse est: quia non sunt* (b) *sui heredes. Sed prætor omnes tàm fœminini sexus, quàm masculini, si heredes non instituantur, exheredari iubet: virilis sexus nominatim, fœminini verò & & inter* (c) *cæteros: quia si neque heredes instituti fuerint, neque ita, vt diximus, exheredati, promittit* (d) *eis prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem.*

3

a E *Mancipatos liberos &c. Vlpianus in frag. tit. 22. §. Mancipatos.*

b *Quia non sunt sui heredes.* Neque enim sui heredes sunt, qui in potestate parentis esse desierunt. §. *Emancipati, Inst. de hered. quæ ab intest. defer.*

c *Et inter cæteros.* Quasi dicat, vel nominatim, vel inter cæteros. *Ex Cuiac.*

d *Promittit eis prætor &c.* Naturæ & sanguinis rationem secutus. Quamuis enim liberi propter emancipationem desinant esse sui, vt in *princ. huius §.* Non tamen desinunt esse liberi. 4
Nàm Iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt, *l. Iura sanguinis 8. ff. de reg. iur.*

Ad §. Adoptiui liberi.

Adoptiui liberi, quandiu sunt (a) *in potestate patris adoptiui, eiusdem iuris*

iuris habentur, cuius sunt iustis nuptijs quæsiti: itaque heredes instituendi, vel exheredandi sunt, secundum ea quæ de (b) *naturalibus exposuimus. Emancipati verò à patre adoptiuo, neque Iure ciuili, neque eo iure quod ad edictum prætoris attinet, inter liberos numerantur. Qua ratione accidit, vt ex diuerso, quod ad naturalem parentem attinet, quandiu quidem sunt in adoptiua familia, extraneorum numero habeantur: vt eos neque heredes instituere, neque exheredare necesse sit, cùm verò emancipati fuerint* (c) *ab adoptiuo* 1
patre, tunc incipiant (d) *in ea causa esse, in qua futuri essent, si ab ipso naturali patre emancipati fuissent.*

a *Quandiu sunt in potestate.* Filios enim familias, non solùm natura, verum & adoptiones faciunt, *l. 1. ff. de adop.*

b *De naturalibus.* De quæsitis ex iustis nuptijs. Hi enim naturales ex comparatione adoptiuorum vocantur.

c *Emancipati fuerint ab adoptiuo patre.* Viuo patre naturali. Post mortem verò naturalis patris emancipati ab adoptiuo, & quãtum ad hunc, æquè extraneorum loco fiunt: & quantum ad naturalis parentis bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur. §. *At hi, Instit. de hered. quæ ab intestat. defer.* 2

d *Tunc incipiant in ea causa esse.* Tunc à patre naturali heredes instituendi sunt, vel exheredandi, aliàs promittit eis prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem, §. *Emancipatos, hoc eodem titulo.*

3

Ad §. Sed hæc quidem.

Sed hæc quidem vetustas introducebat: nostra verò Constitutio (a) *inter masculos & fœminas in hoc iure nihil interesse existimans: quia utraque persona in hominum procreatione similiter naturæ officio fungitur, & lege antiqua* (b) *duodecim tabularum omnes similiter ad successionem ab intestato vocabantur, quod & prætores postea secuti esse videntur: ideò simplex ac simile ius, & in filijs, & in filiabus, & in cæteris descendentibus per virilem* (c) *sexum personis, non* 4
solùm natis, sed etiam (d) *postumis, introduxit: vt omnes siue sui, siue emancipati sint, vel heredes instituantur, vel nominatim exheredentur: & eumdem* (e) *habeant effectum circa testamenta parentum suorum infirmanda, & hereditatem auferendam, quem filij sui, vel emancipati habent, siue iam nati sint, siue adhuc in vtero constituti, postea* (f) *nati sint. Circa adoptinos autem filios*

certam induximus diuisionem, quæ nostra Constitutione, (g) quam super adoptiuis tulimus, continetur.

a *Nostra verò Constitutio. In l. Maximum vitiũ vlt. C. de liber. præt.*
b *Et lege antiqua duodecim tabularum &c. l. Lege duodecim tabularum 14. C. de legit. hered.*

c *Per virilem sexum.* Silentium verò matris, aut aui materni, & cæterorum per matrem ascendentium tantum facit, quantum exheredatio patris. §. *Mater*, hoc eodem titulo. Vbi de hac re plenius videbimus. 1

d *Sed etiam postumis.* Hodie tamen, secundum communem opinionem, postumi exheredari non possunt. Vide suprà ad §. *Postumi quoque, hoc titulo,* In verbo, *Vel exheredari.*

e *Et eundem habeant effectum &c.* Vt & ipsi, si fuerint præteriti, ad instar filii emancipati, vel sui, vel testamentum ipso iure euertant, vel per contra tabulas bonorum possessionem stare hoc non patiantur, *d. l. vlt.* §. *Sancimus C. de liber. præter.* Vide *Vigl. & Mynsi. hic.* 2

f *Postea nati sint.* Tunc enim eorum agnatione rumpitur testamentum. §. *Postumi quoque, hoc eodem titulo.*

g *Quæ nostra Constitutione. In l. Cum in adoptiuis* 10. *C. de adoptionibus.* Vide textum *in* §. *Sed hodie,* cum his, quæ ibidem notaui, *Instit. de Adoptionibus.*

Ad §. Sed si in expeditione.

Sed si in (a) *expeditione occupatus miles testamentum faciat, & liberos suos iam natos, vel postumos nominatim non exheredauerit, sed silentio præterierit, non ignorans* (b) *an habeat liberos: silentium eius pro exheredatione nominatim facta valere, Constitutionibus* (c) *principum cautum est.* 3

a *Sed si in expeditione occupatus miles &c.* Quando miles in expeditione occupatus dicatur, expositi *ad princ. tit. de milit. test.* In verbo, *Cùm in expeditionibus occupati sunt.* 4

b *Non ignorans an habeat liberos.* Quòd si miles ignorabat se liberos habere, ipso iure testamentum eius non subsistit. *Theoph. hic l. Sicut certi 9. & l. seq. C. de testam. milit.*

c *Constitutionibus Principum. Dicta l. Sicut certi 9. & l. seq. C. de testam. milit.*

Ad

Ad §. Mater:

Mater,(a) *vel auus maternus, necesse nō habent liberos suos, aut heredes instituere, aut exheredare, sed possunt eos omittere. Nam silentiū matris, aūt aui materni, & cæterorum per matrem ascendentium tantum facit, quantum exheredatio patris. Nec enim matri filium, filiamue, neque auo materno nepotem, neptemue ex filia, si cum, eamue heredem non instituat, exheredare necesse est: siue de Iure Ciuili quæramus:* (b) *siue de edicto prætoris, quo prætor præteritis liberis contra tabulas bonorum possessionem promittit. Sed aliud eis adminiculum* (c) *seruatur, quod paulò post vobis manifestum fiet.*

a *Mater, vel auus maternus &c.* Præteritio matris, aut aui materni, & cæterorum per matrem ascendentium, pro exheredatione habetur. *tex. hic.*

b *Siue de Iure Ciuili quæramus, siue de edicto Prætoris &c.* Ideòque nec testamentum nullum dicere, nec contra tabulas bonorum possessionem petere possunt.

c *Sed aliud eis adminiculum seruatur.* De inofficioso querelam instituere possunt. *l. 3. & l. filium 15. C. de inoffic. testam.* Quæ de re videbimus in titulo de Inofficioso testamento.

Hodie non licet parentibus liberos præterire, aut exheredare, nisi causa ingratitudinis, probanda ab herede, nominatim inseratur testamento. Causæ autem ingratitudinis sunt 14. & referuntur in A. *vt cum de appell. cogn. cap. 3.* Igitur iure quo nunc vtimur, omnis forma exheredationis in expressione iustæ causæ ingratitudinis consistit, quæ vbi negata est, per scriptum heredem probari debet. Si ea non sit expressa, vel expressa quidem, sed non idonea, nullius erit momenti testamentum. Sin autem idonea sit inserta, nec tamen probetur, Querela inofficiosi locum habet. *Mynsh. hic sub num. 5.*

De heredibus (a) instituendis:

TITVLVS XIV.

Heredes (b) *instituere permissum est, tàm liberos homines, quàm seruos: & tàm proprios, quàm* (c) *alienos. Proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter,* (d) *quàm cum libertate, vt-*

Et instituere licebat: hodie verò etiam sine (e) *libertate, ex nostra* (f) *Constitutione heredes eos instituere* (g) *permissum est. Quod non* (h) *per innouationem induximus, sed quoniam æquius erat, & Atilicino placuisse Paulus suis libris, quos tàm ad Massurium Sabinum, quàm ad Plautium scripsit, refert. Proprius* (i) *autem seruus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio vsum fructum habente. Est tamen casus,* (k) *in quo nec cum libertate, vtiliter seruus à domina heres instituitur, vt Constitutione Diuorum Seueri, & Antonini cauetur, cuius verba hæc sunt: Seruum adulterio maculatum, non iure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere videri, quæ rea fuerit eiusdem criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, vt in eumdem à domina collata institutio, nullius momenti habeatur: Alienus seruus etiam is intelligitur, in quo* (l) *vsumfructum testator habet.* 1

a DE *heredibus instituendis*. Vt testamentum valeat, non solùm requiruntur ea, de quibus in præcedentibus titulis dictum fuit, sed heredis quoque institutio necessaria est. Ideò congruo ordine sequitur, vt de heredibus instituendis videamus. Heredis institutio est vltima voluntas testatoris hereditatem sham in aliquem, vel in aliquos iure directo post mortem conferentis. *Pac. hic in Analy.* Hereditas autem nihil aliud est, quàm successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit. *l. Nihil est aliud 24. ff. de verb. sig. l. hereditas 63. ff. de reg. iur.* 2

b *Heredes instituere &c.* Non minus seruos, quàm liberos heredes instituere possumus. *l. Non minus 31. ff. de hered. instit.* 3

c *Quàm alienos*. Si modò serui sint eorum, quos ipsos heredes instituere possumus: cùm testamenti factio cùm seruis, ex persona dominorum introducta sit. *dicta l. Non minus 31. ff. de hered. instit.*

d *Non aliter quàm cum libertate*. Seruos heredes instituere possumus, nostros cum libertate: alienos, sine libertate: communes, cum libertate, vel sine libertate. *Vlpianus in frag. tit. 22. §. Seruos heredes.*

e *Etiam sine libertate*. Ideſt, Nulla facta mentione libertatis. 4

f *Ex nostra Constitutione*. Hæc Constitutio est decisio. *l. penult. C. de necess. serv. hered. instit.*

g *Heredes eos instituere permissum est*. Ex ipsa scriptura institutionis, etiam libertas eis competere videtur: cum non sit verisimile, dominum: eos, quos heredes sibi elegit, si prætermiserit libertatis dationem, seruos remanere voluisse, & neminem

minem sibi heredem fore. §. *Idemque iuris, Instit. Qui & quib. ex caut. manumit. non poss.*

h *Quod non per innouationem &c.* Vide notata suprà ad dictum §. *Idemque iuris*, In verbo, *Noua humanitatis ratione.*

i *Proprius autem seruus etiam is intelligitur &c.* Sic rectè dicimus cum fundum totum nostrum esse, etiam cuius vsusfructus alienus est. quia vsusfructus non dominij pars, sed seruitutis sit *l. Rectè dicimus 25. ff. de verb. sig.* Potest igitur proprietarius serui, 1
eum heredem instituere, & sic etiam consequenter eum liberum facere. Ftuctuarius tamen retinebit vsumfructum, *l.* 1. §. *Sin autem proprietarius C. Communia de manumiss.*

k *Est tamen casus, in quo nec cum libertate &c. l. His verbis 48. §. Interdum ff. de hered. instit.*

l *In quo vsumfructum testator habet.* Ergo à fructuario institutus seruus, domino proprietatis hereditatem acquiret.

Ad §. Seruus autem à domino. 2

Seruus autem (a) *à domino suo heres institutus, si quidem in eadem* (b) *causa manserit, fit ex testamento liber, heresque necessarius* (c). *Si vero à viuo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hereditatem potest: quia non fit necessarius, cùm vtrumque* (d) *ex domini testamento non consequatur. Quòd si alienatus fuerit, iussu* (e) *noui domini adire hereditatem debet, & ea ratione per eum dominus fit heres. Nàmipse alienatus,* (f) *neque liber, neque heres esse potest, etiamsi cum libertate heres institutus fuerit: desitisse enim à libertatis datione videtur dominus, qui cum alienauit. Alienus quoque seruus heres institutus, si in eadem causa* (g) *duauerit, iussu eius domini* (h) *adire hereditatem debet. Si verò alienatus fuerit ab eo, aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequam adeat, debet iussu* (i) *noui domini adire. At si manumissus est viuo testatore, vel mortuo, antequam adeat, suo arbitrio adire hereditatem potest.*

a *Seruus autem à domino suo &c. Hic* §. *descriptus est ex Vlpiano in Frag. tit. 22. §. Proprius seruus.* 4

b *In eadem causa.* Idest, in potestate domini sui, à quo institutus heres est.

c *Heresque necessarius.* Ideò sic appellatus, quia siue velit, siue nolit, omnimodo post mortem testatoris protinùs liber & necessarius heres fit. §. *necessarius. Instit. de hered. qualit. & differ.*

d *Cum*

d *Cum vtrumque &c.* Hereditatem scilicet & libertatem. *Facit. l. testamento 90. ff. de hered. instit.*

c *Iussu noui domini &c.* Si tamen cum nouo domino testamenti factio est, alioquin vitiatur institutio *l. Seruum meum 50. ff. de hered. instit.*

f *Nam ipse alienatus, neque liber, neque heres &c.* Sed si redemptus sit à testatore: institutio valet, & necessarius heres erit *l. Quoties 9. §. Seruus cum libertate ff. de hered. instit.* 1

g *Si in eadem causa duruerit.* Si eiusdem domini permanserit.

h *Iussu eius domini adire &c.* Si enim seruus heres institutus sit, non alias nisi eius domini iussu hereditatem adire potest. Et si domino iubente adierit, domino hereditas adquiritur, perinde ac si dominus ipse heres institutus esset §. *Item nobis, Inst. per quas pers. nob. adquir.* Sed quid si seruus cùm iuberetur adire hereditatem, dicto audiens non fuit? Per competentem iudicem compellendus est seruus hoc facere *l. 1. §. 1. ff. Si quis omis. cau. test. l. cum aliquis 21. C. de Iure deliberandi.* 2

i *Debet iussu noui domini adire.* Iussum enim requirimus eius, qui dominus est tempore additionis: *l. 2. §. vlt. ff. de bon. poss: sec. tab.* Adeo, quod etiam si seruus heres institutus, post iussum domini antequam adiret, alienatus esset: nouum iussum posterioris domini, non iussum prioris exigitur *l. Antistius 62. §. Si seruus ff. de acquir. vel omit. hered.*

k *Antequam adeat.* Nec enim delatæ hereditatis dies cedit ante additionem. At dies legati cedit à morte testatoris. Nec legatum postea manumissum sequitur, nisi repudietur à domino 3 *l. 10. ff. de opt. leg. Ex Cuiac. hic.*

Ad §. Seruus autem alienus.

Seruus autem (a) *alienus post domini mortem rectè* (b) *heres instituitur: quia & cum heredetarijs seruis est testamenti factio. Nondum enim* (c) *adita hæreditas, personæ vicem sustinet, non heredis* (d) *futuri sed defuncti: cum etiam eius, qui in vtero est, seruus rectè* (e) *heres instituatur.* 4

a *Seruus autem alienus &c.* Seruus hereditarius priusquam adeatur hereditas, institui heres potest. *l. cius seruum 64. ff. de hered. instit.* Si modo testamenti factio fuit cum defuncto, licèt cum herede instituto non fit *l. Seruus hereditarius 52. ff. eodem.* Hereditas enim, non heredis personam, sed defuncti sustinet *l. hereditas 34. ff. de acquir rer. dom.*

b *Rectè*

b *Rectè heres instituitur.* Quanuis seruus hereditarius heres institui possit, tamen quia adire iubentis domini persona desideratur, non potest seruus sua sponte adire, sed heres expectandus est *l. Hereditas 61. ff. de acquir. rer. dom.*

c *Nondum enim adita hereditas &c.* Hereditarium seruum antè aditam hereditatem ideo placuit instituti heredem posse, quia creditum est hereditatem, dominam esse, & defuncti locum obtinere. *l. non minus 31. ff. de hered. inst.* 1

d *Non heredis futuri, sed defuncti d. l. Hereditas 34. ff. de acquir. rer. dom.* Interdum tamen heredis futuri personam hereditas sustinet, vt in *l. nouatio 34. ff. de nouat. & de leg.*

e *Rectè heres instituatur.* Quamuis & hic videatur esse seruus sine domino.

Ad §. Seruus autem plurium.

Seruus autem (a) *plurium, cum quibus* (b) *testamenti factio est, ab extraneo* (c) *institutus heres, vnicuique dominorum, cuius iussu adierit, pro portione dominij adquirit hereditatem.* 2

a SEruus autem plurium &c. Vlpianus in l. Seruus communis 66. ff. de acquir. vel omit. hered. Seruus communis ab extraneo heres institutus, si iussu vnius adierit hereditatem: non pro maiore parte interim heredem cum facit, quam pro dominica: deinde, cœteris socijs non iubentibus, tacito iure partes ei accrescunt. Idque ea ratione inductum est, ne testator pro parte testatus, & pro parte intestatus decedat, quod ius nostrum 3
non patitur *l. Ius nostrum 7. ff. de reg. iur.*

b *Cum quibus testamenti factio est.* Neque enim seruus potest heres instituti, nisi seruus sit eorum quos ipsos heredes instituere possumus: cùm testamenti factio cum seruis, ex persona dominorum introducta sit. *l. Non minus 31. ff. de hered. instit.*

c *Ab extraneo institutus heres.* Quid autem iuris sit, si ab vno ex dominis seruus communis institutus heres sit Vide apud Pacium hic in Analy.

4

Ad §. Et vnum hominem.

Et vnum hominem, & plures, (a) *vsque in* (b) *infinitum, quot quis velit, heredes facere licet.*

a ET plures. Si plures instituantur heredes, diuidi inter eos à testatore ius oportet, Quod si non fiat: omnes æqualiter

heredes sunt, *l. Quoties 9. §. heredes ff. de hered. instit.*

b *Vsque in infinitum.* Quod vsque in infinitum, Imperator dixit: elatorie dictum accipiendum est: nec enim vnquam id nisi ex dementis testamento contingeret. *H, hic.*

Ad §. Hereditas.

Hereditas (a) *plerumque diuiditur in duodecim vncias, quæ assis* (b) 1
appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina, ab vnica vsque ad assem, vt puta hæc, vnica, (c) *sextans,* (d) *quodrans,* (e) *triens,* (f) *quincunx,* (g) *semis,* (h) *septunx,* (i) *bes,* (k) *dodrans,* (l) *dextans,* (m) *deunx,* (n) *as.* (o) *Non autem vtique semper duodecim* (p) *vncias esse oportet. Nam tot vnciæ assem efficiunt, quot testator voluerit: & si vnum tantum quis ex* (q) *semisse, verbi gratia, heredem scripserit, totus as in semisse erit. Neque enim idem ex parte* (r) *testatus, & ex parte intestatus decedere potest, nisi sit* (s) *miles, cuius sola voluntas in testando spectatur. Et è contrario* (t) *potest quis in quantascunque volucrit plurimas vncias suam hereditatem diuidere.* 2

a HEreditas plerumque &c. *l. seruum meum 50. §. vlt: ff. de hered. instit.*

b *Quæ assis appellatione continentur.* Assis appellatio ad hereditatis totius demonstrationem pertinet. *Volus. Metian. lib. de Asse.* Vbi etiam plura potes videre de Asse & partibus eius.

c *Vnica.* Vnica est assis pars duodecima. Et vnica dicitur 3
ab vno *Varro lib. 4. de lingua latina.*

d *Sextans.* In sextante sunt vnciæ duæ. Et sextans dicitur hęc portio, quia est sexta pars assis.

e *Quadrans.* In Quadrante sunt vnciæ tres. Et Quadrans nomen habet ex eo quod quartam designat assis partem.

f *Triens.* In Triente sunt vnciæ quatuor, & hæc portio Triens vocatur, quia est pars tertia assis.

g *Quincunx.* In Quincunce sunt vnciæ quinque. Vnde merito à quinque vncijs, ex quibus constat, dicitur Quincunx 4
hæc pars assis:

h *Semis.* In semisse sunt vncie sex. Et semis vocatur hæc pars, quia est assis pars dimidia.

i *Septunx.* In Septunce sunt vnciæ septem. Vnde etiam Septunx à septem vncijs, ex quibus constat, nomen sumit.

k *Bes.* Bes appellatum est, quod bis triens sit quamuis dura com-

compositio fiat bessis ex triente. Sunt igitur in Besse vnciæ octo. *Ex Festo de verb. signif. in verbo, Bes:*

l *Dodrans.* In Dodrante sunt vnciæ nouem. Et hæc assis pars dicitur Dodrans, quasi dempto quadrante as.

m *Dextans.* Dextans dicitur, quia assi deest Sextans, quasi dempto sextante as. Sunt igitur in Dextante vnciæ decem.

n *Deunx.* Deünx dicitur, quia assi deest vncia, quasi dempta vncia ex asse. Ergo in Deunce sunt vnciæ vndecim. 1

o *As.* In Asse sunt duodecim vnciæ. Et assis appellatio ad hereditatis totius demonstrationem pertinet, vt supra dixi.

p *Non autem vtique semper duodecim vncias esse oportet.* Verbo scilicet, at re semper oportet. *H. hic. Itaque Vlpianus in l. Interdum 13. §. 1. ff. de hered. instit.* Pater familias, inquit, distribuere hereditatem in tot partes potest quot voluerit, sed solemnis assis distributio in duodecim vncias fit. Denique si minus distribuit, potestate iuris in hoc reuoluitur: vt puta si duos heredes ex quadrante scripserit. Nàm hereditas eius residua accedit, vt ex semissibus videantur scripti. Sed si alter ex quadrante, alter ex semisse heredes scripti sunt: qui accedit quadrans, pro partibus hereditarijs eis accrescit. 2

q *Et si vnum tantum quis ex semisse &c. Gaius in l. Si quis ita scripserit 33. ff. de hered. instit.* Non dubitatur, quin si quis ex parte dimidia heres institutus sit, nec præterea quisquam alius, ipse ex asse heres institui videatur.

r *Neque enim idem ex parte testatus &c.* Paganus pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere non potest. *l. Ius nostrum 7. ff. de reg. iur.* Per querelam tamen postea pro parte testatus, pro parte intestatus fieri potest, non solùm ita vt vnum habeat heredem ex testamento, & alium ab intestato, sed vnum eundemque habeat partim testato partim intestato heredem. *l. mater 19. ff. de Inoffic. testam. Cuiac. ad d. l. ius nostrum 7. ff. de reg. iur.* 3

f *Nisi sit miles.* Miles enim pro parte testatus potest decedere, & pro parte intestatus *l. si miles 6. ff. de milit. test.* Itaque si miles testamentum ordinans ita dixerit: Ille mihi ex quadrante heres sit, dodrantem ij, qui ab intestato veniunt, accepturi sunt. *Theophilus hic.* Creditur obstare *l. 3. C. de testam. milit.* Sed in specie illius legis, institutio filiæ, quæ ab intestato potior futura est argumentum est fortissimum, non cogitasse militem de causa intestati, & ideò fit meritò, & sumitur interpretatio ex iure communi. *Cuiac. hic.* 4

1 *Et è contrario &c.* Potest quis in plures vncias quam duodecim hereditatem suam diuidere. *tex. hic l. interdum 13. §. 1. ff. de hered. instit.* Et si quis excesserit in diuisione duodecim vncias, æque pro rata decrescet: vt puta me ex duodecim vncijs heredem, te ex sex scriptsit: Ego hereditatis habebo bessem: tu trientem, *d. l. interdum 13. §. Sed si excesserit ff. de hered. instit.*

Ad §. Si plures. 1

Si plures instituantur heredes: ita demum partium distributio necessaria est, si nolit testator eos ex æquis partibus heredes esse. Satis enim constat, nullis (a) *partibus nominatis ex æquis partibus eos heredes esse. Partibus autem in quorundam personis expressis, si quis alius, sine parte nominatus erit, si quidem aliqua pars assi deerit, ex ea parte* (b) *heres fit. Et si plures sine parte scripti sunt, omnes in eandem partem concurrunt. Si verò totus as* (c) *completus sit, hi qui nominatim expressas partes habent, in dimidiam partem vocantur: & ille* 2 *vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec interest, primus,* (d) *an medius, an nouissimus, sine parte heres scriptus sit: ea enim pars data intelligitur, quæ vacat.*

a *Nullis partibus nominatis &c.* Si plures instituantur heredes, nullis partibus nominatis, omnes æqualiter heredes, sunt. *l. Quoties 9. §. heredes ff. de hered. instit.*

b *Ex ea parte heres fit.* Si ergo testator duos ex quadrantibus heredes scripsit, tertium sine parte. Quod si deest, tertius 3 fieret. *l. Idem, quod Sabinus 17. in princ. ff. de hered. instit.*

c *Si verò totus as completus sit &c.* Finge, Testator vnum ex Besse, alterum ex Triente heredes scripsit, sicque assem totum inter eos distribuit: deinde vnum aliquem, aut plures sine parte adiecit heredes. Hoc casu, hi, qui nominatim expressas partes habent, in dimidiam partem vocantur, seruata scilicet proportione à testatore inter eos statuta: & ille vel illi omnes qui sine parte scripti sunt, vocantur in alteram dimidiam.

d *Nec interest, primus, an medius &c. Paulus in l. Quo loco 20. ff. de hered. instit.* Quo loco scribatur heres sine parte vtrum pri- 4 mo, an medio, vel nouissimo, nihil interest.

Ad §. Videamus.

Videamus, (a) *si pars aliqua vacet, nec tamen quisquam sine parte sit heres institutus, quid iuris sit. Veluti si tres ex quartis partibus here-*

heredes scripti sunt. Et constat vacuntem partem singulis tacitè pro hereditaria (b) *parte accedere: & perinde haberi, ac si ex tertijs partibus heredes scripti essent. Et ex diuerso, si plures in portionibus sint, tacitè singulis* (c) *decrescere: vt si, verbi gratia, quatuor ex tertijs partidus heredes scripti sint, perinde habeantur ac si vnusquisque ex quarta parte scriptus fuisset.*

a VIdeamus &c. Si plures sunt heredes instituti ex certis partibus, & assis pars aliqua vacet, nec tamen quisquam sine parte sit heres institutus, veluti si tres ex quartis partibus heredes scripti sunt: pars vacans singulis tacitè pro hereditaria parte accedit: & perinde habentur, ac si ex tertijs partibus heredes scripti essent. Et ex diuerso, si assem superauerit partium distributio: pars exuperans tacitè singulis decrescit: vt si, verbi gratia, quatuor ex tertijs partibus heredes scripti sint: perinde habeantur, ac si vnusquisque ex quarta parte scriptus fuisset. *tex. hic.* 1 2

b *Pro hereditaria parte.* Si ergo alter ex quadrante, alter ex semisse heredes scripti sunt: qui accedit quadrans, pro partibus hereditarijs eis accrescit. *l. interdum 13. §. sed si alter ff. de hered. instit.*

c *Tacite singulis decrescere.* Si excesserit testator duodecim vncias in diuidenda hereditate sua inter heredes, æquè pro rata decrescet vt puta me ex duodecim vncijs heredem, te ex sex scripsit: Ego hereditatis habebo bessem: tu trientem *d. l. Interdum 13. §. Sed si alter ff. de hered. instit.* 3

Ad §. Et si plures vnciæ.

Et si plures (a) *vnciæ quàm duodecim distributæ sint, is qui suæ parte institutus est, quod dupondio* (b) *deest, habebit. Idemque erit, si dupondius* (c) *expletus sit. quæ omnes partes ad assem postea reuocantur, quamuis sint plurium vnciarum.*

a ET si plures vnciæ &c. Si plus asse pater familias distribuit, & aliquem sine parte fecit heredem: is habiturus est, id quod dupondio deest. *l. Quæsitum est 18. ff. de hered. instit.* 4

b *Quod dupondio deest.* Quod deest duobus asibus.

c *Idemque erit, si dupondius expletus sit.* Si dupondio consumpto, alium postea sine parte adiugam. Hic assem vnum habiturus est, vt ita triginta sex fiant vnciæ,

Ad

Ad §. Hæres, & purè.

Heres (a) *& purè & sub conditione institui potest: ex certo*(b) *tempore, aut ad certum tempus non potest: veluti post quinquennium, quam moriar, vel ex Kalendis illis, vel vsque ad Kalendas illas heres esto. Denique diem* (c) *adiectum haberi pro superuacuo, placet: & perinde esse, ac si pure heres institutus esset.* 1

a *Heres, & purè &c.* Heres, & purè, & sub conditione institui potest. Purè, veluti, Gaius heres esto. Sub conditione, veluti, si nauis ex Asia venerit, Gaius heres esto.

b *Ex certo tempore.* Cur ex conditione, non ex tempore? Quia tempus retroduci non potest, conditio retroduci potest. Milites tamen ex certo tempore, & vsque ad certum tempus possunt instituere heredem. *l. miles 42. ff. de milit. test.*

c *Denique diem adiectum &c.* Hereditas ex die, vel ad diem non 2
rectè datur, sed vitio temporis sublato, manet institutio, *l. hereditas 34. ff. de hered. instit.* Dies tamen incertus adpositus institutioni, veluti si quis dicat (Cùm nauis ex Asia venerit, Gaius heres esto) non habetur pro non scripto, sed eius euentus expectatur, perinde atque conditionis, propterea quod dies incertus conditionem facit, *l. dies incertus 74. ff. de condit. & demonst. Pac. hic in Analy.*

Ad §. Impossibilis. 3

Impossibilis (a) *conditio in institutionibus & legatis*, (b) *nec non in fideicommissis & libertatibus*, (c) *pro non scripta habetur.*

a *Impossibilis conditio &c.* Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, nec non in fideicommissis & libertatibus, pro non scripta habetur & quasi mendum testatoris esse existimatur. *tex. hic iuncta l. 1. ff. de condit. instit.* Impossibilis autem conditio habetur cui natura impedimento est, quò minùs existat 4
§. *Si impossibilis, Instit. de Inutil. stipul.* Si ergo Titius heres institutus sit sub hac conditione, si digito Cælum attigeris, heres esto: institutio non vitiatur, sed conditio, ita vt ex hac institutione Titius statim ad hereditatem vocetur perinde ac si conditio adscripta non fuisset. Contractus verò, impossibili conditione interposita, veluti si quis ita dixerit, si digito Cælum

lum attigero, dare spondes? nullius momenti sunt: quia in ea re, quæ ex duorum, pluriumue consensu agitur, omnium voluntas spectatur: quorum procul dubio in huiusmodi actu talis cogitatio est vt nihil agi existiment, apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem *d. §. Si impossibilis, Instit. de Inutil. stipul. iuncta l. non solum 30. ff. de act. & oblig.* Et quod dictum est de conditione impossibili, obtinet etiam in conditione, quę pro impossibili habetur, in ea scilicet conditione, quæ est contra ius, vel bonos mores: veluti, si quis ita dixerit, Titius, si hominem occiderit: Si ab hostibus patrem suum non redemerit Si parentibus suis, patronoue alimenta non præstiterit, heres esto *l. conditiones 9. l. conditiones 14. & l. seq. ff. de condit. instit.* Conditio verò perplexa, ea scilicet, quæ ita in sese recurrit & reuoluitur, vt exitum non inueniat: veluti, si Titius heres erit, Seius heres esto: Si Seius heres erit, Titius heres esto: inutilem reddit institutionem *l. si Titius 26. ff. de condit. instit.* 1

b *Et legatis.* Si legatario impossibilitas imponitur, nihilominus valet legatum *tex. hic.* Cum heredi impossibilitas imponitur, non valet legatum *§. vltimo Instit. de legatis, & ibi gl. & Cuiac.* 2

c *Et libertatibus.* Si dominus seruum, si heredi mille dedisset, liberum esse iussisset: Quamuis hæc conditio sit penè impossibilis: sic tamen libertas inutiliter datur: quia nec animus dandæ libertatis est. *l. cum heres 4. §. 1. ff. de statu liberis.*

Ad §. Si plures conditiones. 3

Si plures (a) *conditiones institutioni adscriptæ sunt: si quidem coniunctim, vt puta, si illud & illud factum erit: omnibus parendum est. Si separatim: veluti, si illud aut illud factum erit: cuilibet* (b) *obtemperari satis est.*

a *Si plures conditiones &c.* Si heredi plures conditiones coniunctim datæ sunt, omnibus parendum est: quia vnius loco habentur: si disiunctim, cuilibet. *l. Si heredi 5. ff. de condit. instit.* 4

b *Cuilibet obtemperare satis est.* Satis est heredi cuicunque volet parere.

Ad §. Ii, quos nunquam:

Ii, quos nunquam testator vidit, heredes instituì possunt: veluti, (a) *si fratris filios peregri* (b) *natos, ignorans qui essent, heredes instituerit: ignorantia enim testatoris inutilem institutionem non facit.*

a VELUTI, *si fratris filios.* Extraneum etiam penitùs ignotum, seù, quem nunquam vidimus, heredem instituere possumus. *l. Extraneum* 11. *C. de hered. instit.* 1

b *Peregri natos.* Non peregrinantes, sed peregri natos legendum est. Peregri dicimus, cùm quis in loco est: Peregrè, cùm it in locum, vt Fl. Sosipater scribit. Et hoc etiam notant *Cuiac. & H. hic.*

De Vulgari (a) substitutione. 2

TITVLVS XV.

Potest (b) *autem quis in testamento* (c) *suo plures gradus heredum facere, vt puta, si ille heres non erit, ille heres esto: & deinceps, in quantum velit testator substituere potest, & nouissimo* (d) *loco in subsidium, vel seruum necessarium heredem instituere.*

a DE *Vulgari substitutione.* Hactenus de prima institutione heredis dictum est, de ea scilicet, quæ fit in primo gradu. Nunc sequitur vt de secunda, quæ substitutio dicitur, videamus, de ea scilicet, quæ fit in secundo, vel vlteriori gradu. Substitutio est, quæ post institutionem à testatore fieri solet, idest secundi heredis appellatio. *Gaius Inst. lib. 2. tit. 4. in princ.* Heredes enim, aut instituì dicuntur, aut substituì: instituì, qui primo gradu scripti sunt: substituì, qui secundo gradu, vel sequentibus. *Vlpian. in frag. tit. 22. §. Heredes.* Et omnes, qui post primum heredem secundo gradu, vel sequentibus scripti sunt, secundi heredis appellatione complectimur, quemadmodum secundarum nuptiarum appellatione significamus omnes nuptias, quæ post primas contrahuntur. Non tamen ordo scripturæ, sed ordo successionis spectatur in distinguendis gradibus heredum *l. 2. §. vlt. ff. de vulg. & pupill. substit.* Quare, si quis ita institutus sit, (Titius heres esto, si Secundus heres non erit) deindè, 3 4

deinde, (Secundus heres esto.) placet, primo gradu Secundum esse institutum *l. Si quis ita 28. ff. de hered. instit.* Porrò substitutio, aut directa est, aut fideicommissaria, siue obliqua. Directa est, per quam substitutus directo, & sine ministerio alterius, capit hereditatem testatoris, vt cum dicitur: Titius heres esto, Si Titius heres non erit, Gaius heres esto. Fideicommissaria est, per quam substitutus capit hereditatem ex manu alterius, & sic via obliqua, vt cum dicitur: Heres restituat hereditatem Titio. *Mynf. hic sub num. 5. & Oinot. sub num. 6.* 1

Hæc tamen fideicommissaria substitutio minùs propriè dicitur substitutio, & proprium tractatum habet infrà, *de fideicom. hered.* Directa substitutio, aut vulgaris est, aut pupillaris, aut quasi pupillaris, quam Doctores vocant exemplarem, aut militaris. Vulgaris, hoc titulo explicatur, & dicitur vulgaris, quia vulgò ab omnibus, & omnibus fieri potest, & fit in primum casum, idest, si primus heres non erit. Pupillaris, de qua *tit. seq.* Imperator agit, fit à parentibus liberis suis impuberibus, quos in potestate habent. 2

Et dicitur pupillaris, quia fit tantùm pupillis. Et hæc fit in secundum casum, idest, si primus heres erit, & postea in ætate pupillari decesserit. Exemplaris, de qua tractabitur in *tit. seq. ad §. Qua ratione*, fit furiosis, aut mente captis, similibusque personis exemplo pupillaris substitutionis, à parentibus tamen vtriusque sexus, & fit in secundum casum, idest, si primus heres erit, & postea in furore, aut mente captus decesserit. Militaris quoque ad secundum casum pertinet, & fit à milite vltra pubertatem heredis sanæ mentis, etiam extranei, vel certa ætate expressa, veluti: Si primus heres erit, & postea decesserit antequam ad vigesimum quintum annum peruenerit, vel compendio, veluti: Si primus heres erit, & postea decesserit quandocumque. Et hæc substitutio sustinetur ex militari priuilegio: Nam quæ à pagano fit, vltra pubertatem frustra fit. 3

b *Potest autem quis &c. l. potest 36. ff. de Vulg. & pupil. substit.*

c *In testamento suo.* Vel pupillari. *l. In tabulis 36. ff. de Statu liberis.* Et ait, in testamento, quòd in codicillis directò substituere quis non possit. *§. Codicillis autem. Instit. de codicillis.* Si tamen in codicillis quis directò substituerit, benigna interpretatione placet, vt substitutio directa sustineatur in vim fideicommissariæ. *l. Scæuola respondit 76. ff. Ad Senat. Conf. Trebel.* 4

d *Et nouissimo loco.* Et vltimo loco siue gradu.

Ad §. Et plures.

Et plures (a) *in vnius locum possunt substitui, vel vnus* (b) *in plurium, vel singuli* (c) *singulis, vel inuicem* (d) *ipsi, qui heredes instituti sunt.*

a ET *plures &c.* Hic locus descriptus est ex *Martiano in l. po-* 1
test 36. ff. de Vulg. & pupil. substit. Plures ergo in vnius locum possunt substitui, veluti, Primus heres esto. Si Primus heres non erit, Secundus & Tertius heredes sunto.

b *Vel vnus in plurium.* Vnus in locum plurium potest substitui, Veluti, Primus & Secundus heredes sunto. Si Primus & Secundus heredes non erunt, Tertius heres esto.

c *Vel singuli singulis.* Singuli singulis possunt substitui, veluti, Primus heres esto. Si Primus heres non erit, Secundus heres esto. Nonnulli hoc loco sic ponunt exemplum: Primus & Secundus heredes sunto. Si primus heres non erit, Tertius he- 2
res esto: Si Secundus heres non erit, Quartus heres esto.

d *Vel inuicem ipsi &c.* Possunt substitui inuicem ipsi, qui heredes instituti sunt, veluti, Primus & Secundus heredes sunto. Si Primus heres non erit, Secundus heres esto: Si Secundus heres non erit, Primus heres esto. Vel ita, Primus, Secundus, Tertius heredes sunto, inuicemque substituti sunto.

Ad §. Et si ex disparibus.

3

Et si (a) *ex disparibus partibus heredes scriptos inuicem substituerit, & nullam mentionem in substitutione partium habuerit, eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit. & ita Diuus Pius* (b) *rescripsit.*

a ET *si ex disparibus &c.* Si ex disparibus partibus heredes scriptos quis inuicem substituerit, & nullam mentionem partium in substitutione habuerit, eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit. *tex. hic. l. 1. C. de* 4
impuber. & al. substit. Vt si fortè vnus ex vncia, secundus ex octo, tertius ex quadrante sit institutus: repudiante tertio, in nouem partes diuidatur quadrans, & octo partes habeat, qui ex besse institutus fuerat, vnam partem, qui ex vncia scriptus est. *l. Si plures 24. ff. de vulg. & pupil. substit.* Hoc tamen tum demum obtinet, cùm testator sub appellatione heredum heredes scri-

scriptos inuicem substituit: Nam si proprijs nominibus expressis, eos inuicem substituisset, partes æquales in substitutione ipsis datæ intelligerentur, argumento. *l. Si heredes* 127. *ff. de legatis* 1. *& l. Quoties pater* 23. *iuncta l. seq. ff. Ad Senat. Conf. Trebel.*

b *Et ita Diuus Pius rescripsit. In d. l.* 1. *C. de impub. & al. subst.*

Ad §. Sed si instituto. 1

Sed si (a) *instituto heredi, & coheredi suo substituto dato, alius substitutus fuerit: Diui Seuerus & Antonius sine* (b) *distinctione rescripserunt, ad vtramque partem substitutum admitti.*

a SED *si instituto &c.* Testator Primum & Secundum heredes scripsit, ac Primo Secundum substituit, & Secundo Tertium, veluti: Primus & Secundus heredes sunto: Si Primus heres non erit, Secundus heres esto: Si Secundus heres non 2
erit, Tertius heres esto. Si nec Primus, nec Secundus sint heredes, Tertius, qui fuit Secundo substitutus, non solùm ad partem Secundi, sed etiam ad partem Primi iure substitutionis admittitur: quia cum Secundus sit substitutus Primo, & Tertius Secundo, Tertius etiam Primo substitutus iudicatur. *text. hic. l. Si Titius* 27. *l. coheredi* 41. *in princ. ff. de vulg. & pupil. substit.*

b *Sine distinctione.* In explicatione horum verborum Doctores multum variant. Nos dicimus, quod Imperator ait, Sine di- 3
stinctione, quia non est distinguendum inter partem Primi, & partem Secundi, sed ad vtramque Tertius iure substitutionis admittitur. *Pacius hic in Analy.* Vel dicamus, quod Imperator ait, sine distinctione, quia non est distinguendum, vtrum substituerit testator Tertium Secundo, antequam Secundus substitueretur Primo coheredi, an verò postea id fecerit, Nec vtrum prior substitutus post institutum, an antè decesserit *d. l. coheredi* 41. *in princ. ff. de vulg. & pupil. substit.*

4

Ad §. Si seruum.

Si seruum (a) *alienum quis patremfamilias arbitratus, heredem scripserit, & si heres non esset, Mœuium ei substituerit, isque seruus iussu* (b) *domini adierit hereditatem, Mœuius in patrem admittitur. illa enim verba, Si heres non erit, in eo quidem, quem alieno iuri*

subiectum esse testator scit, sic accipiuntur: si neque ipse heres erit, neque alium heredem effecerit. in eo verò, quem patrem familias esse arbitratur, illud significant, si hereditatem sibi, eiue, cuius iuri postea subiectus esse cæperit, non adquisierit. Idque Tiberius Cæsar in persona (c) *Parthenij serui sui constituit.*

a *Si seruum alienum &c.* Si quis seruum alienum, quem liberum esse credebat heredem scripserit, & si heres non esset, Mæuium ei substituerit, isque seruus iussu domini adierit hereditatem, Mæuius in partem dimidiam hereditatis admittitur. *tex. & Theoph. hic.* Quamuis enim regulariter institutus, & substitutus simul in successione non admittantur: tamen in proposito casu, in quo voluntatis defuncti quæstio erat, extra ordinem æqualiter esse admittendos dominium instituti, & substitum fuit decisum. Huic decisioni obstat *l. Si paterfamilias 40. ff. de hered. instit.* in illo loco, ita vt alter semis. Cuiac. hic putat eo in loco legendum esse, ita vt as. Aliter *dictam l. emendatam & explicatam videre potes apud Mynsing. hic sub num. 7.* 1 2

b *Iussu domini.* Seruus enim heres institutus, non aliàs, nisi domini iussu hereditatem adire potest. §. *Item nobis adquiritur. Instit. Per quas person. nob. adquir.*

c *In persona Parthenij.* Qui tanquam ingenuus heres scriptus adierat hereditatem, cum esset Cæsaris seruus. Nam diuisa hereditas est inter Tiberium, & eum, qui Parthenio substitutus erat, vt refert *Sextus Pomponius. l. Et hoc Tiberius 41. ff. de hered. instit.* 3

De pupillari Substitutione.

TITVLVS XVI.

Liberis (a) *suis impuberibus, quos in potestate* (b) *quis habet, non solùm ita, vt suprà diximus, substituere potest: idest, vt si heredes ei non extiterint, alius sit ei heres: sed eo amplius, vt & si heredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, sit eis aliquis heres: veluti si quis dicat hoc modo, Titius filius meus heres mihi esto. Si filius meus* (c) *heres mihi non erit, siue heres erit, & priùs moriatur,* (d) *quàm in suam tutelam venerit, tunc Seius heres esto, quo casu, siquidem non extiterit heres filius, tunc substitutus* (e) *patri fit heres: si verò extiterit heres filius, & ante pubertatem decesserit,* 4

ferit, ipsi filio (f) *fit heres substitutus. Nàm moribus* (g) *institutum est, vt cùm eius ætatis filij sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant.*

a *Liberis suis &c.* Liberis suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solùm vulgariter. vt diximus in titulo superiori, substituere potest: sed etiam pupillariter, vt videbimus in hoc titulo, qui propterea præcedenti meritò subijcitur. Pupillaris substitutio, vel ex se, vel vna cum vulgari, fieri potest. Ex se, veluti si quis dicat: Titius filius meus heres mihi esto. Si filius meus heres mihi erit, & priùs moriatur, quàm in suam tutelam venerit, tunc Seius heres esto. Vna cum vulgari, veluti si quis dicat: Titius filius meus heres mihi esto. Si filius meus heres mihi non erit, siue heres erit, & priùs moriatur, quàm in suam tutelam venerit, tunc Seius heres esto. Quo casu, si filius heres non erit, substitutus succedit ex vulgari substitutione, & pàtri fit heres: si verò filius heres erit, & ante pubertatem decesserit, succedit substitutus ex pupillari, & ipsi filio fit heres. Nàm moribus institutum est, vt parentes filijs suis impuberibus testamentum faciant, heredemque attribuant. *tex. hic l. 1. & 2. ff. de vulg. & pupill. subst.* 1 2

b *Quos in potestate quis habet.* Cæterum emancipatis non possumus pupillariter substituere. Planè postumis possumus. Nepotibus etiam possumus, & deinceps, si qui recasuri non sunt in patris potestatem. *d. l. 2. in princ. ff. de vulg. & pupill. subst.* 3

c *Si filius meus heres mihi non erit.* In filio, vno dumtaxat casu locus fit substitutioni vulgari: videlicet si filius familias ante patrem testantem decedat. Nàm si ante filium decedat pater, substitutioni non fit locus, Ille enim statim patri fit heres, neque abstinendo nomen heredis deponit. *Theoph. hic.* Vide *D. Chesium Interpr. Iur. lib. 2. cap. 21.*

d *Et priùs moriatur, quàm in suam tutelam venerit,* Hoc est, & intra pubertatem decesserit. *d. l. 1. ff. de vulg. & pupil subst.*

e *Tunc substitutus patri fit heres.* Tunc enim substitutus succedit ex vulgari substitutione. 4

f *Ipsi filio fit heres substitutus.* Nàm tunc succedit ex pupillari. Et ad substitutos pupillares pertinent, & si quæ postea pupillis obuenerint. *l. Sed si plures 10. §. Ad substitutos ff. de vulg. & pupil. subst.*

g *Nàm moribus &c.* Moribus introductum est, vt quis liberis impuberibus testamentum facere possit: donec masculi ad 14. annos

annos perueniant, fœminæ ad 12. *l.2. in princ. ff. de vulg. & pupill. substit.*

Ad §. Qua ratione.

Qua ratione excitati, etiam Constitutionem (a) *posuimus in nostro Codice, qua prospectum est, vt si mente captos* (b) *habeant filios, vel nepotes, vel pronepotes, cuiuscunque sexus, vel gradus, liceat eis* 1
& si puberes sint, ad exemplum (c) *pupillaris substitutionis, certas* (d) *personas substituere* (e). *Sin autem respuerint, eamdem substitutionem infirmari: & hoc ad exemplum pupillaris substitutionis, quæ, postquam pupillus adoleuerit, infirmatur.*

a *Constitutionem. l. Humanitatis 9. C. de impub. & aliis substit.*
b *Vt si mente captos habeant filios.* Etiamsi non sint in eorum potestate. *d.l. Humanitatis 9. §. Vel si filia.*
c *Ad exemplum pupillaris substitutionis.* Hanc substitutionem 2
Doctores vocant exemplarem: quia fuit inducta ad exemplum pupillaris substitutionis, vt hic dicitur.
d *Certas personas.* Mente capti liberos, aut iis deficientibus, fratres si extent. At si nec liberi nec fratres extent, quoscumque substituere licet. *d.l. Humanitatis.*
e *Substituere.* Legitima portione eis relicta. *d.l. Humanitatis.*

Ad §. Igitur in pupillari.

3

Igitur in pupillari substitutione secundum præfatum modum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta: alterum (a) *patris, alterum* (b) *filij: tanquam si ipse filius sibi heredem instituisset, aut certè vnum* (c) *testamentum est duarum causarum, id est, duarum* (d) *hereditatū.*

a *Alterum patris.* Erga filium.
b *Alterum filij.* Erga substitutum.
c *Aut certè vnum testamentum est &c.* Constat enim vnum esse 4
testamentum, licet duæ sint hæreditates. *l.2. §. Prius ff. de vulg. & pupill. subst.* Ideoque in tabulis patris, & filii vna Falcidia seruatur. *l. In ratione 11. §. Quod vulgò ff. ad leg. falcid.* Et patris, & filij testamentum pro vno habetur, etiam iure prætorio. Nam [vt Marcellus scribit] sufficit tabulas patris esse signatas: & si resignatæ sint filij: & septem signa patris sufficiunt. *l. Patris, & filij 20. ff. de vulg. & pupil. subst.*

d *Dua-*

d *Duarum hereditatum*. Quarum altera ad filium à patre defertur, altera à filio ad substitutum vadit. Quæcunque enim pupillus, vel ex hereditate paterna habuerit, vel ipse sibi acquisierit post mortem patris: ad substitutum transeunt. *Theoph. hic.*

Ad §. Sin autem quis.

Sin autem quis ita formidolosus sit, vt timeret, ne filius eius, pupillus 1
adhuc, ex eo quòd palàm substitutum accepit, post obitum eius periculo insidiarum subijceretur: vulgarem quidem substitutionem palàm facere, & in primis testamenti partibus ordinare debet: illam autem substitutionem, per quam, & si heres extiterit pupillus, & intra pubertatem decesserit, substitutus vocatur, separatim in inferioribus (a) *partibus scribere, eamque partem proprio lino,* (b) *propriaque cera consignare: & in priore parte* (c) *testamenti cauere debet, ne inferiores tabulæ viuo filio, & adhuc impubere, aperiantur. Illud palàm est, non ideò minus valere substitutionem impuberis filij, quòd* 2
in eisdem tabulis scripta sit, quibus sibi quisque heredem instituisset, quamuis pupillo hoc periculosum sit.

a *Separatim in inferioribus partibus scribere*. *Gaius Instit. lib. 2. c. 4.* Pupillaris substitutio ita secreta esse debet, vt ad notitiam substituti peruenire non possit, ne vitæ pupilli aliquas substitutus insidias moliatur. Nam in extrema pagina testamenti fieri debet, vt pars illa, in qua substitutio pupillaris scripta est, quandiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obsignata per- 3
maneat, & prior pars testamenti, in qua heres scriptus est, reseretur.

b *Proprio lino, propriaque cera*. Eiusdem inferioris partis testamenti, in qua pupillarem substitutionem scripsit testator.

c *Et in priore parte testamenti cauere, ne inferiores tabulæ &c.* Pupillares tabulas etiamsi non fuerit supra scriptum, ne aperirentur; attamen si seorsum eas signatas testator reliquerit, prætor eas aperiri, nisi causa cognita, non patietur. *l. Pupillares 8. ff. Quemad. testam. aper.* 4

Ad §. Non solùm autem.

Non solùm (a) *autem heredibus institutis impuberibus liberis, ita substituere parentes possunt, vt si heredes eis extiterint, & ante pubertatem mortui fuerint, sit eis heres is, quem ipsi voluerint: sed*

etiam

etiam (b) *exheredatis. Itaque eo casu si quid pupillo ex hereditatibus, legatisue, aut donationibus propinquorum atque amicorum adquisitum fuerit, id omne ad* (c) *substitutum pertinebit. Quæcumque diximus de substitutione impuberum liberorum, vel hæredem, institutorum, vel exheredatorum, eadem etiam de* (d) *postumis intelligimus.*

a **N***On solùm autem &c.* Substituere liberis tàm hæredibus institutis, quàm exheredatis possumus: & tàm eum, quem heredem nobis instituimus, quàm alterum. *l.1. ff.de vulg.& pupill. substit.* 1

b *Sed etiam exheredatis.* Quemadmodum igitur liberi propter patriam potestatem, non quia heredes scribuntur, pupillarem habent substitutionem: ita & exheredatis liberis vtiliter substituimus. *Theoph.hic.* Sed ex *Nouella* 115.*cap.*3. prohibentur parentes nonnisi ex causa ingratitudinis, liberos exheredes facere. Impubes autem non ità facilè causam ingratitudinis committere potest, ob quam dignus exheredationis nota censeatur. Si tamen propè pubertatem fuerit, & doli capax extiterit, nihil impedit, quominùs ob impium facinus exheredari possit. *Viglius hic sub num.*4. 2

c *Id omne ad substitutum pertinebit.* Neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis. *l.Sed si plures* 10.§. *Ad substitutos ff.de vulgar. & pupill. substit.* Videtur tamen aduersari Triphonij responsum *in l.Miles ita* 42.§.*Exheredato ff.de milit. test.* Sed non obstat, si emendatè legatur, vt illud restituit Viglius hic sub *num.*1. Vbi asserit eam dictionem, exheredato, ad præcedens thema pertinere, & dictum §. sic incipere, *Miles & emancipato &c.* Et notate, nullo legato, nullo fideicommisso huiusmodi substitutum, qui exheredato pupillo datus est, posse prægrauari: nec si ipsam rem, quam pater pupillo legauit, à substituto eius, vel legare, vel fideicommittere voluit. *l. Cum quidam* 24. *C.de legatis.* Ipse tamen filius exheredatus, si legata, vel fideicommissa acceperit, intra modum eorum, fideicommisso præ grauari poterit. *l.Coheredi* 41.§.*Cùm filiæ, in fine* §. *ff. de vulg. & pupill.substit.* 3 4

d *Eadem etiam de postumis intelligimus.* Hodie tamen ex communi Doctorum sententia exheredatio postumi in vniuersum est sublata, vt dixi *ad* §.*Postumi quoque, de exhered. liber.* Et consequenter postumo instituto tantùm, non etiam exheredato substitui pupillariter potest.

Ad

Ad §. Liberis autem .

Liberis (a) *autem suis testamentum nemo facere potest , nisi & sibi faciat . Nam pupillare testamentum , pars* (b) *& sequela est paterni testamenti : adeò vt si patris testamentum non valeat , nec filij quidem* (c) *valebit .*

a *Liberis autem suis &c.* Modestinus *in l.1.ff.de vulgar. & pupill. substit.* Substituere liberis paternon potest , nisi si heredem sibi instituerit . Nam sine heredis institutione , nihil in testamento scriptum valet, *& Vlpianus in l.2. §.1.ff.eod.* Quisquis impuberi testamentum facit, sibi quoque debet facere. Cæterum soli filio non poterit, nisi fortè miles sit.

b *Pars & sequela est &c.* Si pars , ergo paternum , & pupillare testamentum , vnum testamentum est , vt suprà diximus ad §. *Igitur in pupillari* , hoc eodem titulo : Si sequela , ergo & pupillare id quod pater sibi fecit sequi semper intelligitur, etiam si alius sit ordo scripturæ . *Cuiac.hic* . Quare , si quis ita fuerit testatus , (si filius meus intra 14. annum decesserit , Seius heres esto :) deinde (filius heres esto :) valet substitutio , licet conuersa scriptura filij testamentum fecerit. *l.2.§.Sed si quis ita ff.de vulg.& pupill.subst.*

c *Nec filij quidem valebit* . Ex generali enim regula iuris . Cùm principalis causa non consistit , ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent . *l. Cùm principalis 139. ff. de reg. iur.* Atque hoc quidem verum est , nisi iure tantùm prætorio per bonorum possessionem contra tabulas paternum testamentum expugnetur , tunc enim substitutio pupillaris non infirmatur: quoniam ad eam sustinendam sufficit, quod testamentum paternum Iure Ciuili consistat. *l.Ex duobus 34.§.vlt.ff.de vulg.& pupillar.subst.* Imò, si Iure Ciuili pro parte tantùm rescindatur paternum testamentum , putà per querelam inofficiosi, nihilominus pupillaris substitutio in totum valet : ad hoc enim vt sustineatur, sufficit, quod pars paterni testamenti consistat . *l. Papinianus 8. §.Sed neque impuberis ff.de inoff.testam.*

Ad §. Vel singulis .

Vel singulis (a) *autem liberis , vel ei , qui eorum* (b) *nouissimus impubes morietur , substitui potest . Singulis quidem , si neminem eorum*

inteſtatò decedere voluit, nouiſſimo, ſi ius (c) *legitimarum hereditatum integrum inter eos cuſtodiri velit.*

a *VEl ſingulis &c. l. Vel ſingulis 37. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* Singulis autem liberis pupillariter ſubſtitui poteſt hoc modo: Primus, Secundus, Tertius filij mei heredes ſunto. Si heredes erunt, Titius ei, qui eorum impubes morietur, heres eſto.

b *Vel ei, qui eorum nouiſſimus &c.* Ei tantùm, qui eorum nouiſſimus impubes morietur ita ſubſtitui poteſt: Primus, Secundus, Tertius filij mei heredes ſunto. Si heredes erunt, Titius ei, qui eorum nouiſſimus impubes morietur, heres eſto. 1

c *Si ius legitimarum hereditatum &c.* Fratres ergo inter ſe ſubſtituti non ſunt. Nam ſi ſubſtituti eſſent, non legitimas, ſed teſtamento relictas hereditates adipiſcerentur. In extraneis, quorum alter alteri ab inteſtato non ſuccedit, alia coniectura eſt voluntatis eius qui teſtatur; ex eo enim, quòd ei, qui eorum vltimus deceſſerit: ſubſtituit, videtur eos inuicem ſubſtituiſſe. *l. Titia Scio* 89. §. *Scia libertis ff. de legat. & fideicom.* 2. 2

Ad §. Subſtituitur autem.

Subſtituitur autem impuberi aut nominatim, (a) *veluti Titius*: *aut generaliter*, (b) *vt quiſquis mihi heres erit. Quibus verbis vocantur ex ſubſtitutione, impobere mortuo filio, illi, qui & ei ſcripti ſunt heredes*, (c) *& extiterunt*, (d) *& pro qua parte* (e) *heredes facti ſunt.* 3

a *VT nominatim.* Veluti ſi quis dicat hoc modo: Titius filius meus heres mihi eſto. Si filius meus heres mihi erit, & intra pubertatem deceſſerit, tunc Seius heres eſto, vt in princ. huius tituli. *& in l. 1. ff. de vulg. & pupil. ſubſt.*

b *Aut generaliter.* Veluti ſi quis dicat hoc modo: Titius filius meus, item Primus, Secundus, Tertius mihi heredes ſunto. Quiſquis mihi heres erit, is & filio meo, ſi mihi heres erit, & intra pubertatem deceſſerit, heres eſto. 4

c *Illi, qui & ſcripti ſunt heredes &c.* Hæc enim verba, (Quiſquis mihi heres erit, idem impuberi filio heres eſto:) hunc habent ſenſum, vt non omnis, qui patri heres extitit, ſed is tantummodo, qui ſcriptus eſt, & ex teſtamento heres extiterit, ſubſtitutus videatur. Et ideo neque pater, qui per filium, neque dominus, qui per ſeruum heres extitit, ad ſubſtitutionem admitte-

mittetur, si filius, vel seruus ab eorum exierit potestate. Neque admittetur heredis heres. *l.Cum filio 3.l.Qui liberis 8.§. hæc verba, l.sed si plures 10.in princ.ff.de vulg.& pupill.substit.*

d *Et extiterunt.* Nam si instituti, hereditatem ex principali parte repudiauerint, ex pupillari substitutione nihil capient. *Theoph.hic.*

c *Et pro qua parte heredes facti sunt.* Partes enim eædem ad substitutos pertinent: quas in ipsius patrisfamilias habuerunt hereditate. *l.Qui liberis 8.in fine ff.de vulg.& pupill. substit.* Adeò vt, qui maiorem partem accepit ex hereditate paterna, maiorem accipiat etiam ex pupillari: & qui ex illa minorem est consecutus, ex hac quoque minorem obtineat. *Pac.hic in Analy.* 1

Ad §. Masculo igitur.

Masculo (a) *igitur vsque ad quatuordecim annos substitui potest: fœminæ vsque ad duodecim annos. Etsi hoc tempus excesserint, substitutio euanescit.* (b) 2

a *Masculo igitur &c.* Masculo vsque ad quatuordecim annos pupillariter substitui potest: fœminæ vsque ad duodecim annos. Nam moribus institutum est, vt cum eius ætatis filij sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt parentes eis faciant, vt in fine *princ. huius tituli.*

b *Substitutio euanescit.* Iure ciuili pubertate finitur pupillare testamentum. *l.Ex facto 43.in princ.ff.de vulg.& pupill.substit.* Nam eius ætatis iam filij sunt, in qua ipsi sibi testamentum facere possunt. *l.Qua ætate 5.ff. de testam.& qui test. &c.* Et in pupillari substitutione licet longius tempus comprehensum fuerit, tamen finietur substitutio pubertate. *l. In pupillari 14.ff. de vulg. & pupill substit.* Quod si in ea breuius tempus fuerit expressum, veluti si ita quis substituerit, (si filius meus intra annum decimum decesserit, Seius heres esto,) eo tempore adueniente, finietur substitutio, *l.si ita quis 21.& l.Qui plures 38.in princ. ff.de vulg.& pupill. substit.* Itaque & ita poterit quis substituere: (si filius meus intra decimum annum decesserit, Titius heres esto: si post decimum intra decimum quartum, Meuius heres esto) *d.l.Qui plures 38.in fine principij.* 3 4

Ad §. Extraneo verò.

Extraneo (a) *verò, vel filio puberi heredi instituto, ita substituere nemo potest: vt si heres extiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit heres. Sed hoc solùm permissum est, vt eum per fideicommissum testator obliget, alij hereditatem eius, vel totam, vel pro parte restituere. Quod ius quale sit, suo loco* (b) *trademus.* 1

a *Extraneo verò &c.* Neque extraneo impuberi, hoc est, ei qui in potestate nostra non est, ita substitui potest, si intra pubertatem decesserit: neque puberi cuiquam hoc modo, si intra vigesimum, puta, trigesimumue annum moriatur: vt scilicet testator dicat, ille heres esto, directis, ciuilibusque verbis: At per fideicommissum potest. *Text. & H. hic.* Videtur autem hic §. *Ex tit. 4. lib. 2.* Institutionum Gaij transcriptus esse.

b *Suo loco trademus.* Infrà *in tit. de fideicom. hered.* 2

Quibus modis (a) testamenta infirmentur.

TITVLVS XVII.

Testamentum (b) *iure* (c) *factum vsque adeò valet: donec rumpatur irritumue fiat.*

a *Quibus modis &c.* Hactenus dictum est quemadmodum testamenta constituantur: nunc sequitur vt videamus. Quibus modis testamenta infirmentur. Nihil enim est adeò firmum, quòd infirmationi non subiaceat. *A. de nuptijs cap. 1. vollat. 4.* Testamenta infirmantur, vel Iure Ciuili, vel Iure prætorio. Iure Ciuili euertuntur, vel ipso iure, modis illis; de quibus hoc titulo, vel officio Iudicis per querelam inofficiosi, de qua in proximo titulo: Iure verò Prætorio per bonorum possessionem contra tabulas, de qua infra in titulo de bonorum possessionibus, resoluuntur. 3 4

b *Testamentum &c.* Testamentum iure factum, ipso iure infirmatur, cùm rumpitur, irritumue fit.

c *Iure factum.* Nàm ea tantùm testamenta rumpi, vel irrita fieri dicuntur, quæ iure facta sunt, & postea infirmantur. §. *Alio autem, hoc eodem titulo.*

Ad

Ad §. Rumpitur autem.

Rumpitur (a) *autem testamentum, cùm in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius vitiatur. Si quis* (b) *enim post factum testamentum adoptauerit sibi filium per Imperatorem, cum qui est sui iuris, aut per prætorem secundum nostram* (c) *Constitutionem, eum, qui in potestate parentis fuerit, testamentum* (d) *eius rumpitur* 1
quasi adgnatione (e) *sui heredis.*

a *Rvmpitur autem &c.* Testamentum rumpi dicitur, cùm in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius vitiatur. *Tex. hic.* Cùm autem is, qui fecit testamentum capite minuitur, irritum fieri testamentum dicitur. §. *Alio autem, cum §. seq. hoc eodem titulo.*

b *Si quis enim &c.* Si quis post factum testamentum arrogauerit sibi filium, aut aliquem ex his, qui per adoptionem transeunt 2
in potestatem, adoptauerit, testamentum eius rumpitur quasi adgnatione sui heredis. *Tex. hic. l. Cum in adoptiuis* 10. *C. de adoptionibus.* Vide *Tex. in* §. *Adoptio, & in* §. *Sed hodie, Instit. de Adoptionibus.*

c *Secundum nostram Constitutionem.* Hæc Constitutio est decisio *l. cum in adoptiuis* 10. *C. de Adoptionibus.*

d *Testamenium eius rumpitur.* Non tamen rumpitur testamentum si in eo institutus fuerit is, qui postea arrogatur. *l. si quis heres* 18. *ff. de Iniusto, rupto &c. l. filio* 23. §. *vlt. ff. de liber. & postum.* 3
Si verò exheredatus fuerit, distinguendum est. Nam si filius emancipatus exheredetur, & postea arrogetur, exheredatio ei nocet, quominùs rumpat testamentum, sed si prorsus extraneus exheredetur, & postea arrogetur, eius arrogatione testamentum rumpitur: quoniam exheredatio in eius persona nullo modo consistit. *l. Non putauit* 8. §. *Si quis emancipatum ff. de bonor. poss. cont. tab. d. l. filio* 23. *in princ. ff. de liber. & postum.*

e *Quasi agnatione sui heredis.* Casum veræ naturalisque adgnationis sui heredis Imperator noster hic omisit, tanquam per 4
se satis cognitum.

Ad §. Posteriore quoque.

Posteriore quoque testamento, quod iure (a) *perfectum est, superius rumpitur; nec interest, extiterit aliquis heres ex eo, an non, hoc enim*

enim solùm spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideoque si quis aut noluerit heres esse, aut viuo testatore, aut post mortem eius, ante quam hereditatem adierit, decesserit, aut conditione, sub qua heresinstitutus est, defectus sit, in his casibus pater familias intestatus moritur. Nam & prius testamentum non valet, rnptum à posteriore, & posteriùs æquè nullas habet vires, cùm ex eo (b) *nemo heres extiterit.* 1

a *Quod iure perfectum est. Vlpianus in l. 2. ff. de ininsto, rupto &c.* Tunc autem prius testamentum rumpitur, cum posterius ritè perfectum est: nisi fortè posterius, vel iure militari sit factum, vel in eo scriptus sit, qui ab intestato venire potest: tunc enim & posteriore non perfecto, superius rumpitur. Vide *l. hac consultissima* 21. §. *Si quis autem, & §. seq. C. de testamentis.*

b *Cum ex eo nemo heres extiterit. Princip. tit. Instit. de hered. quæ ab intest. defer.* 2

Ad §. Sed & si quis.

Sed & si quis (a) *priore testamento iure perfecto, posterius æquè iure fecerit: etiam si ex* (b) *certis rebus in eo heredem instituerit, superius tamen testamentum* (c) *sublatum esse, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. cuius Constitutionis verba & hic inseri iussimus, cùm aliud quoque prætereà in ea Constitutione expressum sit. Imperatores Seuerus & Antoninus Cocceio Campano. Testamentum secundo loco factum, licet in eo certarum rerum heres scriptus sit, perinde iure valere, ac si rerum mentio facta non esset: sed teneri heredem scriptum, vt contentus rebus sibi datis, aut suppleta quarta ex lege* (d) *Falcidia, hereditatem restituat his, qui in priore testamento scripti fuerant, propter inserta* (e) *fideicommissi verba, quibus vt valeret prius testamentum, expressum est, dubitari non oportet. Et ruptum quidem testamentum, hoc modo efficitur.* 3

a *Sed & si quis &c. Hic §. descriptus est ex Martiano in l. Si quis priore 29. ff. ad S.C. Trebel.* 4

b *Etiamsi ex certis rebus &c.* Si ex certis rebus sit aliquis solus heres institutus: valet institutio detracta certarum rerum mentione *l. 1. §. Si ex fundo ff. de hered. instit.* Si autem ex certis rebus heres institutus coheredem habeat ex certa parte, vel sine parte, legatarij loco habetur *l. quoties 13. C. de hered. instit.*

c *Su-*

c *Superius tamen testamentum sublatum esse &c.* Nam testamentum secundo loco factum, licet in eo certarum rerum heres scriptus sit, perinde iure valet, ac si rerum mentio facta non esset. *tex.hic in vers.Testamentum. d.l.si quis priore 29.ff. Ad Senat. Consult.Trebel.& d.l.1.§.Si ex fundo ff.de hered.instit.*

d *Ex lege Falcidia.* Ex lege Falcidia hoc fieri dicitur, quoniam Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione Consulibus, Senatus censuit, vt ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. §.*Sed quia heredes, Instit.de fideicom.hered.* Postea omne Pegasiani Senatus Consulti ius in Trebellianum Senatus Consultum fuit translatum. Ideòque hodie dicta quarta, vel quod ei deest, retineri dicitur ex Trebelliano.§.*Sed quia stipulationes Instit.de fideicom.hered.* 1

e *Propter inserta fidecomuissi verba &c.* Et vniuersa, quæ in primo testamento scripta sunt, in causa fideicommissi erunt *l.Postumis 12. §. Si paganus ff.de iniusto, rupto &c.* 2

Ad §. Alio autem modo.

Alio autem modo testamenta iure facta infirmantur: veluti cum is, qui fecit testamentum, capite (a) *deminutus sit, quod quibus modis accidat primo* (b) *libro retulimus.*

a *Capite diminutus sit.* Hoc autem casu irrita fieri testamenta dicuntur.§.*Hoc autem, hoc eodem titulo.* Si enim testator aut maximam capitis deminutionem patiatur, & fiat seruus: aut mediam, & ciuitatem amittat: aut minimam, & fiat alieni iuris, dando se in arrogationem: irritum fit testamentum. *Theoph.hic.* §.*Non tamen,hoc eodem titulo.* Si tamen paterfamilias miles de castrensibus rebus duntaxat testatus ad rogandum se dederit: testamentum eius quasi ex noua militis voluntate valet, nec videtur capitis diminutione irritum fieri §. *Denique Instit de milit.testam.l.miles 23. l.Idem & si 24.ff.de milit.testam.Vide notata suprà ad d.§.Denique.* 3

b *Primo libro retulimus.* In titulo de capitis deminutione. 4

Ad §. Hoc autem casu.

Hoc autem (a) *casu irrita fieri testamenta dicuntur, cum alioquin, & quæ rumpantur, irrita fiant, & quæ statim ab initio non iure fiunt, irrita sint, & ea, quæ iure facta sint, & postea propter capitis demi-*

deminutionem irrita fiunt, possumus nihilominus rupta dicere. Sed quia sanè commodius erat, singulas causas singulis appellationibus distingui, ideò quædam non iure facta (b) *dicuntur, quædam iure facta* (c) *rumpi, vel irrita* (d) *fieri.*

a HOC autem casu &c. Rumpi, vel irrita fieri ea testamenta dicuntur, quæ ab initio iure facta sunt, & postea euertuntur. Illa verò, quæ statim ab initio non iure facta sunt, & 1
consequenter semper irrita fuerunt, & nunquam constiterunt, dicuntur non iure facta, & iniusta. Rumpi autem & irritum fieri, ex propria verborum significatione de eodem dicitur, & etiam testamenta non iure facta, irrita sunt. Sed quia sanè commodiùs erat singulas causas singulis appellationibus distingui: Ideò testamenta quædam non iure facta dicuntur. Et ex his quæ iure facta sunt, quædam rumpi, quædam irrita fieri, vt constat ex sequentibus notis, & ex his, quæ hactenus hoc eodem titulo dicta sunt. 2

b *Quædam non iure facta dicuntur.* Testamentum non iure factum dicitur, vbi solemnia iuris defuerunt *l.* 1. *ff. de Iniusto, rupto &c.*

c *Quædam iure facta rumpi.* Testamentum rumpi dicitur, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius vitiatur, veluti quasi adgatione sui heredis, aut posteriore testamento. §. *Rumpitur, &* §. *Posteriore, hoc eod. tit.*

d *Vel irrita fieri.* Cùm is, qui fecit testamentum, capite minuitur, irritum fieri testamentum dicitur. *Text. hic, & in* 3
§. *præced.*

Ad §. Non tamen.

Non tamen per omnia inutilia sunt ea testamenta, quæ, ab initio iure facta, propter capitis deminutionem irrita facta sunt: nam si septem testium (a) *signis signata sunt, potest scriptus heres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere: si modò defunctus,* (b) *& Ciuis Romanus, & suæ potestatis mortis tempore fuerit. Nam si ideò irritum factum sit testamentum, quia ciuitatem, vel etiam* 4
libertatem testator amisit, aut quia in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptini patris (c) *potestate sit: non potest* (d) *scriptus heres secundum tabulas bonorum possessionem petere.*

a NAM si septem testium signis &c. Iure enim prætorio septem testium signa in testamentis requiruntur. §. *Sed prædicta quidem, &* §. *seq. Instit. de testam. ord.*

b *Si*

b *Si modò defunctus, & Ciuis Romanus, & suæ potestatis &c.* Quando fit mutatio status testatoris voluntaria, vt quia se in arrogationem dederit, testamentum, quod per capitis deminutionem irritum factum fuit, non aliter conualidatur, quam si testator sui iuris effectus codicillis, aut alijs literis, eodem testamento se mori velle declauerit, *l. qui ex liberis* 11. *§. testamento ff. de bonor. poss. sec. tab.* Si autem fuit mutatio necessaria, vt quia testator post factum testamentum passus sit maximam, vel mediam capitis deminutionem, tum si mortis tempore à principe se restitutum reperiat, ipso iure reconualescit testamentpm prius factum absque noua declaratione. *Mynsinger. hic sub num. 3. & Oinot sub num. 1. Apud quem etiam vide sub n. 3. & 4.* An de Iure Ciuili, vel Prætorio, tale testamentum reconualescat. 1

c *In adoptiui patris potestate sit.* Vel peregrinus adhuc, aut seruus. *Cuiac. hic.*

d *Non potest scriptus heres &c.* Exigit enim prætor; vt is, cuius bonorum possessio datur, vtroque tempore ius testamenti faciendi habuerit, & cum facit testamentum & cum moritur. *l. 1. §. Exigit ff. de bonor. poss. sec. tab.* 2

Ad §. Ex eo autem.

Ex eo autem (a) *solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluit valere: vsque adeò, vt & si quis post factum prius testamentum, posterius facere cœperit, & aut mortalitate præuentus, aut quia eum eius rei pœnituit, id non perfecerit, diui Pertinacis* (b) *oratione cautum sit, ne aliàs tabulæ priores iure factæ irritæ fiant, nisi sequentes* (c) *iure ordinatæ, & perfectæ fuerint: nam imperfectum testamentum siue dubio nullum est.* 3

a *Ex eo autem solo &c.* Testamentum nuda voluntate infirmari non potest. Nam quæ iure confecta sunt, iure etiam subuerti tollique debent. *Theophil. hic.* Si tamen testator dixerit se nolle prius stare testamentum, vel alijs verbis vtendo contrariam aperuerit voluntatem, & hoc vel per testes idoneos non minus tribus, vel interacta manifestauerit & decennium fuerit elapsum: tunc irritum est testamentum tam ex contraria voluntate: quam ex cursu temporali, *l. Sancimus* 27. *§. Sin autem C. de testamentis.* 4

b *Diui Pertinacis oratione cautum sit, ne aliàs tabulæ &c.* Iulius Ca-

pitolinus in Pertinace: Legem sanè tulit, vt testamenta priora non prius essent irrita, quam alia perfecta essent, neue ob hoc fiscus aliquando succederet. Orationes autem Principum in Iure nostro dicuntur quibus optimi Principes consulebant Senatum, aut præsentes oratione, aut absentes per epistolas, quas candidati in Senatu legebant *l.3. C.de legibus l. Vncia ff. de offic. quæst.* Et has orationes sequebatur Senatus Consultum. Vnde etiam modò orationes, modò epistolæ, modò Senatus Consulta nominantur. 1

c *Nisi sequentes iure ordinatæ & perfectæ fuerint.* Vide notata suprà ad §. *Posteriore quoque, hoc eodem tit.*

Ad §. Eadem oratione.

Eadem oratione expressit (a) *non admissurum* (b) *se hereditatem eius, qui litis causa* (c) *Principem reliquerit heredem, neque tabulas* (d) *non legitimè factas, in quibus ipse ob eam* (e) *causam heres institutus erat, probaturum: neque ex nuda voce heredis nomen admissurum: neque ex vlla scriptura, cui iuris auctoritas desit, aliquid adepturum. Secundum hæc diui quoque Seuerus, & Antoninus sæpissimè rescripserunt. Licet enim* (f) *(inquiunt) legibus soluti simus attamen legibus viuimus.* 2

a *Eadem oratione expressit.* Diuus Pertinax.

b *Non admissurum se hereditatem eius &c.* Iulius Capitolinus in Pertinace. Ipsèque professus est, nullius se aditurum hereditatem, quæ aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, vt legitimi heredes & necessarij priuarentur: addiditque Senatus Consulto hæc verba, Sancitus est P.C. inopem Rempublicam obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum perdiscriminum atque dedecorum vestigia peruenire. 3

c *Qui litis causa principem reliquerit heredem.* Nam Imperatorem litis causa heredem instituí, inuidiosum est. Nec enim calumniæ facultatem ex principali maiestate capi oportet. *l. Imperatorem 91.ff.de hered. instit.*

d *Neque tabulas non legitimè factas.* Ex impercto testamento nec Imperatorem hereditatem vendicare posse, sæpè constitutum est, *l.3.C.de testamentis.* 4

e *Ob eam causam.* Quod tabulæ non essent legitimè factæ.

f *Licet enim &c.* Licet enim lex Imperij solemnibus iuris Imperatorem soluerit: nihil tamen tàm proprium Imperij est, quam legibus viuere *ff. l.3.C.de testamentis.*

De

De inofficioso (a) testamento.

TITVLVS XVIII.

Quia plerumque parentes sine causa (a) *liberos suos exheredant, vel omittunt, inductum est, vt de inofficioso testamento* (c) *agere possint liberi, qui quæruntur, aut iniquè se exheredatos, aut iniquè præteritos: hoc colore,* (d) *quasi non sanæ mentis fuerint, cùm testamentum ordinarent. Sed hoc dicitur, non quasi verè furiosus sit, sed rectè quidem fecerit testamentum, non autem* (e) *ex officio pietatis. Nàmsi verè furiosus sit, nullum testamentum est.* 1

a *De inofficioso testamento.* Expositi sunt modi, quibus testamenta ipso iure infirmantur. Videamus nunc de inofficiosi querela, per quam Iudicis officio testamenta rescinduntur. Inofficiosum testamentum est illud, in quo aliquis contra officium pietatis est exheredatus, vel præteritus. Præteritionem hic intellige, quæ pro exheredatione habetur, vt factam à matre, aut auo materno, & cæteris per matrem ascendentibus §. *vlt. Inst. de exhered. liber.* Nam si filius, qui fuit in patris potestate, præteritus sit, testamentum nullius est momenti, nec rescissione opus est, *l.* 1. *ff. de Iniusto, rupto &c.* Et filius emancipatus præteritus, potest quidem petere bonorum possessionem contra tabulas, queri autem de inofficioso testamento non poterit, quoniam eius præteritio non habetur pro exheredatione. *l. Si ponas 23. in princ. ff. de Inoffic. testam.* 2 3

b *Sine causa liberos suos exheredant.* Nouercalibus delinimentis instigationibusue corrupti. *l. Non est enim 4. ff. de inoffic. testam.*

c *Vt de inofficioso testamento agere possint liberi &c.* Hoc est, vt possint liberi allegare quare exheredari vel præteriri non debuerint. *l. 3. ff. de inoff. testam.* scù docere immerentes se, & ideò indignè præteritos, vel etiam exheredatione summotos. *l. nam & is* 5. §. *vlt. ff. eod.* Et possunt liberi instituere querelam inofficiosi testamenti intra quinquennium post aditam hereditatem *l. si quis filium 34. in fine, & l. Scimus* §. *Illud præterea C. de Inoffic. testam.* An autem & quando querela inofficiosi testamenti hodie locum habeat, notatum fuit supra *in fine tit. de exhered. liber.* 4

d *Hoc colore quasi non sanæ mentis &c. l. 2. ff. de inoffic. testam.*

c *Non autem ex officio pietatis.* Cum ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem addicat. *l. Cùm ratio 7. ff. de bonis damnatorum.*

Ad §. Non autem liberis.

Non autem (a) *liberis tantùm permissum est testamentum pareutum in-* 1
officiosum accusare, verùm etiam parentibus liberorum. Soror
autem (b) *& frater, turpibus* (c) *personis scriptis heredibus, ex*
Sacris Constitutionibus prælati sunt. Non ergo contra omnes (d) *he-*
redes agere possunt. Vltra fratres (e) *igitur & sorores, cognati nullo*
modo aut agere possunt, aut agentes vincere.

a *Non autem liberis tantùm &c.* Tam parentibus quam liberis de inofficioso licet disputare *l. 1. ff. de inoffic. testam.* In quæstione tamen de inofficioso testamento, præcedente causa filiorum, patris intentio adhuc pendet. Quod si contra filios 2
iudicetur: pater ad querelam vocatur, & suam intentionem implere potest. Nam etsi parentibus non debeatur filiorum hereditas propter votum parentum, & naturalem erga filios charitatem: turbato tamen ordine mortalitatis, non minùs parentibus, quàm liberis piè relinqui debet. *l. Pater filium 14, cum l. seq. ff. eodem.*

b *Soror autem & frater &c.* Fratres vel sorores consanguinei durante agnatione vel non, contra testamentum fratris sui vel so- 3
roris de inofficioso quæstionem mouere possunt, si personæ turpes institutæ sint: vterini autem ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arcentur. *l. fratres 27. C. de inoffic. testam.*

c *Turpibus personis scriptis heredibus.* Hoc est scriptis heredibus personis notatis infamia iuris, vel facti. *Pac. & Bar. hic.*

d *Contra omnes heredes,* Rectè contra heredes. Nam querela inofficiosi testamenti contra heredes dari solet, bonorum possessio contra tabulas, contra testamentum, vel, vt dicitur, 4
contra lignum, non contra heredes. *Cuiac. hic.*

e *Vltra fratres igitur &c.* Fratris vel sororis filij, patrui vel auunculi, amitæ etiam, & materteræ testamentum inofficiosum frustra dicunt: cum nemo eorum qui ex transuersa linea veniunt, exceptis fratre & sorore, ad inofficiosi querelam admittatur. De falso sanè per accusationem criminis queri non prohibentur *l. Fratris 21. C. de inoffic. testam.*

Ad

Ad §. Tam autem naturales.

Tam autem (a) *naturales liberi, quàm secundum noſtræ Conſtitutionis* (b) *diuiſionem adoptati, ita demum de inofficioſo teſtamento agere poſſunt, ſi nullo* (c) *alio iure ad defuncti bona venire* (d) *poſſunt. Nam qui ad hereditatem totam vel partem eius alio iure veniunt, de inofficioſo agere non poſſunt. Poſtumi* (e) *quoque, qui nullo alio* 1 *iure venire poſſunt, de inofficioſo agere poſſunt.*

a *Tam autem naturales.* Et legitimi. De inofficioſo tamen teſtamento matris ſpurij quoque filij dicere poſſunt. *l. Si ſuſpecta* 29. §. 1. *ff. de Inoffic. teſtam.*

b *Secundum noſtræ Conſtitutionis diuiſionem.* Hæc conſtitutio eſt deciſio. *l. Cum in adoptinis* 10. *C. de adoptionibus. vide textum in §. Sed hodie, cum his, quæ ibidem notaui, Inſtit. de Adopt.*

c *Si nullo alio iure &c.* Nam ſi communi auxilio, & mero iure muniti ſint: non debet eis tribui extraordinarium auxilium. 2 *l. In cauſæ* 17. *in prine. ff. de minoribus.* Si ergo quis impubes adrogatus ſit, remouendus erit à querela: cum habeat quartam ex Conſtitutione Diui Pij *l. Papinianus* 8. §. *Si quis impubes ff. de Inoffic. teſtam. l. ſi adrogator* 22. *ff. de adopt.*

d *Venire poſſunt.* Saluo teſtamento. Nihil enim vetat, quod quis & irritum dicat teſtamentum, vel ruptum, vel inofficioſum. Et electio ei dari debet, vtrum prius mouere velit. *l. Papinianus* 8. §. *Si quis & irritum ff. de Inoffic. teſtam.*

e *Poſtumiquoque &c.* Poſtumi, qui nullo alio iure ad defuncti bo- 3 na venire poſſunt, de inofficioſo teſtamento agere puſſunt, *tex. hic.* Hodie exheredatio poſtumi ex communi Doctorum ſententia in vniuerſum eſt ſublata, vt dixi ad §. *Poſtumi quoque, de exered. liber.* Ex conſequenter queri de inofficioſo teſtamento ei opus non eſt.

Ad §. Sed hæc ita.

Sed hæc ita accipienda ſunt, ſi nihil eis penitùs à teſtatoribus teſtamento relictum eſt, quod noſtra Conſtitutio (a) *ad verecundiam* (b) *natu-* 4 *ræ introduxit. Sin verò* (c) *quantacumque pars hereditatis, vel res eis fuerit relicta: de inofficioſo querela quieſcente, id quod* (d) *eis deeſt, vſque* (e) *ad quartam legitimæ partis repleatur:* (f) *licet non fuerit* (g) *adiectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.*

a *Noſtra Conſtitutio.* Hæc Conſtitutio eſt, *l. Omnimodo* 30. *C. de Inoffic. teſtam.*

b *Ad verecundiam naturæ*. Hoc est, vt parentum pudori consuleretur, cùm inofficiosi querela eos furoris argueret, vt in princ. huius tit.

c *Sin verò quantacunque pars &c.* Olim, nisi tota debita pars relicta fuisset, locus querelæ de inofficioso fiebat. *Theoph. hic.*

d *Id quod eis deest*. Instituto filio supplendum est id quod deest quartæ. Æquè exheredato si minus quarta relictum sit, supplenda est quarta, de inofficioso querela quiescente, vt hic in textu. Sed ex *Nouella* 115. *cap.* 3. vt excludatur querela, iusta causa exheredationis in testamento debet esse adscripta & ab herede probata, quo casu queri etiam non possunt exheredati, licet nihil eis penitùs fuerit testamento relictum. 1

c *Vsque ad quartam legitimæ partis*. Ideſt, vsque ad quartam eius partis, quam ab intestato erant habituri. Quartam autem Iustinianus in *Nouella* 18. *cap.* 1. mutauit in trientem, vel semissem, pro numero personarum, vt si liberi intra quaternarium numerum consistant, triens illis relinqueretur: aut semis, si quaternarium numerum excedant. Et ibidem similiter auxit eorum omnium portionem, qui de inofficioso agere possunt. 2

f *Repleatur*. Hoc supplementum intra triginta annos peti potest: quia tandiù actiones personales durant. *l.* 2. *C. de constit. pecun.* quamuis inofficiosi querela finiatur quinquennio à die aditæ hereditatis *l. Si quis filium* 34. *in fine, & l. penult.* §. *Illud prætèrea C. de Inoffic. testam. Vigl. Mynsing. & Pac. hic*. Vide *Fachin. Controuers. Iur. lib.* 12. *cap.* 9. Et nota, quod licèt filius post obitum patris, quod sibi relictum est, agnouerit, nullum tamen sibi facit præiudicium, sed legitima pars ei repleri debet. *l. Si quando* 35. §. *Et generaliter C. de Inoffic. testam.* 3

g *Licet non fuerit adiectum &c.* Ante Iustinianum, cum tota debita pars relicta non erat, si non fuerat adiectum, boni viri arbitratu debere eam compleri, locus querelæ de inofficioso fiebat, vt colligitur ex *l.* 4. *C. Theodos. de Inoffic. testam.*

Ad §. Si Tutor.

4

Si tutor (a) *nomine pupilli, cuius tutelam gerebat, ex testamento patris sui legatum acceperit, cùm nihil erat ipsi tutori relictum à patre suo: nihilominus* (b) *poterit nomine suo de inofficioso patris testamento agere.*

a *Si tutor nomine pupilli &c.* Martianus *in l. Si pars* 10. §. *vlt. ff. de inoffic. testam.* Illud notissimum est, eum, qui legatum percepit,

cepit, non rectè de inofficioso testamento dicturum, nisi id totum alij administrauit.

b *Nihilominus potcrit &c.* Nam ex necessitate officij nomine pupilli accepit legatum. Iniquum autem est. damnosum cuiquam esse officium suum. *l.Sed si quis 7. ff. Quemad. testam. aper. l.Cum quædam 26. C. de adminis. tut.* Si verò exheredatus petenti legatum ex testamento, aduocationem sponte sua præbuit, procurationemue suscepit: remouetur ab accusatione: agnouisse enim videtur, qui quale quale iudicium defuncti comprobauit. *l.vlt.in princ.ff.de inoffic. testam.* 1

Ad §. Sed & si.

Sed & si (a) *è contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fuerit, de inofficioso egerit, & superatus* (b) *est: ipse tutor quod sibi in eodem testamento legatum relictum est, non amittit.* (c) 2

a *Sed & si è contrario &c.* Tutorem, qui pupilli sui nomine inofficiosum testamentum dixit, non perdere sua legata, si non obtinuerit, optima ratione defenditur: quia officij necessitas, & tutoris fides excusata esse debet, *l.Tutorem 22. ff. de ijs, quæ vt indig.*

b *Et superatus est &c.* Idem est dicendum hodie etiam si tutor obtinuerit testamentum rescindi. Nam Iure Nouissimo inofficiosi querela rescindit tantùm institutionem heredum. *Nouella 115.cap.3.& 4. in fine.* 3

c *Non amittit.* Quia ex necessitate officij nomine pupilli de inofficioso egit. Et iniquum est, damnosum cuiquam esse officium suum, vt suprà dixi. 5

Ad §. Igitur quartam.

Igitur (a) *quartam quis debet habere, vt de inofficioso testamento agere non possit: siue iure* (b) *hereditario, siue iure legati, vel fideicommissi, vel si mortis causa ei quarta donata fuerit, vel inter vinos in ijs tantummodo* (c) *casibus, quorum mentionem facit nostra Constitutio, vel alijs* (d) *modis, qui Constitutionibus continentur. Quod autem de quarta diximus, ita intelligendum est: vt siue vnus fuerit, siue plures, quibus agere de inofficioso testamento permittitur, vna* 4

quar-

quarta (c) *eis dari possit, vt ea pro rata eis distribuatur, ideſt, pro virili portione quarta.*

a I *Gitur quartam &c. Ex Nouella* 115. *cap.* 3. *&* 4. Quarta non excludit querelam, ſed iuſta cauſa exheredationis, vel præteritionis in teſtamento adſcripta, & ab herede probata, quo caſu queri etiam non poſſunt exheredati, vel præteriti, licet nihil eis penitus fuerit teſtamento relictum. Iuſtæ autem cauſæ exheredationis, vel præteritionis liberorum ſunt 14. & referuntur in dicta *Nouella* 115. *cap.* 3. Et iuſtæ cauſæ præteritionis parentum ſunt 8. & enumerantur in eadem *Nouella cap.* 4. Fratres verò, vel ſorores, contra teſtamentum fratris ſui, vel ſororis de inofficioſo agere non poſſunt, niſi perſonæ turpes inſtitutæ ſint. §. *Non autem liberis*, hoc eod. tit. Et tum propter tres tantùm cauſas poteſt frater præterire fratrem, turpemque perſonam inſtituere, quæ cauſæ à DD. ſtatuuntur ex *Nouell.* 22. *cap.* 25. §. *Ingratitudinem.* 1 2

b *Sine iure hereditario &c.* Inſtituto filio ſupplendum eſt id quod deeſt quartæ - Æquè exheredato ſi minus quarta relictum ſit, ſupplenda eſt quarta, de inofficioſo querela quieſcente. §. *Sed hæc ita, hoc eod. tit.* Cœterùm *ex Nouella* 115. *cap.* 3. *&* 4. teſtamentum per querelam reſcinditur, etiamſi legitima portio relinquatur, niſi adſcripta iuſta cauſa exheredationis, vel præteritionis, & ab herede probata fuerit, quod non ideò Iuſtinianus conſtituit, vt iure hereditario legitima portio relinquatur, ſed ne cuiquam fruſtra apponatur exheredationis nota 3

Ex Cuiac. hic.

c *In ijs tantummodò caſibus &c.* Veluti, ſi aliquid fuerit donatum inter viuos, ſub ea conditione, vt in quartam computetur *l. Si quando* 35. §. *Et generaliter C. de inoffic. teſtam.*

d *Vel alijs modis &c.* Veluti, ſi quid datum fuerit cauſa conſtituendæ dotis, vel donationis propter nuptias. *l. Quoniam* 29. *C. de inoffic. teſtam.*

e *Vna quarta eis dari possit, vt ea pro rata &c.* Sic verò fit vt omnes habeant quartam omnium bonorum, quæ moriens teſtator reliquerit, ſinguli quartam legitimæ partis, ideſt, quartam eius partis, quam ab inteſtato erant habituri. *l. Papinianus* 8. §. *Si quis mortis ff. de inoffic. teſtam.* Quarta tamen accipietur deducto ære alieno, & funeris impenſa, & deductis libertatibus. *d. l. Papinianus* 8. §. *Quarta autem.* Cœterùm Iuſtinianus *in Nouella* 18. *cap.* 1. Quartam mutauit in trientem, vel ſemiſſem, pro numero 4

mero personarum, vt si liberi essent quatuor aut pauciores, triens illis relinqueretur: aut semis, si essent plures quatuor. Et ibidem similiter auxit eorum omnium portionem, qui de inofficioso agere possunt, vt etiam suprà notaui ad §. *Sed hæc ita, hoc eod.tit.*

De Heredum (a) qualitate, & Differentia. 1

TITVLVS XIX.

Heredes autem, aut necessarij dicuntur, aut sui & necessarij, aut extranei. Necessarius (b) *heres, est seruus heres institutus: ideò sic appellatus, quia siue velit,* (c) *siue nolit, omnimodò post mortem testatoris protinus liber & necessarius heres fit. Vnde qui facultates suas* (d) *suspectas habent, solent seruum suum primo, aut secundo,* 2 *aut etiam vlteriore gradu heredem instituere: vt si creditoribus satis non fiat, potiùs eius heredis* (e) *bona, quàm ipsius testatoris, à creditoribus possideantur, & vel distrahantur, vel inter eos diuidantur. Pro hoc tamen incommodo, illud ei commodum præstatur, vt ea, quæ post mortem patroni sui sibi adquisierit, ipsi* (f) *reseruentur. Et quamuis bona defuncti non sufficiant creditoribus, tamen* (g) *ex alia causa* (h) *quas sibi res adquisiuit, non veneunt.*

a *De heredum qualitate &c.* Heredes, de quibus suprà dictum 3
est, sunt diuersæ qualitatis: Videamus ergo de eorum differenti qualitate. Inscribitur enim hic titulus, de heredum qualitate, & differentia, idest, de heredum qualitate diuersa, ac differenti. *Ex gl. & Poc.*

b *Necessarius heres &c.* Necessarius heres est seruus à domino suo heres institutus. §. *Seruus autem, de hered. instit.* Dummodo tamen ei aliundè libertas non debeatur. *l. Si seruo* 84. *ff. de hered. instit.*

c *Quia siue velit, siue nolit &c. Vlpianus in fragm. tit.* 22. §. *Inter ne-* 4
cessarios: Necessarijs tantùm heredibus abstinendi potestas non datur.

d *Vnde qui facultates suas suspectas habent.* Qui de facultatibus suis dubitant, & ratione subducta verentur fore, vt nemo propter angustias rei familiaris ipsorum, pro herede se velit gerere, *Theoph. hic*, Vide *Text. in* §. *Licet autem, cum ijs, quæ ibi-*

dem notaui, Inst. Qui & quib. ex cauſ. manumit. non poſſ.

c *Potiùs eius heredis bona &c.* Ne iniuria defunctus afficiatur. *d. §. Licet autem.*

f *Ipſi reſeruentur.* Dummodò tamen, antequam bonis hereditarijs ſe immiſceat, bonorum ſeparationem a prætore impetret. *l. 1. §. vlt. ff. de ſeparationibus.*

g *Tamen ex alia cauſa quas ſibi res adquiſiuit, non veneunt.* Hunc locum ſic emendat *Cuiac.* hic *ex vet. lib. & ex Theoph.* 1

h *Ex alia cauſa.* Hoc eſt, non per occaſionem hereditatis.

Ad §. Sui autem.

Sui autem (a) *& neceſſari heredes ſunt, veluti filius, filia, nepos, neptiſque ex filio* (b) *& deinceps cæteri liberi, qui modò in poteſtate morientis fuerint. Sed vt nepos, neptiſue, ſui heredes ſint, non ſufficit eum, eamue in poteſtate aui mortis tempore fuiſſe: ſed opus eſt, vt pater eius, viuo patre ſuo, deſierit ſuus heres eſſe, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus poteſtate. Tunc enim nepos neptiſque in locum patris ſui ſuccedit. Sed ſui quidem heredes ideò appellantur, quia domeſtici heredes ſunt, & viuo quoque patre quodammodo* (c) *domini exiſtimantur. Vnde etiam ſi quis* (d) *inteſtatus mortuus ſit, prima cauſa eſt in ſucceſſione liberorum. Neceſſarij verò ideò dicuntur, quia omnimodo, ſiue velint, ſiue nolint, tàm ab inteſtato, quàm ex teſtamento, heredes fiunt* (e). *Sed his prætor* (f) *permittit volentibus abſtinere ſe ab hereditate: vt potiùs parentis,* (g) *quàm ipſorum bona ſimiliter à creditoribus poſſideantur.* 2 3

a *Sui autem & neceſſarij &c.* Sui & neceſſarij heredes ſunt liberi, qui in poteſtate morientis fuerunt, ita vt nulla eos perſona in gradu præcederet. Exempli gratia, filius, filia, qui fuerint in poteſtate patris morientis, ſunt ei ſui & neceſſarij heredes, ſed vt nepos neptiſue ex filio, ſui & neceſſarij heredes ſint auo, non ſufficit, quod fuerint in poteſtate aui mortis tempore: ſed opus eſt, vt pater eorum, vel morte, vel 4 emancipatione, alioue modo, viuo patre ſuo, deſierit ſuus & neceſſarius heres eſſe: tunc enim nepos, neptiſue in locum patris ſui ſuccedit. *Text. hic. §. Sui autem, Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. defer.*

b *Ex filio.* Ex filio additur, quia qui ex filia naſcuntur, in poteſtate aui materni non ſunt, ſed in poteſtate patris eorum.

§. vlt.

§. vlt. Instit. de patr. potest. Et consequenter auo materno sui, & necessarij heredes non sunt.

c *Quodammodo domini existimantur.* Itaque post mortem patris, non dicuntur nouum dominium acquirere, sed illud, quod habebant in vita patris, continuare. *l. In suis* 11. *ff. de liber. & postum.* Neque dicuntur adire hereditatem, sed retinere. *l. Si patronus* 12. *in fine ff. de bon. libert.*

d *Vnde etiam si quis intestatus &c.* Intestatorum hereditates ex lege duodecim tabularum, primùm ad suos heredes pertinent. §. 1. *Instit. de hered. quæ ab intest. defer.* 1

e *Heredes fiunt.* Iure ciuili.

f *Sed his prætor permittit &c.* Iure prætorio suis & necessarijs heredibus abstinere se à parentis hereditate permittitur: necessarijs autem tantùm heredibus abstinendi potestas non datur. *Vlpianus in frag. tit.* 22. §. *Inter necessarios.* Et ei, qui se non miscuit hereditati paternæ, siue maior sit, siue minor: non est necesse prætorem adire: sed sufficit se non miscuisse hereditati *l. Ei, qui* 12. *ff. de acquir. vel omit. hered.* Impuberibus tamen liberis etiam si se immiscuerint hereditati abstinendi potestas fit: puberibus autem ita, si se non immiscuerint. *l. Impuberibus* 11. *& l. Necessarijs* 57. *ff. de acquir. vel omit. hered.* Vide infra ad §. *Extraneis autem, hoc eodem tit.* 2

g *Vt potius parentis, quàm ipsorum bona &c.* Nam inter duos ingenuos longè melius est defunctum contumelia affici, quàm viuum, quippè qui & iniuriam sentiat. *Theoph. hic.*

Ad §. Cœteri. 3

Cæteri, qui testatoris iuri (a) *subiecti non sunt, extranei heredes appellantur. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, heredes à nobis instituti, extranei heredes vocantur. Qua de causa, & qui heredes à matre instituuntur, eodem numero sunt: quia fœminæ* (b) *in potestate liberos non habent. Seruus quoque heres à domino institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, eodem numero* (c) *habetur.* 4

a *QVI testatoris iuri subiecti non sunt &c.* Qui tamen per dignitatem suæ potestatis fiunt, non perdunt iura suorum. *Nouella* 81. *cap.* 2.

b *Quia fœminæ in potestate liberos non habent.* §. *fœminæ Instit. de Adopt.*

E *Eodem numero habetur*. Quoniam vtrunque ex defuncti testamento consequutus non est, libertatem scilicet, & hereditatem, §. *Seruus autem à domino. Instit. de hered. instit. Theoph. hic.*

Ad §. In Extraneis.

In extraneis hæredibus (a) *illud obseruatur, vt sit cum eis* (b) *testamenti factio: siue ipsi heredes instituantur, siue hi,* (c) *qui in potestate eorum sunt. Et id duobus temporibus inspicitur: testamenti quidem facti, vt constiterit institutio: mortis verò testatoris, vt effectum habeat, hoc amplius, & cùm adierit hereditatem, esse debet cum eo testamenti factio: siue purè, siue sub conditione heres institutus sit. Nam ius heredis eo vel maximè tempore inspiciendum est, quo adquirit hereditatem. Medio autem tempore inter factum testamentum, & mortem testatoris, vel conditionem institutionis existentem, mutatio iuris* (d) *non nocet heredi: quia, vt diximus, tria tempora* (e) *inspicimus. Testamenti autem* (f) *factionem non* 2 *solùm is habere videtur, qui testamentum facere potest: sed etiam qui ex alieno testamento vel ipse capere potest, vel alij adquirere, licet non possit facere testamentum. Et ideò furiosus* (g) *& mutus, & postumus, & infans, & filiusfamilias, & seruus alienus testamenti factionem habere dicuntur. Licet enim testamentum facere non possint, attamen ex testamento vel sibi, vel alij adquirere possunt.* 1

a IN *extraneis heredibus &c. Hic* §. *descriptus est ex Florentino in l. Si alienum* 49. §. *in extraneis ff. de hered. instit.* Et quæ de extra- 3
neis hoc loco dicuntur, in suis, vel necessarijs non disputantur: quia eo ipso, quod sunt sui, vel necessarij, est cum eis testamenti factio. Quòd si quo tempore incapaces essent: neque sui, neque necessarij essent.

b *Vt sit cum eis testamenti factio*. Vt ex testamento adquire possint. Vide notata infrà in verbo, *Testamenti autem factionem &c.*

c *Siue hi, qui in potestate eorum sunt*. Quia testamenti factio cum seruis, ex persona dominorum introducta est. *l. Non minus* 31. *ff. de hered. instit.*

d *Mutatio iuris non nocet heredi*. Vnde futurum est, vt si contingat eum ciuem Romanum esse, quem heredem institui, & is post factum testamentum ciuitatem amiserit, & eam recuperauerit ante mortem meam, aut si conditionaliter institutus est, ante euentum conditionis, nihil eum prohibeat hereditatem acquirere. *Theoph. hic. l. Sed & si* 6. §. *Solemus dicere, & l. liber homo* 4

homo 59. §. Si heres ff. de hered. instit.

c *Tria tempora inspicimus.* Testamenti facti, mortis testatoris, & additionis hereditatis, aut pro tempore mortis, tempus conditionis existentis, si sub conditione heres institutus est. *tex. hic iuncta l. liber homo 59. §. Si heres institutus ff. de hered. instit.* His aduersari videtur, *l. si seruus eius 81. ff. de acquir. vel omit. hered.* Quam obiectionem optime soluit: *Cuiac. hoc eod. loco.*

f *Testamenti autem factionem &c.* Testamenti factio duplex est: 1
activa, eorum, qui testamentum facere possunt, & passiua, eorum, qui ex alieno testamento, vel ipsi capere possunt, vel alijs adquirere, licet non possint facere testamentum. Et propriè loquendo, illi dicuntur habere testamenti factionem, cum his autem dicitur esse testamenti factio.

g *Et furiosus.* In furioso ita speciem, seu casum fingere oportet, vt à patre heres esse institutus intelligatur. Nam ab alio institutus, donec resipiscat, neque sibi, neque alij hereditatem acquirere potest, *Theoph. hic.* Quod etiam confirmatur *ex l. Antistius Labeo 62. §. vlt. ff. de acquir. vel omit. hered.* Vbi dicitur, quod furiosus acquirere sibi commodum hereditatis ex testamento non potest, nisi necessarius patri, aut domino heres existat. 2

Ad §. Extraneis autem.

Extraneis (a) *autem heredibus deliberandi potestas est de adeunda hereditate, vel non adeunda. Sed sine* (b) *is, cui abstinendi potestas est, immiscuerit se bonis hereditarijs: sine extraneus, cui de adeunda hereditate deliberare licet, adierit: postea relinquendæ hæreditatis facultatem non habet, nisi minor sit* (c) *vigintiquinque annis. Nam huius ætatis hominibus, sicut in cæteris omnibus causis, deceptis* (d) *ita & si temerè damnosam hereditatem susceperint, prætor succurrit* (e). *Sciendum est tamen diuum Hadrianum etiam maiori viginti quinque annis veniam dedisse, cum post aditam hereditatem grande æs alienum, quod aditæ hereditatis tempore latebat, emersisset. Sed hoc quidem diuus Hadrianus cuidam speciali beneficio præstitit. Diuus autem Gordianus postea in militibus tantummodò* (f) *hoc extendit. Sed nostra benevolentia* (g) *commune omnibus subiectis imperio nostro hoc beneficium præstitit: & Constitutionem tam æquissimam, quam nobilem scripsit, cuius tenorem si obseruauerint homines, licet eis adire hereditatem, & in tantum teneri, quantum valere bona hereditatis contingit: vt ex hac causa neque deliberationis auxilium eis fiat necessarium, nisi omissa obseruatione* (h) *nostræ constitutionis,* 3 4

tutionis, & deliberandum existimauerint, & sese veteri grauamini (i) *additionis supponere maluerint.*

a E*Xtraneis autem &c.* Extraneis heredibus deliberandi potestas est de adeunda hereditate, vel non adeunda. Et olim erat in iusdicentis potestate, quem diem præstitueret ad deliberandum *l.1.ff.de Iure deliberandi*. Pauciores tamen centum dierum non erant dandi *l.2.ff.eodem Iustinianus autem in* 1
l.vlt.§.Et hæc quidem C.de Iure deliberandi, constituit, vt ab Imperatore annus integer, à Iudicibus verò nouem menses dentur ad deliberandum.

b *Sed siue is, cui abstinendi potestas est &c.* Pro intelligentia huius loci notate, quod hereditatem acquirere, in extraneo dicitur Aditio: in suis & necessarijs, Immistio. Et quod hereditatem non admittere, in extraneo dicitur Repudiatio, in suo & necessario, Absentio. *Ex Theoph. bic l. Impuberibus* 11. *l.necessarijs* 57. *& l. Eum bonis* 86.*ff. de acquir.vel omit.hered.* 2

c *Nisi minor sit vigintiquinque annis*. Impuberibus liberis etiam si se immiscuerint hereditati abstinendi potestas fit: puberibus autem ita, si se non immiscuerint. Sed tamen & puberibus minoribus vigintiquinque annis si temere damnosam hereditatem parentis appetierint, ex generali edicto (quod est de minoribus vigintiquinque annis) succurritur, cum & extranei, si damnosam hereditbtem adierint, ex ea parte edicti in integrum restituantur *l.Impuberibus* 11.*& l.necessarijs* 57.*ff.de acquir. vel omit. hered.* 3

d *Deceptis*. Non enim passim minoribus subuenitur, sed causa cognita, si capti esse probentur *l.Verùm* 11. §.*Sciendum ff.de minor. vigintiquin. annis*.

e *Prætor succurrit*. Data eis in integrum restitutione ad hereditatem omittendam.

f *In militibus tantummodo hoc extendit*. Arma etenim magis, quàm iura scire milites sacratissimus Legislator existimauit, *l.vlt.*§.1. *C. de Iur. deliber.*

g *Sed nostra beneuolentia &c.* Iustinianus introduxit beneficium 4
Inuentarij, quo si heres vtatur, non eget deliberatione: etenim si Inuentarium rerum hereditarium ritè conficiat, pro earum rerum ratione tantùm creditoribus hereditarijs tenebitur. Est autem Inuentarium de Iure faciendum secundum formam traditam in *l.vltima C. de Iur. deliber.* Quæ est Constitutio, de qua Iustinianus hic loquitur. Tamen de consuetudine in confe-

ctione

ctione Inuentarij non seruantur tot solemnitates, aliàs vix posset fieri Inuentarium. Ideò sufficit illud fieri secundum consuetudinem notariorum in loco, in quo fit. *Iason. in princ. dictæ l.vltimæ, sub num.5. in fine.*

h *Nisi omissa obseruatione nostræ Constitutionis &c.* Si quis velit, contempto Iustiniani beneficio, petere deliberationem, audietur, & ab Imperatore integrum annum, à Iudicibus verò nouem menses habebit ad deliberandum: semel tamen, & non sæ- 1
pius. *l.vlt. §. Et hæc quidem C. de Iur. deliber.* Et qui petit tempus ad deliberandum, licet Inuentarium fecerit, si adierit, vel intra dictum tempus ad deliberandum sibi indultum, non repudiauerit, tenetur in solidum omnibus creditoribus hereditarijs: vtitur tamen Legis Falcidiæ beneficio. Quòd si non fecerit Inuentarium, nec Falcidiam habebit. *dicta l.vltima. §. Sin autem hoc aliquis, & §. Si quis autem.* Immò ex *Nouella 1. cap. 2. Vers. Si verò non fecerit*, heres, qui non facit Inuentarium, legatarijs tenetur supra vires hereditarias. 2

i *Et se se veteri grauamini aditionis &c.* In solidum enim secundum antiqua iura omnibus creditoribus heres tenebitur.

Ad §. Item extraneus.

Item extraneus heres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimam hereditatem vocatus, potest aut pro herede gerendo, (a) *aut etiam nuda voluntate suscipiendæ hereditatis heres fieri. Pro herede* (b) *autem gerere quis videtur, si rebus hereditarijs tamquam heres vtatur, vel vendendo res hereditarias, vel prædia colendo, locandoue, & quoquo modo si voluntatem suam declaret, vel re,* (c) *vel verbis, de adeunda hereditate: dummodò* (d) *sciat eum, in cuius bonis pro herede gerit, testatum, intestatumue obijsse, & se ei heredem esse. Pro herede enim gerere, est pro domino gerere. veteres enim, heredes* (c) *pro dominis appellabant. Sicut autem nuda* (f) *voluntate extraneus heres fit: ita & contraria* (g) *destinatione statim ab hereditate* (h) *repellitur. Eum qui* (i) *surdus, vel mutus natus, vel postea factus est, nihil prohibet pro herede gerere, & adquirere* 4
sibi hereditatem, si tamen intelligit quod agitur. 3

a *AVT pro herede gerendo, aut etiam nuda voluntate &c.* Extraneus heres, aut aliquid faciendo quasi heres, aut etiam voluntatem suam de adeunda hereditate verbis declarando, potest hereditatem acquirere.

b *Pro herede autem gerere &c.* Pro herede gerere videtur is, qui aliquid facit quasi heres. Et generaliter Iulianus scribit, eum demum pro herede gerere, qui aliquid quasi heres gerit. Pro herede autem gerere, non tam esse facti, quàm animi. Nam hoc animo esse debet: vt velit heres esse. Cæterum si quid pietatis, si quid custodiæ causa fecit, si quid non quasi heres egit, sed quasi alio iure dominus: apparet, non videri pro herede gessisse. *l. Pro herede 20. ff. de acquir. vel omit. hered.* 1

c *Vel re, vel verbis.* Qui re voluntatem suam declarat de adeunda hereditate, vtendo scilicet rebus hereditarijs tanquam heres. putà vendendo res hereditarias, vel prædia hereditaria colendo, locandoue, propriè dicitur pro herede gerere. Qui verò voluntatem suam de adeunda hereditate verbis declarat, propriè dicitur adire, minus propriè pro herede gerere.

d *Dummodò sciat eum &c.* Vt quis pro herede gerendo obstringat se hereditati, scire debet eum, in cuius bonis pro herede gerit, obijsse, & se ei heredem esse, & vtrum ex testamento, 2
an ab intestato ei heres sit. Nam si quis heres institutus sit, & is tanquam ab intestato vocatus pro herede gerat, heres non erit. *l. Si is, ad quem 22. ff. de acquir. vel omit. hered.*

e *Veteres enim, heredes pro dominis appellabant.* Heres sic dicitur quasi herus. Ideoque in Pandectis Florentinis, & passim in veteribus marmoribus rectè heres & hereditas sine diphtongo. Indè in *l. Si is, ad quem 22. ff. de acquir. vel omit. hered.* Pro domino facere, pro domino administrare. Ex *Cuiac. hic.*

f *Nuda voluntate.* Dicendo hereditatem se admittere. 3

g *Contraria destinatione.* Dicendo se non admittere hereditatem. Et non tantùm verbis, sed etiam re, & alio quouis indicio voluntatis recusari hereditas potest. *l. Recusari 94. ff. de acquir. vel omit. hered.*

h *Ab hereditate repellitur.* Adeò vt non possit ampliùs adire. *l. Sicut maior 4. C. de repud. vel abstin. hered.*

i *Eum, qui surdus &c.* Qui surdus, vel mutus natus, vel postea factus est, pro herede gerere, & adquirere sibi hereditatem potest, si tamen intelligit quod agit. *tex. hic. l. mutum 5. & l. Pater 92. §. Mutus ff. de acquir. vel omit. hered.* 4

De

De Legatis.

TITVLVS XX.

Post hæc videamus (a) *de legatis, quæ pars iuris extra propositam quidem materiam videtur. nàm loquimur de ijs iuris figuris*, (b) *quibus per vniuersitatem res nobis adquiruntur. Sed cùm omninò de testamentis, deque heredibus, qui testamento instituuntur, locuti sumus: non sine causa sequenti loco potest hæc iuris materia tractari.* 1

a *Post hæc videamus de Legatis &c.* Imperator noster in §. vltimo supra, per quas personas nobis adquiritur, eas iuris formas & modos, quibus per vniuersitatem res nobis adquiruntur, tractandos suscepit, quorum adhuc magna pars superest tractanda: Ideoque legatorum ius, quo singulæ res nobis adquiruntur, extra propositam materiam videtur. Sed cùm omninò de testamentis, & heredibus, qui in testamento instituuntur, vsque adhuc dictum sit: non sine causa potest sequenti loco de legatis tractari, quoniam legata olim non nisi in testamentis relinquebantur, & etiam hodie plerumque in testamento relinquuntur. 2

b *Figuris*. Formis & modis.

Ad §. Legatum itaque.

Legatum itaque est (a) *donatio quædam à defuncto* (b) *relicta, ab herede* (c) *præstanda.* 3

a *EST donatio quædam*. Dicitur donatio, quia sicut donatio prouenit à mera liberalitate & munificentia donantis *l. 1. ff. de donat.* ita & legatum à mera liberalitate & munificentia legantis prouenit *l. cum tale 71. §. Falsam causam ff. de condit. & demonst.* Sed dicitur donatio quædam, vt denotetur legatum non esse propriè donationem argumento *text. in l. quod seruus 36. ff. de stipul. serv.* Vnde legatum ignoranti adquiritur *l. cum pater 79. §. Surdo ff. de legatis 2.* non sic donatio *l. absenti 10. ff. de donat.* Itaque legatum, neque donatio est inter viuos, nec causa mortis: vtraque enim est doni datio *l. 1. ff. de donat.* At testator dum legat, non ipse dat & dominium transfert, sed lex ipsa *Vlpianus in fragment. tit. 19. §. Lege nobis.* 4

b *A defuncto relicta*. Ideò dicitur à defuncto, vt demonstretur, quod talis donatio, non est, nec dici potest legatum, nisi mortuo testatore: sicuti enim nulla hereditas est superstitis *l. qui superstitis 93. ff. de acquir. vel omit. hered.* ita nec vllum est legatum viuentis, cum delibetur, seu deminuatur legatum ab hereditate *l. legatum 119. ff. de legatis 1. in prine.* Et per verbum, relicta, excluduntur donationes, quæ sunt donidationes, vt dictum fuit in superiori nota. Et etiam per hæc verba, *à defuncto relicta*, excluduntur contractus & actus inter viuos, qui statim suos effectus producunt, & contractus consensu duorum perficiuntur *l. 1. §. 1. ff. de pactis*, legatum à testatore solo relinquitur. 1

c *Ab herede præstanda*. Hæc verba adiecta sunt ob Prætoris interdictum, quo iubetur, vt quod quis legatorum nomine non ex voluntate heredis occupauit, id restituat heredi, vt de manu ipsius accipiatur. *l. 1. ff. Quor. legator.* Quidam tamen dicunt dicta verba, *Ab herede præstanda*, esse adulterina, & velut suppositum partum eijcienda. Qua de re vide *Galuan. de Vsufruct. cap. 40. num. 20.* 2

Ad §. Sed olim quidem.

Sed olim quidem erant legatorum (a) *genera quatuor: per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem: & certa* (b) *quædam verba cuique generi legatorum adsignata erant, per quæ singula genera legatorum significabantur. Sed ex Constitutionibus* (c) *Diuorum Principum solemnitas huiusmodi verborum penitùs sublata est. Nostra autem Constitutio*, (d) *quam cum magna fecimus lucubratione, defunctorum voluntates validiores esse cupientes, & non verbis, sed voluntatibus eorum fauentes, disposuit, vt omnibus legatis vna sit natura: & quibuscunque verbis aliquid derelictum fit, licèat legatarijs id persequi, non solùm per actiones personales*, (e) *sed etiam per in rem, & per* (f) *hypothecariam. Cuius Constitutionis perpensum modum, ex ipsius tenore perfectissimè accipere possibile est.* 3 4

a *Erant legatorum genera quatuor*. De vnoquoque genere horum legatorum copiosè tractant *Vlpianus in fragmen. tit. 24. Gaius lib. 2. Instit. tit. 5. & Paulus Recept. Sent. lib. 3. tit. 6.*

b *Et certa quædam verba*. Si videre desideras verba, quæ cuique generi legatorum adsignata erant, Vide *Vlpianum, & Gaium vbi supra*.

c *Sed*

c *Sed ex Constitutionibus Diuorum Principum.* Constantini Magni. *Eusebius Pamphilius De Vita Constantini Imperatoris lib. 4. §. Ad hæc*, & Constantini minoris, Constantij, & Constantis *l. In legatis 21. C. de legatis.*

d *Nostra autem Constitutio. In l. 1. C. communia de legatis.*

e *Non solùm per actiones personales, sed etiam per in rem.* Per actiones personales legata peti possunt, quia actiones in personam ex contractu sunt, vel quasi ex contractu §. 1. & ibi *DD. Instit. de actionibus.* Et heres legatorum nomine quasi ex contractu debere intelligitur. §. *Heres quoque Instit. de obligat. quasi ex contr.* Etenim videtur cum legatarijs contrahere, cùm adit hereditatem *l. 3. §. vlt. ff. Quib. ex caus. in possess. eat.* Per actiones in rem possunt peti legata, quia actio in rem domino datur aduersus eum, qui rem ipsius possidet *dicto* §. 1. *Instit. de actionibus.* Et sine distinctione legatorum hodie rei legatæ dominium legatario statim à morte testatoris acquiritur, si legatarius legatum non repudiet. Sed dubitatur, quomodo fieri possit, vt legatario simul competat actio personalis, qua petat rem sibi dari, & rei viudicatio; quoniam hæc datur domino *l. In rem actio 24. in princ. ff. de rei vindic.* illa non domino. §. *Sic itaque Instit. de actionibus.* Respondeo, legatarium actione personali, non petere, vt res sibi detur, sed vt sibi præstetur, seù restituatur: quod & alijs casibus accidit, vt cùm quis rem suam repetit actione commodati, vel depositi: quia non repetit tamquàm suam, sed tamquàm commodatam, vel depositam. *Pacius hic in Analysi.* 1 2 3

f *Et per hypothecariam.* Per actionem hypothecariam possunt peti legata, quia res hereditariæ tacitè legatarijs sunt oppignoratæ pro securitate legatorum. Videte *dictam l. 1. C. Communia de legatis.*

Ad §. Sed non vsque.

Sed non vsque ad eam Constitutionem standum esse existimauimus. Cum enim antiquitatem inuenimus, legata quidem strictè (a) *concludentem, fideicommissis autem, quæ ex voluntate magis descendebant defunctorum: pinguiorem* (b) *naturam indulgentem: necessarium esse duximus omnia legata* (c) *fideicommissis exæquare, vt nulla sit* (d) *inter ea differentia: sed quod deest legatis, hoc repleatur ex natura fideicommissorum: & si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. Sed ne in primis legum* 4

conabulis permixtè de his exponendo, studiosis adolescentibus quandam introduceremus difficultatem, operæ pretium esse duximus interim separatim prius de legatis & posteà de fideicommissis tractare: vt natura vtriusque iuris cognita, facilè possint permixtionem eorum eruditi subtilioribus auribus accipere.

a *Strictè concludentem.* Intra rigorem Iurisciuilis, verborumque & formularum angustias. 1

b *Pinguiorem naturam indulgentem.* Fideicommissa intra rigorem Iurisciuilis, conclusa non erant, & quibuscunque verbis, bonam, & idoneam sententiam habentibus, relinquipoterant, cum aliud esset iu legatis, vt supra dixi: Itaque Vlpianus in fragmentis, *tit. 25. in princ.* Fideicommissum, inquit, est quod non ciuilibus verbis, sed precatiuè relinquitur: nec ex rigore Iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis. Intestatus quoque moriturus poterat fideicommissa relinquere, cum alioquin legata, nisi ex testamento, non valerent 2
§. *præterea. Instit. de fideicom. hereditat.* A legatario legati non poterat, fideicommitti poterat *princ. tit. Instit. de sign. reb. per fideicom. relict.* Ante heredis institutionem inutiliter legabatur. vtiliter tamen fideicommittebatur §. *ante heredis, Instit. de legatis Vlpian. in Frag. tit. 25. §. fideicommissum.* Post mortem quoque heredis, aut legatarij simili modo inutiliter legabatur, cum tamen vtiliter fideicommitteretur §. *post mortem, Instit. de legatis.*

c *Omnia legata fideicommissis exæquare l. 2. C. comm. de legat. & fideicom.* Quod autem sub nomine Vlpiani legitur in *l. 1. ff. de legatis 1.* Per omnia exæquata esse legata fideicommissis, est euidens Triboniani flagitium: cùm Vlpianus (penè; vel propemodum,) vel tale quidpiam addidisset. *H. hic.* Et quod hæc Iustinianica exæquatio numeris omnibus absoluta sit, cum sit, & reciproca, & vniuersalis, & identificans, docet *Galuan. de Vsufr. cap. 14. n. 22. & seq.* 3

d *Vt nulla sit inter ea differentia: sed quod deest legatis &c. Iustinianus in d. l. 2. C. commun. de legatis, & fideicommissis.* Et omnia quæ naturaliter insunt legatis, & fideicommissis inhærere intelligantur, & contra quidquid fideicommittitur, hoc intelligatur esse legatum. Et si quid tale est quod non habet naturam legatorum, hoc ei ex fideicommissis accommodetur, & sit omnibus perfectus euentus, & ex omnibus nascantur in rem actiones, ex omnibus hypothecariæ, ex omnibus personales. Vbi autem aliquid contrarium in legatis, & fideicommissis 4

cue-

eueniet: hoc fideicommisso quasi humaniori aggregetur, & secundum eius dirimatur naturam. Et infrà: Et si specialiter legati tantum faciat testator mentionem, hoc & legatum & fideicommissum intelligatur: & si fidei heredis vel legatarij aliquid committatur, hoc & legatum esse videatur.

c *Quandam introduceremus difficultatem.* Ex hoc textu notate, quod diuersarum rerum permixtæ tractationes difficultatem introducunt.

Ad §. Non solum autem.

Non solùm (a) *autem testatoris vel heredis* (b) *res, sed etiam aliena* (c) *legari potest: ita, vt heres cogatur redimere eam, & præstare: vel, si non potest redimere* (d) *æstimationem eius dare. Sed si talis res sit, cuius non est* (e) *commercium, nec æstimatio eius debetur veluti, si campum Martium, vel basilicas* (f) *vel templa, vel quæ publico* (g) *vsui destinata sunt, legauerit. Nam nullius momenti legatum est. Quod autem diximus alienam rem posse legari, ita intelligendum est: si defunctus* (h) *sciebat alienam rem esse, non & si* (i) *ignorabat. Forsitam enim si sciuisset alienam, non legasset. & ita diuus Pius rescripsit. Et verius* (k) *esse ipsum, qui agit, idest, legatarium probare oportere, sciuisse alienam rem legare defunctum, non heredem probare oportere, ignorasse alienam, quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit.*

a NON *solum autem testatoris &c.* Similiter non solùm propria res testator per fideicommissum relinquere potest: sed heredis, aut legatarij, aut fideicommissarij, aut cuiuslibet alterius. Et cum aliena res per fideicommissum relinquitur, necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere, & præstare, aut æstimationem eius soluere §. 1. *Inst. de singul. reb. per fideicom. relict.* 3

b *Vel heredis.* Res heredis non habetur pro aliena. Ideoque si rem tuam, quam existimabam meam, te herede instituto, Titio legem, valet legatum *l. vnum* 69. §. *si rem tuam ff. de legatis* 2. 4

c *Sed etiam aliena.* Constat etiam res alienas legari posse: vtique si parari possint: etiamsi difficilis earum paratio sit, *l. Idem Iulianus* 41. §. *Constat etiam ff. de legatis* 1. Et etiam rem hostium posse legari Sabinus ait, si aliquo casu emi possit, *l. ab omnibus* 107. §. *Etiam rem ff. de legatis* 1. Quod si res communis sit legata, partem suam duntaxat testator legasse intelligitur. Item si legata

gata sit res aliena, in qua ius aliquod testator habeat, ius suum duntaxat videtur legasse, & hæc sententia est probabilior. *Cuiac.hic*, In verbo, *æstimationem eius dare*.

d *Vel, si non potest redimere, æstimationem eius dare*. Si redimere non possit, quod dominus rem non vendat, vel immodico pretio vendat: iustam æstimationem inferet. *l. Non dubium* 14. *ff.de legatis 3.*

e *Cuius non est commercium*. Si talis res sit, cuius non est commercium, ideò, quæ à nemine adquiri potest, nec æstimatio eius debetur legatario, vt in exemplis textus nostri. Idem est, si rei legatæ sit quidem commercium, eius tamen commercium legatarius non habeat. ideò, si talis res sit, quæ adquiri quidem possit, non tamen à legatario, *l.mortuo boue* 50. §. *Labeo ff.de legatis 2.* Neque obstat, *l.fideicommissa* 11. §. *Si seruo ff. de legatis 3.* Vbi seruo militia fuit legata, cuius seruus est incapax & tamen dicitur æstimationem deberi. Nam cui militia legatur, estimatio videtur legata, *d.l.mortuo boue* 50. §. 1. *ff.de legatis 2.* 1

Rursus non obstat, *l. filiusfamilias* 117. §. *si quid ff. de legatis* 1. Quia ibi legatarius non est incapax: nam lex ait licitè legatum relictum fuisse, ideò, secundum leges, extrinsecus tamen accidisse, vt id habere non posset legatarius, ideòque debetur legatario æstimatio eius rei, cuius commercium ei non fuit interdictum. Non obstat item, *l.sed si res* 42. *ff.de legatis* 1. Quia ex ea demenda est secunda negatio, & sententia legis hæc est: Si à legatario per fideicommissum relinquatur res aliena, cuius commercium legatarius non habeat, valet fideicommissum, dummodò rei commercium habeat fideicommissarius. 2 3

Quod & ad heredem incapacem trahi potest, à quo ei qui capax est res legata est *d.l.mortuo boue* §. *vlt. ff.de legatis* 2. Si quis heredem suum, inquit, eum fundum, cuius commercium is heres non habeat, dare iusserit ei qui eius commercium habeat: heredem obligatum esse verius est vel in ipsam rem, si hæc in bonis testatoris fuerit: vel si non est: in eius æstimationem. *Ex Cuiac. & Borch. hic.*

f *Vel Basilicas*. Basilicæ adiunctæ erant foro, & iusdicentibus ac negotiatoribus publicè vsui erant. Eas ita ædificari debuisse scribit Vitruuius, vt in superiore parte iudicia, in inferiore negotia tractarentur. *Ex Cuiac. & ex notatis in marg. in vulgat edit.hoc eodem loco*. 4

g *Vel quæ publico vsui &c.* Vt forum, vel theatrum. §. *Idem iuris Instit.de inutil. stip.*

h *Si defunctus sciebat &c.* Aliud est in libertate fideicommissaria *l. Paulus respondit 39. ff. de fideicommiss. libert.* Vbi Paulus respondit, & si alienus inueniatur seruus, quem vt suum testator ab vno ex heredibus voluerit manumitti, tamen cogendum eum, qui est rogatus redimere eum, & manumittere: quoniam, non putauit similem esse causam libertatis, & fideicommissi pecuniarij. Item aliud in prælegato fundo alieno, vt imputetur in Falcidiam *l. heres præcepto 74. ff. ad S. C. Trebellianum.* 1
Vbi heres præcepto fundo rogatus fuerat hereditatem restituere: fundus alienus erat. Aristo ait sibi placere, quod omni modo penes heredem fundum esse voluerit testator. Ideòque æstimatio eius retinenda est:

i *Non & si ignorabat.* Cum alienam rem quis reliquerit, quam suam esse putauit, non aliter valet relictum, nisi proximæ personæ, vel vxori, vel alij tali personæ datum sit, cui legaturus esset, & si scisset rem alienam esse, *l. cum alienam 10. C. de legatis.* 2

k *Et verius esse &c. l. verius esse 21. ff. de probat.*

Ad §. Sed & si rem obligatam.

Sed & si rem obligatam creditori aliquis legauerit, necesse habet heres (a) *eam luere. Et hoc quoque casu idem placet, quod in re aliena: vt ita demum luere necesse habeat heres, si sciebat* (b) *defunctus rem obligatam esse, & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Si tamen defunctus voluit legatarium luere, & hoc expressit: non debet heres eam luere.* 3

a *Necesse habet heres eam luere.* Si verò à creditore distracta est: pretium heres exoluere cogitur, nisi contraria defuncti voluntas ab herede ostendantur *l. prædia 6. §. Si vero C. de fideicommissis.*

b *Si sciebat defunctus &c.* Aut si sciisset, legaturus aliud quod non minus esset, fuisset, *d. l. prædia 6. C. de fideicommissis.* Et verius esse existimat Martianus, ipsum, qui agit, ideò legatarium probare oportere, scisse defunctum rem obligatam legare non heredem probare oportere, ignorasse obligatam: quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit *l. verius esse 21. ff. de probat.* 4

Ad

Ad §. Si res aliena.

Si res aliena legata fuerit, & eius viuo (a) *testatore legatarius dominus factus fuerit: si quidem ex causa* (b) *emptionis, ex testamento actione pretium* (c) *consequi potest.* (d) *Si verò ex causa lucrativa, veluti ex causa donationis, vel ex alia simili* (e) *causa, agere* (f) *non potest. Nàm traditum est duas lucrativas causas in eundem hominem, & in eandem rem concurrere non posse. Hac ratione, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur: interest, vtrum rem, an æstimationem ex testamento consecutus est. Nàm si rem, agere non potest, quia habet eam ex causa lucrativa: si æstimationem, agere* (g) *potest.* 1

a *Viuo testatore.* Aut post eius mortem priusquàm legatum consequatur idem legatarius:

b *Ex causa emptionis.* Vel ex alia causa onerosa, veluti ex causa dotis. 2

c *Pretium.* Quod ei abest. *l. planè* 34. §. *Quod si rem ff. de legatis* 1.

d *Consequi potest.* Quia defunctus voluit vt eam rem legatarius haberet sine impendio vllo, & pretium igitur quod impendit ei heres præstare debet. *Cuiac. hic.*

e *Vel ex alia simili causa.* Veluti ex causa legati.

f *Agere non potest.* Est sanè ridiculum, si legatarius eius rei quam fecit suam sine onere, sine impendio vllo, pretium ab herede consequi desideret, quod ei nullum abest. nam cum id quod lucro eius cedere defunctus voluit, iam lucratus sit, frustrà est legatum. *Idem Cuiac. hic.* 3

g *Agere potest.* Quia rem defunctus legatarium habere voluit, quam non habet qui pretium habet.

Ad §. Ea quoque res.

Ea quoque (a) *res, quæ in rerum* (b) *natura non est, si modò futura est, rectè legatur, veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.* 4

a *Ea quoque res &c. l. quod in rerum* 24. *in princ. ff. de legatis* 1. *l.* 1. *in fine ff. de condit. & demonst. in qua l.* 1. Pomponius ait, huiusmodi legatis conditionem inesse. Non tamen dicta conditio

ditio facit legata conditionalia. Quia conditiones, quæ tacitè ineſſe videntur, non faciunt legata conditionalia *l. conditiones 98. ff. de condit. & demonſt.*

b *Quæ in rerum natura non eſt.* Si autem res, quæ legata eſt, an in rerum natura ſit, dubitetur: fortè ſi dubium ſit an homo legatus viuat: placuit agi quidem ex teſtamento poſſe: ſed officio Iudicis contineri, vt cautio interponeretur, qua heres caueret, eam ſe rem perſecuturum: & ſi nactus eſſet, legatario reſtituturum. *l. ſeruo legato 72. §. vlt. ff. de legatis 1.*

Ad §. Si eadem res.

Si eadem (a) res duobus legata ſit, ſiuè coniunctim, ſiuè diſiunctim: ſi ambo perueniant ad legatum, ſcinditur inter eos legatum. Si alter deficiat, quia aut ſpreuerit legatum, aut viuo (b) teſtatore deceſſerit, vel alio quolibet modo (c) defecerit, totum ad collegatarium pertinet. Coniunctim autem legatur, veluti ſi quis dicat, Titio & Seio hominem Stichum do lego. diſiunctim ita, Titio hominem Stichum do lego, Seio Stichum do lego. Sed & ſi expreſſerit eundem hominem Stichum, æquè diſiunctim legatum intelligitur. 2

a *Si eadem res &c.* Si eadem res duobus legata ſit, ſiuè coniunctim, ideſt, vna & eadem oratione, veluti ſi quis dicat, Titio & Seio fundum Tuſculanum do lego, ſiue diſiunctim, ideſt, ſeparatis orationibus, veluti ſi quis dicat, Titio fundum Tuſculanum do lego: Seio fundum Tuſculanum, vel eumdem fundum Tuſculanum do lego: Si ambo perueniant ad legatum, ſcinditur inter eos legatum. Si alter deficiat, quia aut ſpreuerit legatum, aut viuo teſtatore deceſſerit, vel alio quolibet modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet *tex. hic.* Notate, quod hi, quibus eadem res coniunctim legatur, re & verbis coniuncti ſunt, & habent Ius accreſcendi. Hi verò quibus eadem res diſiunctim legatur, re tantum ſunt coniuncti, & etiam frequentius in libris noſtris dicuntur diſiuncti vt in hoc §. Et ipſis pariter tribuitur Ius accreſcendi, ſeu, vt magis placuit Iuſtiniano, Ius non decreſcendi. *l. vnica. §. Sin verò nemo C. de caduc. tol.* Et iſti ſunt coniuncti, vel diſiuncti, de quibus agitur in hoc §. Verbalis autē coniunctio ſola, veluti ſi quis dicat: Titio & Seio fundum Tuſculanum ex æquis partibus do lego: in ordine ad Ius accreſcendi, potiùs ſermonis celeritas eſt, quàm coniunctio *l. Si ita quis heredes 66. ff. de hered. inſtit.* 3 4

b *Aut viuo testatore decesserit*. Si testatore mortuo legatarius decedat: ad heredem suum legatum transmittit. *l. vnica §. Cùm igitur C. de caduc. tollen.*

c *Vel alio quolibet modo defecerit*. Apud Theophilum legitur: Aut si quo alio modo capere non possit, vt quia ciuitatem amiserit.

Ad §. Si cui fundus. 1

Si cui fundus alienus legatus fuerit, & emerit proprietatem deducto vsufructu, & vsusfructus ad eum (a) *peruenerit, & postea ex testamento agat, rectè eum agere, & fundum* (b) *petere Iulianus ait: quia vsusfructus in petitione seruitutis* (c) *locum obtinet: sed officio Iudicis continetur, vt deducto* (d) *vsufructu, iubeat æstimationem præstari.*

a *Ad eum peruenerit*. Morte vsufructuarij, vel capitis deminutione eiusdem, vel alia simili causa lucratiua. §. *Finitur. Instit. de vsufructu.* 2

b *Et fundum*. Hoc est, plenam fundi proprietatem.

c *Seruitutis locum obtinet*. Non est enim vsusfructus dominij pars, sed seruitutis *l. Rectè dicimus 25. ff. de Verb. sig.*

d *Vt deducto vsufructu &c.* Id enim absurdissimum est, vt vsusfructus pretium consequatur, cum vsusfructus ex causa lucratiua ad eum peruenerit. *Theoph. hic.*

Ad §. Sed si rem legatarij. 3

Sed si rem legatarij quis ei legauerit, inutile (a) *est legatum: quia quod* (b) *proprium est ipsius, ampliùs eius fieri non potest, & licet* (c) *alienauerit eam, non debetur* (d) *nec ipsa res, nec æstimatio eius.*

a *Inutile est legatum. l. proprias 13. C. de legatis.*

b *Quia quod proprium est &c.* §. *Sic itaque discretis. Instit. de Actionibus.* 4

c *Et licet alienauerit eam &c.* Catoniana regula sic definit: Quod legatum si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum quandocunque decesserit non valere *l. 1. ff. de Regula Catoniana*. Itaque non si res mea legata mihi, post testamentum factum fuerit alienata, idcirco legatum conualescit: quia vires ab initio legatum non habuit. Sed si sub conditione lege-

legetur: poterit legatum valere si existentis conditionis tempore mea non sit. Purum igitur legatum Catoniana regula impediet, conditionale non: quia ad conditionalia Catoniana non pertinet *l. cætera 43. §. Tractari ff. de legatis 1.*

d *Non debetur nec ipsa res &c.* Celsus tamen hac in re ab aliis Iuris Consultis dissentit in *l. 1. §. vlt. ff. de Regula Catoniana.* Vide *Cuiac. & Borch. hic.*

Ad §. Si quis rem suam. 1

Si quis (a) *rem suam quasi alienam legauerit, valet legatum: nam plus valet quod in veritate est, quàm quod in opinione. Sed & si legatarij putauit, valere constat: quia* (b) *exitum voluntas defuncti potest habere.*

a SI quis rem suam &c. Si quis rem suam quasi alienam legauerit, valet legatum: nam plus valet hoc casu quod in veritate est, quàm quod in opinione, vt hic in textu. Qui enim 2
rem suam, quam putauit alienam, legauit, multò magis legasset eandem, si suam esse sciuisset. Ex diuerso si quis rem alienam quasi suam legauerit, non valet legatum: nam hoc casu plus est in opinione, quàm in veritate. Forsitan enim si sciuisset alienam, non legasset. §. *Non solùm autem, hoc eodem titulo.* Modo igitur veritatem, modo opinionem vt alia aliam antecellit intuemur. *Cuiac. hic.*

b *Quia exitum &c.* Nàm & defunctus dominus est, & legatarius dominus non est: neque impedit quidquam quo minus in 3
legatarium dominium transferri possit. *Theoph.*

Ad §. Si rem suam.

Si rem (a) *suam legauerit testator, posteaque eam alienauerit, Celsus existimat, si non adimendi animo vendidit, nihilominus deberi. idemque Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Idem* (b) *rescripserunt eum, qui post testamentum factum prædia, quæ legata erant, pignori dedit, ademisse legatum* (c) *non videri: & ideò legatarium* 4
cum herede agere posse, vt prædia à creditore luantur. Si verò quis partem rei legatæ alienauerit, pars, quæ non est alienata, omnimodo debetur: pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo (d) *alienata sit.*

a SI rem suam &c. Si rem suam testator legauerit, eamque necessitate vrgente alienauerit: legatum peti potest, nisi ab

herede probetur; legatum adimere legatario testatorem voluisse *l.fideicommissa* 11. §.*Si rem suam ff.de legatis* 3. Si autem rem legatam testator viuus alij donauerit, omnimodo extinguitur legatum: nec distinguitur, vtrum propter necessitatem rei familiaris, an mera voluntate donauerit *l. rem legatam* 18. *ff. de adimen. vel transfer. leg.* Sed & si non valet donatio: tamen ademisse legatario legatum testator intelligitur *l. legatum sub conditione* 24. §.*Pater ff.de adimen. vel transfer. leg.* 1

b *Idem rescripserunt &c. l.3. C. de legatis.*

c *Ademisse legatum non videri.* Quia numquam res nostras pignoramus, nisi proprer aliquam necessitatem. *Pacius hic in Analy.*

d *Si non adimendi animo alienata sit.* In parte igitur alienata, eodem modo distinguendum est, quo supra fuit distinctum in tota re alienata. Hic enim locum habet illud iuris axioma: Quod iuris est de toto quoad totum, idem iuris est & esse debet de parte quoad partem. Vide Euerardum in loco, à toto 2 ad partem, sub *num.2. & seq.*

Ad §. Si quis debitori.

Si quis (a) *debitori suo liberationem legauerit, legatum* (b) *vtile est, & neque* (c) *ab ipso debitore, neque ab herede eius potest heres petere, nec ab alio, qui* (d) *heredis loco est. Sed & potest à dibitore conueniri,* (e) *vt liberet* (f) *eum. potest etiam quis vel* (g) *ad tempus iubere, ne heres petat.* 3

a *SI quis debitori suo &c.* Possumus etiam legare vt liberetur debitor heredis, & cuiuslibet alterius *l. non solùm* 9. *in princ. ff. de liberat. legata.*

b *Legatum vtile est* Liberatio tamen debitori legata ita demum effectum habet, si non fuerit à debitore debitum exactum, dum viuat testator: cæterum si exactum est, euanescit legatum. *l. non solùm autem* 8. §.*Liberatio ff. de liberat. legata.*

c *Et neque ab ipso debitore &c.* Si debitor, cui liberatio sit legata, conueniatur, exceptione doli mali vti potest. *l.*1. §.*Si debitori ff. vt in possess. legat.* 4

d *Nec ab alio qui heredis loco est.* Vt ab eo qui vniuersitatis fidei commissum accepit, aut à bonorum possessore.

e *Conueniri.* Actione ex testamento.

f *Vt liberet eum,* Si mihi liberatio sit relicta, cum solus sim debi-

debitor, siue à me petatur: exceptione vti possum: siue non petatur, possum agere, vt liberer per acceptilationem. Sed & si cum alio sum debitor (puta duo rei fuimus promittendi) & mihi soli testator consultum voluit: agendo consequor, non vt accepto liberer, ne etiam correus meus liberetur contra testatoris voluntatem, sed pacto liberabor. Sed quid si socij fuimus? Per acceptilationem debeo liberari: alioquin dum à correo meo petitur, ego inquietor. *l. Si quis decedens* 4. §. *Nunc de effect. ff. de liberat. legata.* 1

g *Vel ad tempus.* Ideſt, etiam ad tempus. *Theoph. hic.* Potest igitur heres damnari, vt ad certum tempus non petat à debitore: sed sine dubio nec liberare eum intrà id tempus debebit, & si debitor decesserit, ab herede eius intra id tempus peti non poterit *l. non solum* 9. §. *Potest heres ff. de liberat. legata.*

Ad §. Ex contrario. 2

Ex contrario, si debitor (a) *creditori suo, quod debet, legauerit, inutile est legatum, si nihil* (b) *plus est in legato, quàm in debito: quia nihil amplius habet per legatum. Quòd si in diem* (c) *vel sub conditione debitum ei purè legauerit, vtile est legatum propter* (d) *repræsentationem. Quòd si viuo testatore dies venerit, vel conditio extiterit, Papinianus scripsit,* (e) *vtile esse nihilominus legatum, quia semel constitit. quod & verum est. Non enim placuit* (f) *sententia existimantium, extinctum esse legatum, quia in eam causam* 3 *peruenit, à qua incipere non potest.*

a *SI debitor creditori suo &c.* Quoties debitor creditori suo legat, ita inutile est legatum, si nihil interest creditoris, ex testamento potius agere, quàm ex pristina obligatione *l. si debitor* 12. *ff. de liberat. legata.* Si ergo creditori meo, tutus aduersus eum exceptione, id quod ei debeo, legem: vtile legatum est: quia remissa ei exceptio videtur. Sic si id quod honoraria actione mihi debetur, legetur mihi, legatum valet: quia ciuilis mihi datur actio pro honoraria. *l. Si creditori* 28. *ff. de legatis* 1. 4

b *Si nihil plus est in legato.* Legatum est donatio quædam. §. *Legatum, hoc eodem tit.* Vbi ergo nullum est commodum, vbi nihil donatur, ibi legatum esse non potest.

c *Quòd si in diem vel sub conditione &c.* Idem si ei purè legauerit debi-

debitum quod modo, vel loco differatur, *l.sin autem 29. ff.de legatis 1.*

d *Propter repræsentationem.* Ideſt, quoniam ſtatim iam ſoluitur. Id enim lucratur creditor, quod ſtatim accipiat id, quod poſt aduentum diei, aut poſt euentum conditionis erat præſtandum. Aut etiam interdum quod nunquam daretur, ſi fortè conditio non extitiſſet. *Theoph. hic.* Et nota quod quando debitor creditori ſuo, quod debet, legauit, ſi propter repræſentationis commodum vtile erit legatum, lex quoque Falcidia in eo commodo locum habebit, *l. 1. §.Si quis creditori, ff.ad leg.Falcidiam,* 1

c *Papinianus ſcripſit, vtile eſſe &c.* Huius Papiniani ſententiæ veſtigium eſt non obſcurum in *l.verbis legati 5.in fine ff. ad legem Falcidiam.*

f *Non enim placuit ſententia exiſtimantium &c.* Inter eos, qui exiſtimabant hoc caſu extinctum eſſe legatum, fuit Paulus *in l.debitor 84.ff.de legatis 2.* 2

Ad §. Sed ſi vxori.

Sed ſi vxori maritus dotem legauerit, valet legatum: quia plenius (a) *eſt legatum, quàm de dote actio. Sed ſi quam* (b) *non accepit dotem legauerit: Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, ſi quidem ſimpliciter legauerit, inutile eſſe legatum. Si verò certa pecunia,* (c) *vel certum corpus, aut inſtrumentum* (d) *dotis in prælegando* (e) *demonſtrata ſunt, valere legatum.* 3

a *Quia plenius eſt legatum &c.* Plenius eſt legatum, quam dote actio. Nam non ſimul atque ſolutum eſt matrimonium, dos etiam redditur, ſed intra annum ſi conſiſtat in rebus mobilibus, vel ſe mouentibus, vel incorporalibus. At legatum protinus ſoluitur. *Theoph.hic iuncta, l.vnica §.exactio C.de rei vxoriæ act.*

b *Sed ſi quam non accepit dotem &c.* Si vxori maritus dotem, quam non accepit, legauerit ſimpliciter, ideſt, non demonſtrata certa re, vel certa quantitate, fortè quod dixerit: Vxori meæ dotem lego, quam mihi dedit, inutile eſt legatum. Nihil enim ei dedit, & incerta eſt res, incerta eſt quantitas. Si verò certa pecunia, vel certum corpus, aut inſtrumentum dotis, quod exprimat quantitatem certam, in prælegando demonſtrata ſunt, valet legatum, nihil nocente falſa demonſtratione. 4

Tex.

Tex.hic. l.3.& vlt.C.de fal.cau.adiec.leg.

c *Si verò certa pecunia, vel certum corpus.* Si ergo maritus dixerit, centum solidos, quos nomine dotis vxor mea mihi dedit, ei lego. Aut fundum Tusculanum, quem vxor mea mihi dedit in dotem, lego ei. Valet legatum, etiamsi centum solidos, aut fundum Tusculanum vxor marito non dedit in dotem *d.l.3.C.de fal.cau.adiec.leg.l.1.in fine ff.de dote prælegata.*

d *Aut instrumentum dotis.* Quod exprimat quantitatem certam, vt supra dixi. 1

c *In prælegando.* Aliàs, In relegando. Dos autem prælegari dicitur propter repræsentationem. Relegari verò, quòd non ràm legari, quàm retro dari videatur. *Ex Cuiac.hic.*

Ad §. Si res legata.

Si res legata (a) *fine facto heredis perierit, legatario decedit. Et si seruus* (b) *alienus legatus fine facto heredis manumissus fuerit, non* 2 *tenetur heres. Si verò heredis seruus legatus fuerit, & ipse eum manumiserit: teneri* (c) *eum Iulianus scripsit. Nec interest, vtrum scierit, an ignorauerit à se legatum esse. Sed & si alij donauerit seruũ & is, cui donatus est, eum manumiserit: tenetur* (d) *heres, quamuis ignorauerit à se eum legatum esse.*

a *SI res legata fine facto &c.* Si ergo fundus legatus chasmate perierit, vtique æstimatio non debetur. Quod ita verum est, si non post moram factam id euenerit. Potuit enim eum 3 acceptum legatarius vendere, *l.cum res legata 49.§.Item si fundus ff.de legatis 1.* Item si ex legati causa hominem certum mihi debeas: non aliter post mortem eius mihi teneberis, quàm si per te steterit quò minùs viuo eo eum mihi dares. Quod ita fit, si aut interpellatus non dedisti, aut occidisti eum. *l. si ex legati 23.ff.de verb.oblig.*

b *Etsi seruus alienus &c. Pomponius in l.Si mihi alienum 92. ff.de solut.& liber.* Si mihi alienum seruum testamento dare iussus fueris; isque seruus antequam per te staret, quo minùs dares, à 4 domino manumissus sit: hæc manumissio similis morti est. Si autem decessisset, non teneris.

c *Teneri eum.* In eius æstimationem. *l. Si quis inquilinos 115. §.1.ff.de legatis 1.*

d *Tenetur heres.* In æstimationem, vt supra.

Ad

Ad §. Si quis ancillas.

Si quis (a) *ancillas cum suis natis legauerit, etiam si ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem est, si ordinarij* (b) *serui cum vicarijs legati fuerint: quia licet* (c) *mortui sint ordinarij, tamen vicarij legato cedunt. Sed si seruus* (c) *cum peculio fuerit legatus: mortuo seruo, vel manumisso, vel alienato, & peculij legatum* (f) *extinguitur. Idem est, si fundus instructus,* (g) *vel cum instrumento legatus fuerit: nam fundo* (h) *alienato, & instrumenti legatum* (i) *extinguitur.* 1

a SI *quis ancillas &c. Paulus in l.3.ff.de peculio legato*: Si ancilla cum suis natis legata sit: etiam mortua ea, vel alienata, vel manumissa, nati ad legatarium pertinebunt: quia duo legata sunt separata. Idem *in l.Si ancilla 65.ff.de legatis 1.* Si ancilla cum liberis legata sit: & ancilla sola, si non sint liberi, & liberi soli, si non sit ancilla, debentur. 2

b *Idem est si ordinarij serui cum vicarijs &c. l.Sed & si 4. ff.de peculio legato.* Serui ordinarij dicuntur, quibus peculium dominus concessit, negociarique sinit: Vicarij serui sunt, qui serui ordinarij vices gerunt, eique subministrant. Et vicarius est in peculio ordinarij & quasi seruus eiusdē. Hinc Horat.2.serm.Sat.7.

Vicarius est, qui seruo paret.

Et Martialis lib.2.Epigram.18.

Esse sat est seruum: iam nolo vicarius esse.

c *Quia licet mortui sint ordinarij &c.* Vel alienati, vel manumissi, contra quoque licèt mortui sint vicarij, vel alienati, vel manumissi, tamen ordinarij legato cedunt. 3

d *Tamen vicarij legato cedunt.* Quia duo legata sunt separata, & vicarij æquè principaliter vt ordinarij legati.

e *Sed si seruus cum peculio &c. l.1.ff.de peculio legato.*

f *Et peculij legatum extinguitur.* Nam quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur, cum principales res peremptæ fuerint. *l.2.ff.de peculio legato.* Est tamen notandum, quod tunc inutile legatum peculij sit, cum seruus viuo testatore decedit. 4 Cœterùm si mortis tempore seruus vixerit, peculium legato cedet. *l.tunc inutile 12.ff.de peculio legato.*

g *Idem est si fundus instructus, vel cum instrumento &c.* Siue fundus instructus, siue fundus cum instrumento legatus fuerit, fundo alienato, & instrumenti legatum extinguitur, vt hic in textu. Opponitur *l.Si cui 5.ff.de fundo instructo, & instrum legato.* Vbi dicitur,

citur, quod inter ea legata: lego fundum cum instrumento, & lego fundum instructum, hoc interest: quod si fundo alienato mortuus fuerit, qui ita legauit: Ex hac scriptura, fundum cum instrumento, nihil erit legatum: ex illa vero, fundum instructum, poterit instrumentum esse legatum: Respondetur quod textus noster *dictam l. corrigit in hoc articulo, gl. hic in verbo, instructus. in fine*. Aliter hanc obiectionem soluunt Cuiacius hic, & Pacius Legum Conciliatarum. *Centur. 6. q. 35.* Sed supra dicta solutio verior. Plus tamen est in legato, cum instructus fundus legatur, quàm si cum instrumento. Nàm legato fundi cum instrumento, solum agri instrumentum continetur. Legato autem fundi instructi, omnia quæ eò collocata sunt, vt instructior esset paterfamilias, continentur. Hoc ergo legato non solum agri instrumentum, sed etiam proprium instrumentum suum paterfamilias reliquisse videtur. Vide *l. quæsitum est 12. §. Sed si fundus ff. de instructo, & instrumento legato, l. 1. & 2. C. de verb. sig. Et Anton. August. Emend. lib. 2. cap. 4.* 1

h *Nam fundo alienato &c.* Intellige alienationem, per quam legatum fundi extinguitur, secundum ea, quæ dixi *ad §. Si rem suam, hoc eod. titulo*. 2

i *Et instrumenti legatum extinguitur*. Cum instrumentum sequela & accessorium sit fundi. *Theoph. hic*.

Ad §. Si grex.

Si grex (a) *legatus fuerit, posteàque ad vnam ouem peruenerit, quod superfuerit*, (b) *vindicari potest. Grege* (c) *autem legato, etiam eas oues, quæ post testamentum factum gregi adijciuntur; legato cedere Iulianus ait. Est enim gregis* (d) *vnum corpus: ex distantibus capitibus, sicut ædium vnum corpus est ex cohærentibus lapidibus*. 3

a *Si grex legatus fuerit &c.* Cum verò gregis vsus fructus legatus est, & eo vsque numerus peruenit gregis, vt grex non intelligatur: perit vsusfructus *l. vlt. ff. Quib. mod. vsufruc. amit.* Et quidam decem oues gregem esse putauerunt *l. vlt. ff. de abigeis*. 4

b *Quod superfuerit vindicari potest*. Ratio est, quia legato grege, & sic quodam totali, singulæ eius partes censentur legatæ. *Port. hic sub num. 1. & Mynsi. sub n. 2.* Concordat cum textu nostro, *textus in l. si grege 22. ff. de legatis 1.* Vbi Pomponius ait, Si

grege legato deminutum ex eo grege pecus esset, & vel vnus bos superesset: eum vindicari posse, quamuis grex desijsset esse: quemadmodum insula legata, si combusta esset, area posset vendicari.

c *Grege autem legato &c. l. grege legato 21. ff. de legatis 1.*

d *Est enim gregis vnum corpus &c.* Vt ædium, sic etiã gregis vnũ corpus est. Ædium tamen corpus concretũ est, & ex cohærentibus inter se partibus constans: gregis verò deiunctum, quod ex partibus constat distantibus. *l. rerum mixtura 30. ff. de vsucap. seu vsurp.* 1

Ad §. Aedibus denique.

Ædibus (a) *denique legatis, columnas* (b) *& marmora, quæ post testamentum factum adiecta sunt, legato dicimus cedere.*

a *Aedibus denique legatis &c.* Quod de ædium legato hic dicitur, hoc & ad balnea, vel aliud quod ædificium, vel porticus sine ædibus, vel tabernas, vel popinas extenditur *l. cætera 43. §. Hoc Senatus Consultum penult. ff. de legatis 1.* Quin etiam si areæ legatæ domus imposita sit: debebitur legatario, nisi testator mutauerit voluntatem *l. Seruum 46. §. si areæ ff. de legatis 1.* 2

b *Columnas & marmora.* Idem & in tegulis, tignis, & ostijs, & similibus additamentis *d. l. cætera §. peuult.*

Ad §. Si peculium. 3

Si peculium (a) *legatum fuerit, sine dubio quidquid peculio* (b) *accedit, vel decedit viuo testatore, legatarij lucro, vel damno est. Quòd si* (c) *post mortem testatoris, ante aditam hereditatem aliquid seruus adquisierit: Iulianus ait, si quidem ipsi manumisso peculium legatum fuerit, omne, quod ante aditam hereditatem adquisitum est, legatario cedere: quia huius legati* (d) *dies ab adita hereditate cedit, sed si extraneo peculium legatum fuerit, non cedere* (e) *ea legato, nisi ex rebus* (f) *peculiaribus auctum fuerit peculium. Peculium* (g) *autem, nisi legatum fuerit, manumisso* (h) *non debetur: quamuis si* (i) *viuus manumiserit, sufficit,* (k) *si non adimatur. Et ita Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt, peculio* (l) *legato, non videri id relictum,* (m) *vt petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impendit. Iidem* (n) *re-* 4

scripse-

scripserunt, peculium (o) videri legatum, cum rationibus redditis liber esse iussus est, & ex eo (p) reliqua inferre.

a *SI peculium legatum fuerit.* Siue seruo manumisso, siue extraneo.

b *Quidquid peculio accedit, vel decedit.* Peculium enim hominis simile est, nascitur, crescit, decrescit, & moritur *l. peculium nascitur 41. ff. de peculio.*

c *Quod si post mortem &c: l. denique 8. §. vlt. ff. de pecul. leg.*

d *Quia huius legati dies &c.* Hoc est: quia huic seruo non antè debetur legatum, quàm adita hereditas sit. Dies autem legati seruo manumisso relicti ante aditam hereditatem non cedit: Nàm cum libertas non prius competat quam adita hereditate: æquissimum visum est, nec legati diem ante cedere: alioquin inutile fieret legatum, si dies eius cessisset antequam libertas competeret *l. heredis 7. in fin. cum l. seq. ff. Quando dies legatorum &c.* Sunt & alia legata: quorum dies ante aditam hereditatem non cedit, vt puta, si sit vsusfructus legatus, vel vsus, vel habitatio *l. 2 ff. Quando dies legatorum &c.* 2

c *Non cedere ea legato.* Nam legatum hoc à morte testatoris cedit, prout regulariter legata purè vel in diem certum relicta, à morte testatoris cedunt. *Theoph. hic iuncta l. vnica §. cum igitur C. de caduc. tol.*

f *Nisi ex rebus peculiaribus &c.* Incrementa ex rebus peculiaribus ad extraneum legatarium perueniunt: vt puta partus ancillarum vel fœtus pecorum. Quod autem ex operis serui, vel ex alia causa accedit: id si alij, quàm ipsi legetur peculium, non debebitur. Hoc vtrumque Iulianus secundū voluntatē testatoris scribit. Cum enim ipsi suum peculium legatur: verisimile est, eum omne augumentum ad ipsum pertinere voluisse, cui patrimonium manumisso futurum est. cum alij, non sic, vt tamen & si in alterius persona hoc eum sensisse appareat, idem dicas, *l. denique 8. in fine ff. de peculio legato.* 3

g *Peculium autem &c. l. 1. C. de peculio eius, qui libert. mer.*

h *Manumisso.* In testamento. *Theoph. hic. d. l. 1.* 4

i *Quamuis si viuus &c:* Differentiæ autem ratio videtur esse, quòd inter viuos relictio, condonatio quædam tacita videtur esse, at in testamentis, nunquam nisi manifesta de causa de testatorum liberalitate coniecturam facimus. *H. hic.*

k *Sufficit, si non adimatur.* Idemque est in filio emancipato, *l. donationes 32. §. pater ff. de donat.* Quando tamen pupillus manu-

mittit, peculium non sequitur manumissum. *l.pupillus 24. ff. de manumiss.vindic.*

l *Peculio legato.* Seruo manumisso.

m *Non videri id relictum, vt petitionem habeat &c.* Nisi dominica ratio solita erat reddere quod deberet. *l.dominus 23. §.1. in fine ff. de peculio legato.*

n *Idem rescripserunt.* Huius rescripti meminit *Vlpianus in l. denique 8. §. Interdum ff. de peculio legato.* 1

o *Peculium videri legatum.* Testatorem voluisse seruum retinere peculium interpretamur ex eo, quòd de peculio eum insserat reliqua inferre. *d.l.denique 8. §. Interdum.* Peculium ergo, quod supereſt, redditis reliquis, apud manumissum remanebit.

p *Et ex eo reliqua inferre.* Hoc est, ex peculio persoluere; quæ rationibus redditis apparuerit eum domino debere. *Mynſ. hic sub num.6.*

Ad §. Tàm autem corporales. 2

Tam autem (a) *corporales res legari possunt, quàm* (b) *incorporales: & ideò quod defuncto debetur, potest alicui* (c) *legari, vt actiones suas* (d) *heres legatario præstet: nisi exegerit viuus testator pecuniam nam hoc casu legatum* (e) *extinguitur. Sed & tale legatum valet, damnas* (f) *esto heres meus domum illius reficere: vel illum ære alieno liberare.*

a *TAM autem corporales.* Veluti fundus, ædes, serui, ancillæ, 3 aurum, argentum, triticum, vinum, oleum, vt supra, hoc *eod.tit. §. Si quis ancillas, & §. Aedibus, & tit. ff. de aur. & arg. leg. & de trit. vin. vel ol. leg.*

b *Quàm incorporales.* Veluti vsusfructus, vsus, actiones, vt hic *& tit. ff. de vsu, & vsufr. leg.*

c *Potest alicui legari.* Etiam debitori, id quod debet rectè legatur. *Paulus Recept. Sent. lib. 3. tit. 6. §. Sinendi modo.*

d *Vt actiones suas heres &c. l. Legatum 108. ff. de legatis 1.* Quinimò etiam ipse legatarius vtilibus actionibus suo nomine experiri 4 poterit, *l.ex legato 18. C. de legatis.*

e *Legatum extinguitur.* Nisi legatarius probet testatorem, qui à debitore exegit pecuniam, non habuisse animum adimendi legatum. *l.filio ex parte 31. §. vlt. ff. de adim. leg.* Facit *l. Fideicommissa 11. §. Si rem suam ff. de legatis 3.* Vbi Vlpianus. Cum quidam nomen debitoris, quod per fideicommissum reliquit, exegis-

set,

set,& pro depositio pecuniam habuisset: putauit fideicommissi petionem supereſſe, maximè quia non ipse exegerat, sed debitor vltrò pecuniam obtulerat.

f *Damnas esto heres meus &c. Paulus Recept. sent. lib. 3. tit. 6. §. Damnari.* Damnari heres potest, vt alicui domum extruat, aut ære alieno eum liberet.

Ad §. Si generaliter. 1

Si generaliter (a) *seruus, vel res alia legetur; electio* (b) *legatarij est, nisi aliud testator dixerit.*

a *SI generaliter &c.* Si seruus, vel res alia, vt puta, equus, bos, fundus, domus, generaliter & indistinctè legetur, electio legatarij est ex rebus hereditarijs, quam rem sibi volet sumere, nisi aliud testator dixerit. *Tex. ex Cuiac. hic.*

Nota primò hoc esse speciale fauore vltimæ voluntatis: nàm 2 in obligationibus ex contractu electio datur ei, qui debet rem aliquam generaliter. non autem ei, cui res debetur. §. *Si quis agens, vers. præterea, Inst. de actionibus.*

Nota secundò hanc facultatem eligendi, quæ tacitè competit quando res aliqua generaliter relinquitur, limitatam esse: quia legatarius rem optimam eligere non potest, non tamen è contra cogitur eligere pessimam, *l. legato 37. ff. de legatis* 1 Quando verò electio nominatim relinquitur, etiam rem optimam potest legatarius eligere. *Cuiac. hic. & lib. 23. obserū. cap. 14.* 3

Nota tertiò quod quando homo generaliter legatur, vel bos, vel equus, si testator seruos, vel boues, vel equos non habeat electioni locus non est, & in hoc duntaxat tenetur heres, vt idoneum hominem præstet, vel equum, vel bouem. Si verò fundus, aut domus simpliciter legetur, nullas autem ædes, nullum fundum habeat testator, inutile est legatum, *l. cum post 70. §. gener. ff. de iur. dot. l. si domus 74. in princ. ff. de legatis* 1. Et etiam inutile est legatum eorum, quæ constant numero, pondere, vel mensura, si legata sint simpliciter: appositio autem 4 numero, pondere, vel mensura, etiam si omissa sit qualitas, valet legatum. In ijs tamen rebus quæ numero, pondere, vel mensura constant, electio est heredis, non legatarij, *l. cum certum pondus 4. ff. de trit. vin. vel ol. leg.* Distant etiam in hac re numi à cæteris quantitatibus: nàm in numis, de consuetudine testatoris, & regionis eius, in qua versatus est testator, ante-

quæ-

quærendum est, quàm collocata electione in heredem, exiguiores numos legatos esse dicamus. *l.si seruus plurium 53.§.vlt. ff.de legatis 1.l.numis 73.ff.de legatis 3.* Vide *Cuiac. hic.* in verbo, *Si generaliter.*

b *Electio legatarij est.* Olim si generaliter res legata erat per vindicationem, electio legatarij erat. *l.Lucio Titio 23.ff.de legatis 2.* At si per damnationem res generaliter legata erat, heredi permittebatur electio, *l.si is, cui 19.ff.de legatis 2.* Sed hodiè, sublatis legatorum differentijs, electio semper est legatarij, nisi aliud testator dixerit: vt hic in textu. Vide *Dominum Chesium Interpret.Iur.lib.1.cap.19.* 1

Ad §. Optionis.

Optionis legatum, id est, vbi testator ex seruis suis, vel alijs rebus optare legatarium iusserat, habebat olim in se (a) *conditionem: & ideò nisi ipse legatarius viuus optasset, ad heredem legatum* (b) *non transmittebat. Sed ex Constitutione nostra & hoc ad meliorem statum reformatum est: & data est licentia* (c) *heredi legatarij optare seruum, licet viuus legatarius hoc non fecit. Et diligentiore tractatu habito, & hoc in nostra Constitutione additum est, vt sine plures* (d) *legatarij existant, quibus optio relicta est, & dissentiant in corpore eligendo: siue vnius legatarij plures heredes, & inter se circa optandum dissentiant, alio aliud corpus eligere cupiente: ne perea legatum (quod plerique prudentium contra* (c) *beneuolentiam introducebant) fortunam esse huius optionis iudicem, & sorte hoc esse dirimendum, vt ad quem sors veniat, illius sententia in optione* (f) *præcellat.* 2 3

a *Habebat olim in se conditionem.* Si legatarius optauerit.

b *Legatum non transmittebat.* Sed simul cum eo extinguebatur legatum.

c *Et data est licentia heredi &c.* Vbi Iustinianus hoc cauerit, non video. Nam *in l.vltima C.de legatis*, de hac transmissione optionis ad heredem, nullum verbum. 4

d *Vt si plures legatarij &c. l.vlt.in princ.C.commun.delegat.*

e *Beneuolentiam.* Humanitatem, benignitatem.

f *In optione præcellat.* Cæteris autem æstimationem præstet ille contingentium eis partium. *d.l.vlt.*

Ad

Ad §. Legari autem.

Legari (a) *autem illis solùm potest, cum quibus testamenti factio est:*

a *Legari autem &c.* Legari illis solis potest, cum quibus testamenti factio est. Ideſt, illis, qui ex testamento vel sibi, vel alijs adquirere possunt. Vide suprà *in tit. de hered. qualit. & differ. Ad §. In extraneis.* 1

Ad §. Incertis.

Incertis (a) *verò personis, neque legata, neque fideicommissa olim relinqui concessum erat. Nàm ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, vt Diuus Hadrianus rescripsit. Incerta* (b) *autem persona videbatur, quam incerta opinione animo suo testator subijciebat: veluti si quis ita dicat, Quicunque* (c) *filio meo filiam suam* 2
in matrimonium dederit, ei heres meus illum fundum dato. Illud quoque, quod ijs relinquebatur, qui post testamentum scriptum primi consules designati erunt, æquè incertæ personæ legari videbatur, & denique multæ aliæ eiusmodi species sunt. Libertas quoque incertæ personæ non videbantur posse dari: quia placebat (d) *nominatim seruos liberari, Sub certa verò demonstratione,* (e) *ideſt, ex certis personis incertæ personæ rectè legabatur: veluti, ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam vxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato. Incertis autem personis legata, vel fideicommissa* 3
relicta, & per errorem soluta, repeti (f) *non posse, sacris Constitutionibus cautum erat.*

a *Incertis verò personis &c.* Legatum nisi ad certam personam deferatur, nullius est momenti. *Paulus Recept. sent. lib. 3. tit. 6. §. Legatum.* Pauperibus tamen relictum legatum, etiam ante Iustiniani legem, omnibus modis ratum firmumque consistebat. *l. Id quod pauperibus 24. C. de Episcop. & cler.*

b *Incerta autem persona &c.* Incerta persona videbatur, quam 4
incerta opinione animo suo testator subijciebat, & de qua rogatus nihil certi poterat dicere. *Tex. & Theoph. hic.* Exempla sequuntur hic in textu.

c *Quicunque filio meo &c. Vlpianus in frag. tit. 24. §. Incertæ personæ.*

d *Quia placebat &c. Ex l. Fusia Canina, Vlpianus in fragm. tit. 1. in fine.*

c *Sub certa verò demonstratione &c.* Sub certa demonstratione incertæ personæ legari potest: velut, Ex cognatis meis qui nunc sunt, qui primò ad funus meum venerit, ei heres meus illud dato. Idem *Vlpianus in frag. tit. 24. §. Incertæ personæ.* Sic sub certa demonstratione incertæ personæ legatur, cum testator ita dicit: Illi, aut illi, vter eorum prior Capitolium ascenderit, heres meus illam rem dato. *l. si seruus 111. §. Huiusmodi legatum ff. de legatis 1.* 1

f *Repeti non posse.* Quoniam naturaliter debita erant, & naturalis debiti soluti condictio nulla est. *l. naturaliter 13. l. si quod dominus 64. ff. de condic. indeb.*

Ad §. Postumo quoque.

Postumo quoque alieno inutiliter (a) *antea legabatur. Est autem alienus* (b) *postumus, qui natus, inter suos heredes testatori futurus non est. Idcoque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus* (c) *erat postumus auo.* 2

a *Inutiliter antea legabatur.* Alienus postumus similis est incertis personis: & ideo inutiliter ei legabatur. *Theoph. hic.* Et quanquam iure prætorio institui potuit. *princ. tit. Inst. de bon. poss.* tamen prætor legatorum curam non habuit. *H. hic.*

b *Est autem alienus postumus &c.* Alienus postumus est, qui natus, inter suos heredes testatori futurus nō est. Sic enim interpungēda hæc verba sunt: vt post, Qui natus, articuli nota ponatur: reliqua vno spiritu ad finem perducantur. Nam sensus est, 3 alienum dici postumum, qui si iam testamenti tempore natus esset, non esset futurus testatori inter suos heredes. *Ex eod. H.*

c *Extraneus erat &c.* Alienus & extraneus idem significant hoc loco.

Ad §. Sed nec huiusmodi.

Sed nec huiusmodi (a) *species penitus est sine iusta emendatione relicta: cum in nostro Codice Constitutio posita sit, per quam & huic parti* 4 *medetur, non solùm in hereditatibus, sed etiam in legatis, & fideicommissis: quod euidenter ex ipsius Constitutionis* (b) *lectione clarescit. Tutor autem nec per nostram Constitutionem incertus dari debet; quia certo iudicio debet quis pro tutela suæ posteritati cauere.*

a *Sed nec huiusmodi species &c.* Ex Constitutione Iustiniani incertis personis, & postumo alieno legari potest, non tamen

men per dictam Constitutionem tutor incertus dari potest: quia certo iudicio debet quis pro tutela suæ posteritati cauere. *Tex.hic*. Iustiniani autem Constitutio Codici, quo nunc vtimur, deest.

b *Ex iosius Constitutionis lectione &c.* Cùm hæc Iustiniani Constitutio desideretur, vix quidquam certi definiri potest. Hoc constat, iure quo nunc vtimur, incertitudinem personæ, cui legatum est, non vitiare legatum, si talis incerta persona, vel nunc, vel in futurum certificari possit. *Mynsing.hic.*

Ad §. Postumus autem.

Postumus autem alienus heres institui & antea (a) *poterat, & nunc* (b) *potest, nisi in vtero* (c) *eius sit, quæ iure nostro vxor esse non potest.*

a ET *antea poterat &c.* Iure prætorio, non iure ciuili. *princ. tit.Inst.de bon.poss.*

b *Et nunc potest*. Etiam Iure Ciuili ex Constitutione Iustiniani. *d.princ.tit.Inst.de bon.poss.*

c *Nisi in vtero &c.* Hoc est, Nisi in vtero eius sit, cum qua non est connubium. *Cuiac.hic.*

Ad §. Si quis in nomine.

Si quis in (a) *nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarij* (b) *errauerit: si de persona constat, nihilominus valet legatum. Idemque in heredibus seruatur, & rectè. Nomina enim, significandorum hominum gratia reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.*

a SI *quis in nomine &c. l.si in nomine 4. C.de testamentis*. Propria nomina in specie 4. diuiduntur, Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen: vt Publius, Cornelius, Scipio, Africanus. Nam agnomina cognominibus ex aliqua ratione aut virtute adduntur, vt Africanus, Creticus, Asiaticus, Numantinus, & his similia. Prænomen ergo est, quod nomini præponitur, vt Publius. Nomen, quod familiæ originem declarat, vt Cornelius. Cognomen, quod nomini subiungitur, vt Scipio. Agnomen, quod extrinsecus adiici solet, vt Africanus. *Charisius Inst. Gram. lib. 2. in princ.* Hodie proprium nomen velut Romanum prænomen, & familiæ nomen habemus, quod

vulgò cognomen dicitur, Romanis etiam absolutè nomen. Vide *Mynſ.hic ſub num.2.& ſeq.*

b *Legatarij*. Quod ſcribitur hic de perſona, cui legatur, idem & ad res legatas producitur. Nam & ſi in proprio nomine rei legatæ teſtator errauerit, de ipſa tamen re, quæ legata eſt, conſtet, valet legatum, *l.Si quis 4.ff.de legatis 1.l.ſi Fortidianum 7.§.Error C.de legatis.* Vide *Borcholt.hic.* 1

Ad §. Huic proxima.

Huic proxima (a) *eſt illa iuris regula, falſa demonſtratione legatum non perimi: veluti ſi quis ita legauerit: Stichum ſeruum meum vernam* (b) *do lego. Licet enim non verna, ſed emptus ſit, ſi de ſeruo tamen conſtat, vtile eſt legatum. Et conuenienter, ſi ita demonſtrauerit, Stichum ſeruum, quem à Scio emi, ſitque ab alio emptus, vtile eſt legatum, ſi de ſeruo conſtat.*

a HVic proxima eſt &c. Falſa demonſtratio legatum non perimit. Demonſtratio falſa eſt, veluti ſi ita ſcriptum ſit, Seruum Stichum, quem à Titio, emi, do, lego. Vel ita, fundum Tuſculanum, qui mihi à Seio donatus eſt, do lego. Nam ſi conſtet, de quo homine, & de quo fundo ſenſerit teſtator: ad rem non pertineat, ſi is, quem emiſſæ ſignificauit, donatus ſit: aut quem donatum ſibi eſſe ſignificauit, emerit. Igitur & ſi ita ſeruus legatus ſit, Stichum coquum, Stichum ſutorem Titio lego: licet neque coquus, neque ſutor ſit, ad legatarium pertinebit, ſi de eo ſenſiſſe teſtatorem conuenerit, *l.demonſtratio falſa 17. ff.de condit.& demonſtr.* 2 3

b *Vernam*. Hac appellatione ſignificatur, qui in ædibus noſtris natus eſt.

Ad §. Longè magis.

Longè (a) *magis legato falſa cauſa adiecta non nocet: veluti cum quis ita dixerit, Titio, quia me abſente negotia mea curauit, Stichum do lego: vel ita, Titio, quia patrocinio eius capitali crimine liberatus ſum, Stichum do lego. Licet enim neque negotia teſtatoris vnquam geſſerit Titius, neque patrocinio eius liberatus eſt, legatum tamen* (b) *valet. Sed ſi* (c) *conditionaliter enunciata fuerit cauſa, aliud iuris eſt: veluti hoc modo, Titio, ſi negotia mea curauit, fundum do lego.* 4

a LOngè magis &c. *l.demonſtratio falſa 17.§.quod autem ff. de condit. & demonſtr.*

b *Lega-*

b *Legatum tamen valet.* Falsam causam legato non obesse verius est: quia ratio legandi legato non cohæret: sed plerumque doli exceptio locum habebit, si probetur aliàs legaturum non fuisse, *l. cum tale 71. §. falsam causam ff. de condit. & demonst.*

c *Sed si conditionaliter &c.* Si conditionaliter enunciata fuerit causa, veluti hoc modo, Titio, si negotia mea curauit, fundum do lego. Si Titius curauit negotia mea, habebit legatum, tanquam impleta conditione. Sin autem non curauit, tanquam conditione defectus, nullam habebit actionem pro legato. *Text. & Theoph. hic.* 1

Ad §. An seruo.

An seruo heredis rectè legamus, quæritur, & constat purè (a) *inutiliter legari, nec quidquam proficere, si viuo testatore, de potestate heredis exierit: quia quod* (b) *inutile foret legatum, si statim post factum testamentum decessisset testator, non hoc ideò debet valere, quia diutiùs testator vixerit. Sub conditione verò rectè* (c) *legatur seruo, vt requiramus, an quo tempore dies* (d) *legati cedit, in potestate heredis non sit.* 2

a ET *constat purè inutiliter legari.* Propter rationem assignatam in prima nota seq. §.

b *Quia quod inutile foret &c.* Catoniana Regula sic definit: Quod legatum si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum quandocunque decesserit, non valere, *l. 1. ff. de Regula Catoniana.* 3

c *Rectè legatur.* Quia Regula Catoniana ad legata conditionalia non pertinet, *l. cætera 43. §. Tractari ff. de legatis 1.*

d *An quo tempore dies legati cedit.* Dies legati conditionalis cedit ab euentu conditionis. *d. l. cætera 43. §. Tractari ff. de legatis 1.*

Ad §. Ex diuerso.

Ex diuerso, (a) herede instituto seruo, quin domino rectè, etiam sine conditione legetur, non dubitatur. Nàm & si statim post factum testamentum decesserit testator, non tamen apud eum, qui heres sit, dies legati cedere intelligitur: cùm hereditas à legato separata sit, & possit per eum seruum alius heres effici, si priùs, quàm iussu domini adeat, in alterius potestatem translatus sit: vel manumissus ipse heres efficitur, quibus casibus vtile est legatum. Quòd si in 4

eadem causa permanserit, & iussu legatarij adierit, euanescit (b) *legatum.*

a EX *diuerso &c.* Herede instituto seruo, domino eius, etiam sine conditione, rectè legatur: non tamen vtile est legatum, nisi fuerit seruus à domino alienatus, vel manumissus, priùs quàm eius iussu adeat hereditatem. *Text. hic.* Ratio verò differentiæ quare, seruo herede instituto, possit domino eius, etiam sine conditione, legari, vt hic in textu. Sed ex diuerso, domino herede instituto, non possit eius seruo purè legari, vt in præcedenti §. ea est: quia seruus domino, etiam ignoranti, & inuito, statim ac testator mortuus est, acquirit legatum §. *Item nobis Inst. per quas person. nob. adquir.* Ideoque vbi dominus sit heres, & seruo relinquitur legatum, dominus, non solùm esset heres, sed etiam legatarius, quod esse non potest, *l. & quidem 18. l. legatum 119. §. heredi ff. de legatis 1.* hereditas autem per seruum non acquiritur domino, nisi postquam seruus iussu domini illam adierit. *d. §. Item nobis, Inst. per quas person. nob. adquir.* Et consequenter vbi seruus est heres, & dominus legatarius, etiam si statim post factum testamentum decesserit testator, non tamen legatum ei cedit, ac debetur, qui heres sit: cum possit seruus, si alienetur antequàm iussu domini adeat, alium heredem efficere, vel hereditatem sibi acquirere, si manumittatur. *Text. hic.* 1 2

b *Euanescit legatum.* Quia res in eum statum deducitur, vt idem sit heres, & legatarius, quod ius non patitur, vt supra dictum est. 3

Ad §. Ante heredis.

Ante heredis institutionem inutiliter (a) *antè legabatur, scilicet quia* (b) *testamenta vim ex institutione heredum accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio. Pari ratione nec libertas ante heredis institutionem dari poterat. Sed quia incivile esse putauimus ordinem quidem scripturæ sequi, quod & ipsi antiquitati vituperandum fuerat visum, sperni autem testatoris voluntatem: per nostram* (c) *Constitutionem & hoc vitium emendauimus, vt liceat & ante heredis institutionem, & inter* (d) *medias heredum institutiones, legatum relinquere, & multò magis libertatem, cuius vsus fauorabilior est.* 4

a INutiliter *antè legabatur.* Vtiliter tamen ante heredis institutionem etiam olim fideicommittebatur, *Vlpianus in frag. tit. 25. §. Fideicommissum,*

b *Quia*

b *Quia testamenta vim &c. l. quod per manus* 10. *ff. de Iur. codicil.*

c *Per nostram Constitutionem.* Hanc Constitutionem non habemus secundum quosdam. Alij dicunt, quod Constitutio, de qua Iustinianus hic loquitur, sit *l. ambiguitates* 24. *C. de testamentis.*

d *Et inter medias &c.* Poterat tamen etiam olim inter medias heredum institutiones legari. *Paulus Recept. Sentent. lib. 3. tit. de legatis. §. Ante heredis.* 1

Ad §. Post mortem.

Post mortem (a) *quoque heredis, ant* (b) *legatarij, simili modo inutiliter legabatur: veluti si quis ita dicat, Cùm heres meus mortuus erit, do lego. Item, Pridie,* (c) *quàm heres aut legatarius morietur. Sed simili modo* (d) *& hoc correximus, firmitatem huiusmodi legatis ad fideicommissorum* (e) *similitudinem præstantes: ne vel hoc casu deterior causa legatorum, quàm fideicommissorum inueniatur.* 2

a *Post mortem quoque heredis.* Olim post mortem heredis inutiliter legabatur: veluti si quis ita dicat, Cùm heres meus mortuus erit, do lego. *tex. hic.* Post mortem autem heredis legari non poterat, ne ab heredis herede legari videretur: quod Iuris Ciuilis ratio non patiebatur. *Vlpianus in frag. tit. de legatis. §. Post mortem.* Antiqua enim Iuris regula vetabat actionem, quæ aduersus nos non cæpisset, aduersus heredes nostros transire. *Theoph. hic, l. vlt. C. Theodos. de diuers. rescript.* 3 In mortis autem heredis tempus legari poterat: velut Cùm heres moriatur. *Vlpianus vbi supra.* Is enim, qui moritur, nondum est mortuus, sed adhuc viuit. *l. qui duos* 18. §. *Hæc conditio ff. de manumiss. testam.*

b *Aut legatarij.* Olim post mortem legatarij inutiliter legabatur: veluti si quis ita dicat, Primo cùm mortuus fuerit, centum solidos lego. *tex. & Theoph. hic.* Post mortem autem legatarij legari non poterat, ne eius heredi legari videretur. Nàm regula iuris veteris vetabat actionem, quæ non cæpisset à no- 4 bis, ab heredibus nostris incipere, Idem *Theoph. dicta l. vlt. C. Theodos. de diuers. rescript.* In tempus autem mortis legatarij legari poterat, veluti Lucio Titio cùm morietur, do lego. *Paulus lib. 3. Recept. Sent. tit. de legatis. §. In mortis.* Is enim qui moritur, nondum est mortuus, sed adhuc viuit. *vt supra dixi.*

c *Item, Pridie quàm heres &c.* Olim pridie quàm heres aut legatarius,

gatarius morietur, inutiliter legabatur: veluti si quis ita dicat, Pridie quàm heres meus morietur, Titio mille do lego: vel ita, Pridie quàm Titius morietur, ei mille do lego. Incertus enim dies est qui pridie mortis sit. Nàm post mortem, ad præteritum recurrentes dicimus, diem hesternum pridie mortis fuisse: & quoniam id non nisi ex morte cognoscitur, ideò quando legatur pride quàm heres, aut legatarius morietur, perinde est, quasi post mortem heredis, aut legatarij legatum fuisset. 1 *Theoph. hic.*

d *Simili modo & hoc correximus &c.* Post mortem heredis, aut legatarij, item pridie quàm heres, aut legatarius morietur, hodie rectè legatur. Iustinianus enim firmitatem huiusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem præstitit: ne vel hoc casu deterior causa legatorum, quàm fideicommissorum inueniatur. *text. hic l. scrupolosam* 11. *C. de contraben. & comit. stipul.* ac tandem supradictam Iuris antiqui Regulam, quæ vetabat incipere actionem ab herede, vel contra heredem, quæ 2 non cæpisset à defuncto, vel contra defunctum, omninò sustulit. *l. vnica C. vt act. & ab hered. & contra hered. incip.*

c *Ad fideicommissorum similitudinem.* Fideicommissa autem relinqui licuisse ab heredis, vel legatarij herede, patet ex *l. si fuerit* 5. *ff. de legatis* 3.

Ad §. Pœnæ quoque.

Pœnæ (a) *quoque nomine inutiliter* (b) *antè legabatur, & adimebatur, vel transferebatur. Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coercendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti si quis ita scripserit, Heres meus si filiam suam in matrimonium Titio collocauerit, vel ex diuerso, Si non collocauerit, dato decem aureos Seio: aut si ita scripserit, Heres meus si seruum Stichum alienauerit, vel ex diuerso, si non alienauerit, Titio decem aureos dato. Et in tantum hæc regula obseruatur, vt quampluribus principalibus Constitutionibus significetur, nec Principem quidem agnoscere, quod ei pœnæ nomine legatum sit. Nec ex mili-* 3 4 *tis quidem testamento talia legata valebant, quamuis aliæ militum voluntates, in ordinandis testamentis valdè obseruabantur. Quin etiam nec libertatem pœnæ nomine dari posse placebat. Eo amplius nec heredem pœnæ nomine adiici posse, Sabinus existimabat: veluti si quis ita dicat, Titius heres esto, Si Titius filiam suam Seio in matrimonium collocauerit, Scius quoque heres esto. Nihil enim interest*

verat, qua ratione Titius coerceretur, vtrùm legati datione, an coheredis adiectione. Sed huiusmodi (c) *scrupulositas nobis non placuit: & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alios translata, nihil distare à cæteris legatis constituimus, vel in dando, vel in adimendo, vel in trasferendo, exceptis videlicet ijs,* (d) *quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut alias probrosa. Huiusmodi enim testamentorem dispositiones valere, secta nostrorum temporum non patitur.* 1

a POENÆ *quoquæ nomine &c. Vlpianus in Frag. tit. de legatis §. Pœnæ causa.*

b *Inutiliter anteà legabatur.* Tùm quia in heredis arbitrio positum est, vt legatum debeat, aut non debeat, quòd à lege improbatur, tum etiam quia legata amore legatarij, & ex beneuolentia dari oportet, non odio heredis. *Theoph. hic.* Et ne quidem fideicommissa dari poterant pœnæ causa. *Vlpianus in Frag. tit. de fideicommissis. §. Pœnæ causa,* 2

c *Sed huiusmodi scrupulositas &c.* Iustinianus sua Constitutione, pœnæ nomine, legari, adimi, transferrique posse permisit: dummodo non imponatur impossibilia, vel legibus interdicta, aut aliàs probrosa. *tex. hic l. vnica C. de his quæ pœnæ nomine.* Non enim videtur iniquum, si is, qui à testatore honoratus est, eatenus ac pro modo patrimonij grauari quoque valeat. *l. ab eo 9. C. de fidecommissis.*

d *Exceptis videlicet ijs, quæ impossibilia sunt.* Cum heredi impossibilitas imponitur, non valet legatum. *tex. hic.* Si legatario 3 impossibilitas imponitur, nihilominus valet legatum. *§. Impossibilis. Inst. de hered. instit. Exgl. & Cuiac. hic.*

De Ademptione (a) & translatione legatorum.

TITVLVS XXI.

Ademptio legatorum, siue eodem testamento adimantur legata, siue (b) 4. *codicillis, firma est, siue contrarijs verbis fiat ademptio: veluti, si quod ita quis legauerit, do lego, ita adimatur, non do, non lego: siue non contrarijs, idest, alijs* (c) *quibuscunque verbis.*

a DE *ademptione &c.* Post legatorum dationem, de ademptione & translatione eorumdem videamus. Ambulatoria enim

enim est voluntas defuncti vsque ad vitæ supremum exitum, *l. Quòd si iterum 4. ff. de adimen. vel transfer. leg.*

b *Siue codicillis.* Testamento confirmatis: Non aliter Iure antiquo. *Vlpianus in Frag. tit. de legatis. §. Legatum quod datum est.*

c *Alijs quibuscumque verbis.* Imò, non solùm verbis, sed etiam tacitè adimitur legatum: veluti si capitales, vel grauissimæ inimicitiæ inter testatorem & legatarium supervenerint. *l. Si quis ita 3. §. Non solùm autem ff. de adimen. vel transfer. legat.* Quòd si iterum in amicitiam redierint, legatum redintegratur. *l. quòd si iterum 4. ff. eodem.* 1

Ad §. Transferri.

Transferri (a) *quoque legatum ab alio ad alium potest: veluti si quis ita dixerit, Hominem* (b) *Stichum, quem Titio legaui, Seio do lego: siue in eodem testamento, siue in codicillis hoc fecerit. quo casu simul & Titio* (c) *adimi videtur, & Seio dari.* (d) 2

a *Transferri quoque &c.* Legatum ab alio ad alium potest transferri, siue in eodem testamento, siue in codicillis. *Text. hic.* Et cùm transfertur legatum sub conditione datum, sub eadem conditione transferri videtur, si non conditio priori personæ cohæreat, *l. legatum 24. ff. de adimen. vel transfer. leg.*

b *Hominem Stichum &c.* Non solùm fit translatio legati mutata persona legatarij, vt in hoc exemplo, sed etiam mutata persona onerata legati præstatione: veluti si id, quod à Titio herede legatum est Gaio, eidem legetur à Sempronio coheredè. Item mutata re legata: veluti si pro fundo legato, legentur decem aurei. Item mutato modo legandi: veluti si quod purè datum est, detur sub conditione *l. translatio 6. ff. de adimen. vel transfer. leg.* 3

c *Simul & Titio adimi videtur.* Translatio tacitam in se habet ademptionem. Nàm legatum, quod à Titio ad Seium transfero, tacitè Titio adimo. *Theoph. hic. l. Sicut adimi 5. ff. de adimen. vel transfer. leg.* 4

d *Et Seio dari.* Quod si Seius non sit capax: licet ei non debeatur legatum: nec Titio tamen debebitur, cui fuit ademptum, *l. & si 20. ff. de adimen. vel transfer. leg.*

De

TITVLVS XXII.

Supereſt, (a) *vt de lege Falcidia diſpiciamus, qua modus nouiſſimè legatis impoſitus eſt. Cùm enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi poteſtas, vt liceret vel totum patrimonium legatis erogare (quippe cùm ea lege ita cautum eſſet. Vti legaſſit* (b) *ſuæ rei, ita ius eſto) viſum eſt hanc legandi licentiam coartare: idque ipſorum teſtatorum* (c) *gratia prouiſum eſt, ob id, quòd plerumque inteſtati moriebantur, recuſantibus ſcriptis heredibus pro nullo aut minimo lucro hereditates adire. Et cùm ſuper hoc tam lex* (d) *Furia, quàm lex* (e) *Voconia latæ ſunt, quarum neutra ſufficiens ad rei conſummationem videbatur, nouiſſimè lata eſt* (f) *lex Falcidia, qua cauetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorum: ideſt, vt ſiue vnus heres inſtitutus eſſet, ſiue plures, apud eum, coſue, pars quarta* (g) *remaneret.* 1 2

a *Supereſt, vt de lege Falcidia &c.* Legata relinqui, adimi, tranſferri, minui dicuntur. De legatis relinquendis, adimendis, vel transferendis iàm ſuprà dictum eſt. Supereſt igitur, vt de lege Falcidia, per quam legata minuuntur, diſpiciamus.

b *Vti legaſſit ſuæ rei &c.* Integra lex eſt. Paterfamilias vti legaſſit ſuper pecunia, tutelaue ſua, ita ius eſto. Ex *Vlpiano in Frag. tit.* 11. §. *Teſtamento, iuncta l. ſæpè* 53. *ff. de verb. ſig. & Cornificio ad Herennium lib.* 1. 3

c *Idque ipſorum teſtatorum gratia.* Legem Falcidiam heredum cauſa latam eſſe *Paulus ſcribit in l. poteſt* 71. *ff. ad leg. Falcid.* Contra Iuſtinianus hoc loco fauore teſtatorum eam prodiiſſe tradit: atque hinc altercatio ingens inter Doctores excitata. *Galuanus de Vſufructu cap.* 20. *ſub num.* 9. *circa medium*, principaliter Falcidiam propter publicum bonum, ſecundario propter priuatum commodum teſtatoris, ac heredis latam eſſe putat, atque ibidem vtrumque comprobat. 4

d *Tam lex Furia.* Legem Furiam tulit *C. Furius Trib. pl.* Lege autem Furia cauebatur, ne vltra mille aſſes cuiquam legarentur, mortiſue cauſa donarentur. Quod ſi quis maiorem ſummam ſibi relictam accepiſſet, quadruplum eius, quo pluſquàm licebat, acceperat, reddebat. Hæc lex non ſatisfecit, quoniam adhuc legatarij vniuerſam herediratem abſumere poterant.

Theoph. hic Vlpian. in Frag. tit. 1. §. *Quæ prohibet.*

c *Quàm lex Voconia.* Legem Voconiam tulit *Q. Voconius Trib. pl.* Lege autem Voconia cautum erat, ne legatarius plus haberet quàm heres. Sed tamen & hæc ipsa facilè conuellebatur, multis personis legando. *Ex Theoph.*

f *Lata est lex Falcidia.* Legem Falcidiam *C. Falcidius Trib. pl.* temporibus Augusti rogauit. Et verba ipsius legis referuntur *in l.* 1. *ff. ad legem Falcidiam.* 1

g *Pars quarta remaneret.* Neque potuit olim testator heredem priuare commodo falcidiæ *l. quod bonis* 15. §. 1. *& l. Seius* 27. *ff. ad l. falc.* Sed iure nouissimo, si testator expressim designauerit non velle heredem retinere falcidiam: necessarium est testatoris valere sententiam. *Nouella* 1. *cap.* 2. §. *Hæc autem.* Eodem Iure nouissimo, si heres non fecerit inuentarium, non retinebit Falcidiam: sed solida legata præstabit, etsi fines hereditarios excedant *dicta Nouella* 1. *cap.* 2. §. *si verò non fecerit.* Sunt & alij casus, in quibus legi Falcidiæ locus non est, quos 2
videte apud Mynsingerium hic *sub num.* 17.

Ad §. Et cùm quæsitum.

Et cùm quæsitum (a) *esset, duobus heredibus institutis, veluti Titio, & Seio, si Titij pars aut tota exhausta sit legatis, quæ nominatim ab eo data sunt, aut supra modum onerata: à Seio verò aut nulla relicta sint legata, aut quæ partem eius duntaxat, in partem dimidiam minuant: an quia is quartam partem totius hereditatis, aut amplius* 3
habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relicta sunt, retinere liceret: placuit, vt quartam partem suæ partis saluam habeat, posse retinere. Etenim in singulis (b) *heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est.*

3 ET *cùm quæsitum &c.* Testator quadrigentos solidos in bonis habens, Titium & Seium ex æquis partibus heredes instituit. Legauit autem nominatim à Titio solidos ducentos, aut centum octoginta: A Seio aut verò nihil specialiter legauit, aut centum solidos dumtaxat. Mortuo testatore legatarij cum Ti- 4
tio agebant integra petentes legata. Quæstionis est, an quia Seius quartam partem totius hereditatis, aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relicta sunt retinere liceret: Et placuit, Titium ex legatis, ab eo relictis, tantum retinere posse, vt quartam partem suæ partis saluam habeat: Etenim a singulis heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est.

b *Etenim*

b *Etenim in singulis heredibus &c.. l. In singulis 76. ff. ad leg. Falcid.* In singulis autem heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est, si à singulis nominatim data sint legata : alioquin si simpliciter & ab omnibus legata sint relicta, non est separata singulorum ratio. *Mynsi. hìc.*

Ad §. Quantitas autem.

1 *Quantitas* (a) *autem patrimonij, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur mortis tempore* (b) *spectatur. Itaque si, verbi gratia, is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habebat, centum aureos legauerit : nihil legatarijs prodest, si ante aditam hereditatem per seruos hereditarios, aut ex partu ancillarum hæreditariarum, aut ex fœtu* (c) *pecorum tantùm accesserit hereditati, vt centum aureis legatorum nomine erogatis, heres quartam partem hereditatis habiturus sit, sed necesse est, vt nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diuerso, si septuagintaquinque legauerit, & ante aditam hereditatem in tantum excreuerint bona, incendijs fortè, aut naufragijs, aut morte seruorum, vt non amplius, quàm septuagintaquinque aureorum substantia, vel etiam minus relinquatur, solida legata debentur. Nec ea res damnosa est heredi, cui liberum est* (d) *non adire hereditatem, quæ res efficit, vt sit necesse legatarijs, ne destituto testamento,* (e) *nihil consequanter, cum herede in portione* (f) *pacisci.*

2

a *QVantitas autem patrimonij &c. l. In quantitate 73. ff. ad legem Falcidiam.* 3

b *Mortis tempore spectatur.* Quia legatorum dies cedit à mortis tempore. *l. vnica, §. cum igitur, & §. in nonissimo C. de cad. tol.*

c *Aut ex fœtu pecorum.* Vel ex alijs fructibus *l. In ratione 30. ff. ad leg. Falcid.*

d *Cui liberum est non adire hereditatem.* Heres scriptus adire legatorum seruandorum causa cogi non potest. *Tex. hìc d. l. In quantitate 73. ff. ad legem Falcidiam.* Neque potest cogi adire fideicommissorum particularium seruandorum causa *l. nam quod 14. §. vlt. ff. ad ad Senat. Consult. Trebel.* Cogitur tamen adire 4 fideicommissi vniuersalis seruandi causa *l. Si quis omissa 17. ff. Si quis omis. caus. test. §. Sed quia stipulationes. Inst. de fideicom. hered.* Nam hereditatis onera in fideicommissarium vniuersalem transferuntur, *l. 1. ff. ad Senat. Consult. Trebel. & d. §. Sed quia stipulationes.* In legatarium, vel fideicommissarium particularem non transferuntur.

c *Ne destituto testamento nihil consequantur*. Nemine enim hereditatem adeunte: nihil valet ex his, quæ testamento scripta sunt. *l. si nemo 9. ff. de testam. tut.*

f *In portione pacisci. In dicta l. In quantitate 73. ff. ad leg. Falcid. legitur*. In portionem legatorum pacisci.

Ad §. Cùm autem ratio,

1

Cum autem ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur (a) *æs alienum, item funeris* (b) *impensa, & pretia seruorum* (c) *manumissorum: deinde in reliquo ita ratio habetur, vt ex eo quarta pars apud heredes remaneat, tres verò partes inter legatarios distribuantur, pro rata scilicet portione eius, quod cuique eorum legatum fuerit. Itaque* (d) *si fingamus quadringentos aureos legatos esse, & patrimonij quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum esse, quarta* (e) *pars legatarijs singulis debet detrahi: Quòd si trecentos quinquaginta legatos fingamus, octaua* (f) *debet detrahi. Quòd si* 2 *quingentos legauerit, initio quinta, deinde quarta detrahi debet. Ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet.*

a *Ntè deducitur æs*. In imponenda ratione legis Falcidiæ, omne æs alienum deducitur, etiam quod ipsi heredi mortis tempore debitum fuerit, quamuis aditione hereditatis confusæ sint actiones. *l. In imponenda 6. C. ad leg. Falcid.*

b *Item funeris impensa*. Impensa funeris semper ex hereditate 3 deducitur: quæ etiam omne creditum solet præcedere, cùm bona soluendo non sunt: *l. Impensa 45. ff. de religios. & sumpt. funer.* De impensa monumenti nomine facta quæritur, an deduci debeat? Et Sabinus ita deducendam putat, si necessarium fuerit monumentum extruere *l. 1. §. vlt. ff. ad legem Falcidiam.*

c *Et pretia seruorum manumissorum*. Æris alieni loco deducuntur pretia eorum, quibus libertas data est. *l. Æris alieni 39. ff. ad leg. Falcid.*

d *Itaque si fingamus &c. l. In quantitate 73. §. vlt. ff. ad leg. Falcid.* 4

e *Quarta pars &c.* Verbi gratia, ei cui centum erunt legata, vigintiquinque detrahentur: cui octoginta, viginti.

f *Octaua debet detrahi*. Legatarijs singulis. Verbi gratia, ei, cui centum erunt legata, duodecim cum dimidio detrahentur: cui octoginta, decem.

g *Quod si quingentos legauerit &c*, Si testator, cum quadrigentos aureos

aureos in bonis haberet, quingentos legauerit, veluti Primo, Secundo, Tertio, Quarto, Quinto centenos: Initio quintæ pars legatarijs singulis detrahi debet, vt sic singulis relinquantur octoginta aurei, deinde nomine legis Falcidiæ retinebit heres à singulis legatarijs viginti aureos. *Ex Theoph. hic.*

De fideicommissarijs hereditatibus.

TITVLVS XXIII.

Nunc (a) *transeamus ad fideicommissa. Et prius est, vt de hereditatibus fideicommissarijs videamus.*

a NVnc *transeamus &c.* Dictum est de legatis, nunc ad singularia fideicommissa transeamus, vt proposuimus *in §. Sed non vsque, de legatis*. Sed prius est, vt de fideicommissis 2
vniuersalibus videamus. Oportet enim prius differere de vniuersalibus, & ita venire ad singularia. *Ex tex. & Theoph. hic.* Fideicommissum est, quod precatiuè relinquitur. *Vlpian. in Frag. tit. de legat. in princ. & tit. de fideicom. in princ.* Quod scilicet his, aut similibus verbis fit: peto, rogo, volo, mando, fidei tuæ commitro. §. *vlt. Inst. de singul. reb. per fideicom. relict.* Et fideicommissorum alia sunt vniuersalia, hoc est, ad hereditatem 3
spectantia, de quibus in hoc titulo, alia singularia, quæ scilicet singularum rerum fiunt, de quibus in titulo proximo. Hereditas igitur fideicommissaria, de qua hìc agitur, dicitur illa, quæ precatiuo modo relinquitur: veluti, Rogo te heres, vt hereditatem meam Gaio Seio restituas. §. *In primis igitur, hoc eodem tit.*

Ad §. Sciendum itaque.

Sciendum itaque est, omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse: quia nemo inuitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat. 4
Quibus enim non poterant (a) *hereditatem, vel legata relinquere, si relinquebant, fideicommittebant eorum, qui capere est testamento poterant. Et ideò fideicommissa appellata sunt, quia nullo* (b) *vinculo iuris, sed tantùm pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Postea diuus* (c) *Augustus semel iterùmque gratia personarum motus, vel quia per ipsius* (d) *salutem rogatus quis diceretur, aut ob insignem*

quo-

quorumdam perfidiam, iussit consulibus (c) *auctoritatem suam interponere. Quod quia iustum videbatur, & populare* (f) *erat, paulatim conuersum est* (g) *in assiduam iurisdictionem: tantusque eorum fauor factus est, vt paulatim etiam prætor proprius* (h) *crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem fideicommissarium* (i) *appellabant.*

a *Qvibus enim non poterant hereditatem &c.* Sæpe numero euenie- 1
bat, vt ciuis Romanus moreretur, habens cognatos peregrinos, quibus neque hereditas, neque legata relinqui poterant, propterea quod diuersæ ciuitatis essent. Vocabat hic ergo ciuem aliquem Romanum, qui heres ipsi ex testamento esse posset, quod eum sibi beneuolum, & fidum futurum speraret: eumque heredem scribebat, ac rogabat extra testamentum, vt vel hereditatem totam, vel partem eius, vel certas res illi peregrino restitueret. *Theoph. hic.* Non ta-
men incapacibus tantùm, sed etiam capacibus fideicommissa 2
relinquebantur: Primùm enim causa incapacium introducta fuerunt, posteà paulatim cæperunt relinqui etiam capacibus: Sed tamen omnia erant infirma, vtpotè, quæ nullo iuris vinculo continerentur. *Borch. hic sub numer.* 4. Hodie fideicommissa, quæ capacibus relinquuntur, rata sunt. Sed incapacibus, neque palàm, neque tacitè, in fraudem legis fideicommissa relinqui possunt, quoniam fideicommissa sunt iuris extraordinarij, & vt tandem Iustiniano placuit, iuris ordinarij. *Cuiac. hic.* 3

b *Nullo vinculo iuris.* Quo heres inuitus cogeretur præstare id, de quo rogatus erat.

c *Postea Diuus Augustus.* Diuus Augustus primus omnium ad necessitatem iuris traxit fideicommissa. §. *Et quia prima, hoc cod. tit. & princ. tit. de Codicil.*

d *Per ipsius salutem.* Hoc modo: Vt Augustum saluum atque incolumen cupis, ita promittis. *Ex H.*

e *Iussit Consulibus auctoritatem suam interponere.* Et eum, qui rogatus esset, cogere ad restitutionem. 4

f *Et populare erat.* Et omni populo gratum erat.

g *Paulatim conuersum est in assiduam iurisdictionem.* Assiduè enim de fideicommissis ius dicebatur, & hi, qui rogati erant, cogebantur ad restitutionem.

h *Prætor proprius crearetur.* Diuus Claudius duos prætores adiecit, qui de fideicommisso ius dicerent: ex quibus vnum Diuus

Titus

Titus detraxit *l. 2. §. Post deinde ff. de orig. iur.* Prætor tamen Romæ de fideicommissis vsque ad certam summam tantùm cognoscebat, de maiore Consules ius dicebant, quemadmodum intelligitur *ex Quintil. Instit. Orat. lib. 3. cap. 6.* Non debes, inquit, apud Prætorem petere fideicommissum, sed apud Consules: maior enim prætoria cognitione summa est. In Prouincijs verò cognitio erat Præsidum prouinciarum. *Vlpian. in fragmen. tit. 25. §. Fideicommissa.* 1

i *Quem fideicommissarium appellabant.* Idem Vlpianus vbi supra.

Ad §. In primis igitùr.

In primis igitur sciendum est, opus esse, (a) *vt aliquis recto iure* (b) *testamento heres instituatur, eiusque fideicommittatur, vt eam hereditatem alij restituat. alioquin inutile est* (c) *testamentum, in quo nemo heres instituitur. Cùm igitur aliquis scripserit, Lucius Titius heres esto: poterit adijcere, Rogo te Luci Titi, vt cum primum po-* 2 *teris hereditatem meam adire, eam Gaio Seio reddas restituas. Potest autem quisque & de parte restituenda heredem rogare: & liberum est, vel purè, vel sub conditione relinquere fideicommissum, vel ex die* (d) *certo.*

a *Opus esse &c.* Quando quis vult testamento relinquere fideicommissariam hereditatem.

b *Recto iure.* Directis verbis. Titius heres esto, Titius heres sit, Titium heredem esse iubeo. *Vlpian. In frag. tit. 21.* 3

c *Alioquin inutile est testamentum, in quo nemo &c.* Testamenta vim ex institutione heredum accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio. §. *Ante heredis, Instit. de Legatis.*

d *Vel ex die certo.* Veluti, Post quinquennium, quàm moriar.

Ad §. Restituta.

4

Restituta autem hereditate, is qui restituit, nihilominus heres (a) *permanet: is verò, qui recipit hereditatem, aliquando heredis,* (b) *aliquando legatarij loco habetur.*

a *Nihilominus heres permanet.* Regula namque iuris est: Qui semel heres extitit, non potest heres esse desinere. *l. Fe-*

si

si sine 8. §. *Sed quod Papinianus ff. de minor.* 25. *an. l. Ei, qui solvendo* 88. *ff. de hered. instit.* Vnde sequitur, quod qui hereditatem restituit, nihilominus & conueniri, & agere iure hereditario possit: sed exceptione veliuuatur, vel remouetur. *l.* 1. §. *Quamquam autem ff. Ad Senat. Conf. Trebel.*

b *Aliquando heredis, aliquando legatarij &c.* Si ex Trebelliano fiat restitutio, fideicommissarius est loco heredis: si verò ex Pegasiano, loco legatarij. *Vlpianus in frag. tit.* 25. §. *Is qui rogatus.* 1 Hodie tamen fideicommissarius semper loco heredis habetur cum virtus Pegasiani sit attributa Trebelliano, vt videbimus ad §. *Sed quia stipulationes hoc eod. tit. Ex Mynsh. hic sub n.* 3.

Ad §. Et Neronis.

Et Neronis quidem temporibus Trebellio maximo & Annæo Seneca consulibus Senatus Consultum (a) *factum est: quo cautum est, vt si hereditas ex fideicommissi causa restituta sit, omnes* (b) *actiones,* 2 *quæ Iure Ciuili* (c) *heredi & in heredem competerent ei, & in eum darentur* (d) *cui ex fideicommisso restituta esset hereditas. Post quod Senatus Consultum prætor vtiles actiones ei & in eum, qui recipit hereditatem, quasi heredi* (e) *& in heredem dare cæpit.*

a *Senatus Consultum factum est.* Cuius verba extant apud Vlpianum *in l.* 1. *in princ. ff. ad Senat. Conf. Trebel.*

b *Omnes actiones.* Omnes in solidum, lege Falcidia nondum porrecta ad fideicommissa. *Cuiac. hic.* 3

c *Quæ iure ciuili.* Quamuis Senatus de ijs actionibus transferendis loquatur, quæ iure ciuili heredi, & in heredem competunt, tamen etiam honorariæ actiones transeunt: imò etiam causa naturalium obligationum transit. *l. Quamuis* 40. *ff. ad Senat. Conf. Trebel.*

d *Ei & in eum darentur, cui ex fideicommisso &c.* Cùm esset æquissimum in omnibus fideicommissarijs hereditatibus, si qua de his bonis iudicia penderent, ex ijsdem bonis eos potius iudicia subire, in quos ius fructusquæ transfertur, quam cuiquam 4 periculosam esse fidem suam. *l.* 1. *in princ. ff. ad Senat. Conf. Trebel.* Sublata est igitur hoc Senatus Consulto dubitatio eorum, qui adire hereditatem recusarent, seu metu litium, seu prætextu metus. *d. l.* 1. §. 1.

e *Quasi heredi & in heredem.* Potuit Senatus fideicommissarium heredem facere. §. *Quos autem, Instit. de bonorum possess.* At quia here-

heredem eum non fecit, & de transferendis tantùm actionibus cauit, ideo heredi & in heredem directæ, fideicommissario & in fideicommissarium vtiles dantur, tanquam in heredem §. *Ergo, hoc eodem tit.* Heredem autem non fecit Senatus fideicommissarium propterea, quia iam alter iure ciuili factus locum obtinebat. *Ex Cuiac. & H. hic.*

Ad §. Sed quia heredes.

Sed quia heredes scripti, cùm aut totam hereditatem, aut penè totam plerumque restituere rogabantur, adire hereditatem ob nullum, vel minimum lucrum recusabant, atque ob id extinguebantur (a) *fideicommissa: postea Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione Consulibus, Senatus censuit, vt ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. Ex singulis* (b) *quoque rebus, quæ per fideicommissum relinquuntur, eadem retentio permissa est. Post quod Senatus Consultum ipse heres onera* (c) *hereditaria sustinebat: Ille autem, qui ex fideicommisso recipiebat partem hereditatis, legatarij*)d) *partiarij loco erat, ideſt, eius legatarij, cui pars bonorum* (e) *legabatur, quæ species legati, partitio vocabatur, quia cum herede legatarius partiebatur hereditatem. Vnde quæ solebant* (f) *stipulationes inter heredem, & partiarium legatarium interponi, eædem interponebantur* (g) *inter eum, qui ex fideicommisso recepit hereditatem, & heredem, ideſt, vt & lucrum & damnum hereditarium pro rata parte inter eos commune esset:*

a *Atque ab id extinguebantur fideicommissa.* Nihil enim valet ex iis, quæ testamento scripta sunt, si nemo hereditatem adierit. *l. Eam quam 14. C. de fideicom. l. Si nemo 9. ff. de testam tut.*

b *Ex singulis quoque rebus &c.* Neque vero tantùm in immensis fideicommissis vniuersalibus, sed etiam in iis per quæ singulæ res relinquuntur, hæc retentio quartæ permissa est. Quod enim in immensis legatis est lex falcidia, id in immensis fideicommissis est Senatus Consultum Pegasianum. *Theoph. hic.*

c *Ipse heres onera hereditaria sustinebat.* Commoda etiam hereditaria ad ipsum heredem pertinebant. Ei enim & in eum actiones hereditariæ dabantur, Sed inter ipsum & fideicommissarium interponebatur stipulationes de lucro & damno communicando, vt sequitur hic in textu:

d *Legatarij partiarij loco erat. Vlpianus in frag. tit. 24.* Sicut singulares legari possunt, ita vniuersarum quoque summa legari potest: vt puta, Mæuius heres meus cum Titio hereditatem meam partito, diuidito: quo casu dimidia pars bonorum legata videtur. Potest autem & alia pars, velut tertia, vel quarta legari: quæ species Partio appellatur.

c *Cui pars bonorum legabatur.* Seù potiùs, cui pars hereditatis legabatur. Nam si e. g. ita legatum sit, bonorum meorum partem tertiam, non est Partitio. *Cuiac. ad Vlpian.* loco supra allegato. 1

f *Vnde quæ solebant stipulationes inter heredem &c.* Solebant inter heredem & partiarium legatarium interponi stipulationes partis & pro parte. Partis autem & pro parte stipulationes propriè dicuntur, quæ de lucro & damno communicando solent interponi inter heredem. & legatarium partiarium, idest, cum quo partitus est heres. *Vlpianus in frag. tit 25. §. Ex Pegasiano.* 2

g *Eadem interponebantur inter eum &c.* Hoc est, promittebat heredi fideicommissarius pro rata parte se ei redditurum id, quod creditoribus hereditarijs soluerit, & vicissim fideicommissario promittebat heres pro rata parte se ei restituturum id, quod à debitoribus hereditarijs exegerit.

Ad §. Ergo si quidem.

Ergo si quidem non plus, quam dodrantem hereditatis scriptus heres rogatus sit restituere, tunc ex Trebelliano Senatus Consulto restituebatur hereditas, & in vtrumque actiones hereditariæ pro rata parte dabantur: in heredem quidem iure ciuili in eum verò, qui recipiebat hereditatem ex Senatus Consulto Trebelliano tanquam (a) *in heredem. At si plus quàm dodrantem, vel etiam totam hereditatem restituere rogatus esset, locus erat Pegasiano Senatus Consulto: & heres, qui semel adierat hereditatem, si modò sua voluntate* (b) *adierat, siue retinuerat quartam partem, siue retinere noluerat, ipse vniuersa onera hereditaria sustinebat. Sed quarta quidem retenta*, 3

quasi partis & pro parte (c) *stipulationes interponebatur, tanquam inter partiarium legatarium & heredem. Si verò totam hereditatem restituere, emptæ & venditæ* (d) *hereditatis stipulationes interponebantur. Sed si recusabat* (e) *scriptus heres adire hereditatem, ob id, quod diceret eam sibi suspectam esse quasi damnosam, cauebatur Pegasiano Senatus Consulto, vt desiderante eo, cui restituere* 4

roga-

rogatus esset, iussu prætoris (f) *adiret*, (g) *& restitueret hereditatem : perindeque ei & in eum, qui reciperet hereditatem, actiones darentur* (h) *ac iuris est ex Trebelliano Senatus Consulto. quo casu nullis stipulationibus est opus : quia simul & huic, qui restituit, securitas datur, & actiones hereditariæ ei, & in eum transferuntur, qui recipit hereditatem vtroque Senatus Consulto* (i) *in hac specie concurrente.*

a *Tanquam in heredem.* Vide notata supra *Ad §. Et Neronis, hoc eod. tit.* In verbo quasi heredi & in heredem. 1

b *Si modò sua voluntate adierat.* Nam si à Prætore coactus adierat, onera hereditaria non sustinebat: vt sequitur hic *in tex. vers.* Sed si recusabat.

c *Quasi partis & pro parte stipulationes interponebantur.* De quibus dictum est ad §. *Sed quia heredes, hoc eodem tit. In penult. & vlt. nota.*

d *Emptæ & venditæ hereditatis stipulationes interponebantur.* Idest, quemadmodùm emptori hereditatis promittebat heres, si quid ab hereditario debitore exegerit, id emptori præstare, ità etiam idem promittebat fideicommissario: Et quemadmodum emptor hereditatis, ità etiam fideicommissarius promittebat heredi, si quid creditor hereditarius ab eodem herede exegerit, id ei reddere. 2

e *Sed si recusabat &c.* Si heres damnosam hereditatem dicat, cogetur à prætore adire, & restituere totam, ita vt ei & in eum qui recipit hereditatem, actiones dentur, perinde atque ex Trebelliano Senatus Consulto restituta fuisset: idque vt ita fiat, Pegasiano Senatus Consulto cautum est *Vlpian. in frag. tit. 25. §. Si heres.* 3

f *Iussu prætoris.* Heres, qui recusat adire, in vrbe per Prætorem, fideicommissario postulante, hereditatem adire, & restituere compellitur, vt hic in tex. In prouinciis per magistratus municipales, ex auctoritate præsidis. *Paul. Recept. sent. lib. 4. tit. 4. §. heres.*

g *Adiret.* Ipsius periculo, cui restituere rogatus esset. *l. Quia potuerat 4. ff. ad Senat. Consul. Trebel.* 4

h *Actiones darentur.* Omnes actiones in vniuersum.

i *Vtroque Senatus Consulto in hac specie concurrente.* Et Pegasianum quidem, scriptum heredem adire cogit Trebellianum verò transfert actiones. *Theoph. hic.*

Ad §. Sed quia ſtipulationes.

Sed quia(a)*ſtipulationes ex Senatus Conſulto Pegaſiano deſcendentes,& ipſi antiquitati diſplicuerunt, & quibuſdã caſibus captioſas eas humo excelſi ingenij Papinianus appellat,& nobis in legibus*(b)*magis ſimplicitas,quàm difficultas placet:ideò omnibus nobis ſuggeſtis tam ſimilitudinibus,quàm differentijs vtriuſque Senatus Conſ.placuit exploſo* 1 *Senatus Conſ. Pegaſiano, quod poſtea ſupernenit,omnem auctoritatẽ Trebelliano Senatus Conſulto præſtare, vt ex eo fideicommiſſariæ hereditates reſtituantur: ſiue habeat heres* (c) *ex voluntate teſtatoris quartam, ſiue plus, ſiue minus,* (d) *ſiue nihil penitus: vt tunc quando vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, liceat ei vel quartam, vel quod deeſt, ex noſtra auctoritate retinere, vel repetere* (e) *ſolutum, quaſi ex Trebelliano* (f) *Senatus Conſulto, pro rata portione,* (g) *actionibus tam in heredem, quam in fideicommiſſarium competentibus. Si verò totam hereditatem ſponte reſtituerit, omnes hereditariæ actiones fideicommiſſario & aduerſus eum competant. Sed etiam id, quod præcipuum* (h) *Pegaſiani Senatus Conſulti fuerat, vt quando recuſabat heres ſcriptus ſibi datam hereditatem adire, neceſſitas ei imponeretur totam hereditatem volenti fideicommiſſario reſtituere, & omnes ad eum, & contra eum tranſire actiones: & hoc tranſpoſuimus ad Senatus Conſultum Trebellianum, vt ex hoc ſolo & neceſſitas* (i) *heredi imponatur, ſi ipſo nolente adire, fideicommiſſarius deſiderat reſtitui ſibi hereditatem, nullo, nec damno, nec commodo apud heredem remanente.* 2 3

a *Stipulationes ex Senatus Conſulto Pegaſiano deſcendentes.* Quaſi partis & pro parte ſtipulationes. De quibus ſuprà dictum eſt ad §. *Sed quia heredes, hoc tit. in penult. & vlt. nota.*

b *Et nobis in legibus magis ſimplicitas.* Nota ſimplicitatem legibus amicam §. *Cæterum de legit. adgnat. ſucceſſ.*

c *Siue habeat heres ex voluntate Teſtatoris quartam ſiue plus.* Quo caſu reſtituebatur hereditas ex Trebelliano Senatus Conſulto. §. *ergo, hoc eodem tit.* 4

d *Siue minus, ſiue nihil penitus.* Quo caſu locus erat Pegaſiano Senatus Conſulto. *d.* §. *Ergo.*

e *Vel repetere ſolutum.* Error facti, quartæ ex cauſa fideicommiſſi non retentæ repetitionem non impedit, probato errore. Is autem qui ſciens ſe poſſe retinere vniuerſum reſtituit: condictionem non habet: quin etiam ſi ius ignorauerit, ceſſat

sat repetitio. *l.Error 9. C. ad leg. Falcid. iuncta l.Si heres 68. §.vlt. ff.Ad Senat.Conf.Treb.*

f *Quasi ex Trebelliano Senatus Consulto.* Ideò inquit Imperator, Quasi ex Trebelliano Senatus Consulto, quia Senatus Consulto Trebelliano, de retinenda quarta, nihil erat cautum, sed Iustinianus effecit, quòd heres ex Trebelliano quartam retineret, quam ex Pegasiano retinere solebat. *Borch.hic sub num.3.*

g *Pro rata portione, actionibus tàm in heredem &c.* In hoc quarta 1
Trebelliana, à Falcidia differt. Heres enim Falcidia retenta, nullas excipit actiones, quia, cum ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum, §. *Cùm autem, Instit.de l.Falcid.*

h *Quod præcipuum Pegasiani Senatus Consulti fuerat &c.* Vt supra eod. §. *Ergo siquidem*, vers. *Sed si recusabat*, cum ibi notatis.

i *Et necessitas heredi imponatur &c.* Non tamen heres scriptus 2
potest cogi adire fideicommissorum particularium seruandarum causa, *l.Nam quod 14.§.vlt.ff.Ad senat.Consult.Trebel.* Vide notata *supra ad §. Quantitas autem, Instit.de leg. Falcid.* In verbo, *Cui liberum est &c.*

Ad §. Nihil autem.

Nihil autem (a) *interest, vtrum aliquis ex asse heres institutus, aut totam hereditatem, aut pro parte restituere, an ex parte heres institutus, aut totam eam partem, aut partem partis restituere rogatus sit. Nam & hoc casu eadem obseruari præcipimus, quæ in totius hereditatis restitutione diximus.* 3

a *Nihil autem interest &c.* Quæ superiùs dicta sunt obseruari hodie in restitutione hereditatis fideicommissariæ, locum habent, siue aliquis ex asse heres institutus rogatus sit, aut totam hereditatem, aut pro parte restituere: siue ex parte heres institutus rogatus sit, aut totam eam partem, aut partem partis restituere.

Ad §. Si quis vna. 4

Si quis vna aliqua re deducta, siue præcepta, quæ quartam (a) *continet, veluti fundo, vel alia re, rogatus sit restituere hereditatem: simili modo ex Trebelliano Senatus Consulto* (b) *restitutio fiet, perinde ac si, quarta parte retenta, rogatus esset reliquam hereditatem restituere. Sed illud interest, (c) quòd altero casu, ideò, cum deducta,*

ducta, siue præcepta aliqua re, vel pecunia, restituitur, hereditas, in solidum ex eo Senatus Consulto actiones transferuntur: & res, quæ remanet apud heredem, sine vllo onere hereditario apud eum remanet, quasi ex legato ei adquisita. Altero verò casu, ideſt, cum quarta parte retenta rogatus est heres restituere hereditatem, & restituit, scinduntur actiones, & pro dodrante quidem transferuntur ad fideicommissarium: pro quadrante remanent apud heredem. Quin etiam licet vna re aliqua deducta, aut præcepta, restituere aliquis 1
hereditatem rogatus est, qua maxima pars hereditatis contineatur: æquè in solidum (d) *transferuntur actiones, & secum deliberare debet is, cui restituitur hereditas, an expediat sibi restitui. Eadem scilicet interueniunt, & si duabus pluribusue deductis, præceptiue rebus, restituere hereditatem rogatus sit. Sed & si certa summa deducta, præceptaue, quæ quartam, vel etiam maximam partem hereditatis continet, rogatus sit aliquis hereditatem restituere, idem iuris est. Quæ autem* (e) *diximus de eo, qui ex asse heres institutus est, eadem transferimus, & ad eum, qui ex parte heres scriptus est.* 2

a *Quæ quartam continet.* Quod si res, quam heres præcipere iussus est, quadrantem non efficiat, peti poterit, vel retineri supplementum: sed æquum erit, heredem pro ratione istius supplementi subijci oneribus hereditarijs, saltem in subsidium. *Mynsing. hic sub num. 2.*

b *Ex Trebelliano Senatus Consulto restitutio fiet. l. 1. §. Si heres ff. Ad Senat. Conf. Trebel.*

c *Sed illud interest &c.* Multum interest, vtrum pars quarta iure 3
hereditario retineatur: an verò in re, vel in pecunia. Nam superiore casu actiones diuiduntur inter heredem, & fideicommissarium: posteriore verò apud fideicommissarium sunt actiones, *l. Si legatus 30. §. Multum interest, ff. Ad Sen. Conf. Trebell.*

d *Æquè in solidum transferuntur actiones.* Adhuc enim iussus restituere, loco legatarij habetur, sicque immunis esse debet ab omni onere hereditario, instar legatarij. Æquitati tamen consentaneum est, vt consumpta fideicommissarij portione, quod vltra quartam heres habet, oneribus hereditarijs obnoxium 4
fiat: multo magis creditoribus, qui si alioqui fraudarentur, possent etiam totum legatum reuocare. *Mynsing. hic sub num. 7.*

c *Quæ autem diximus &c.* Quæ dicta sunt de eo, qui ex asse heres institutus est, locum habent etiam in eo, qui ex parte heres scriptus est. *Text. hic.* Itaque si quis ex parte heres institutus, certa aliqua re, certisue rebus deductis, siue præceptis,

aut

aut certa summa deducta, præceptaue, reliquum alteri restituere rogatus sit, facta restitutione, ad fideicommissarium actiones eius partis transferuntur in solidum: licet quarta, aut etiam maxima pars illius partis hereditatis in certa illa re, certisue rebus, aut certa summa, contineatur. Si verò, quarta retenta, rogatus sit reliquum suæ partis restituere, facta restitutione, actiones huius partis hereditatis diuiduntur inter heredem, & fideicommissarium pro rata portione. 1

Ad §. Præterea.

Præterea (a) *intestatus quoque moriturus, potest rogare cum, ad quem bona sua, vel legitimo* (b) *iure, vel honorario pertinere intelligit: vt hereditatem suam totam, partemue eius, aut rem aliquam, veluti fundum, hominem, pecuniam, alicui restituat. cùm alioquin legata,* (c) *nisi ex testamento, non valeant.* 2

a *Præterea intestatus quoque &c.* Intestatus quoque moriturus, fideicommissum relinquere potest. *Vlpianus in frag. tit.* 25. Et ideo fideicommissa dari possunt à succedentibus ab intestato, quoniam creditur paterfamilias sponte sua his relinquere legitimam hereditatem. *l.* 8. *ff. de Iur. Codicill.*

b *Vel legitimo iure, vel honorario. Vlpianus in l. Recusare* 6. §. *Meminisse ff. ad Sen. Cons. Treb.* Est verius, eoque iure vtimur, vt hoc Senatus Consultum ad intestatos quoque pertineat, siue legitimi, siue honorarij sint successores. 3

c *Cum alioquin legata, nisi ex testamento non valeant.* Hodiè tamen legata relicta ab intestato, valent. Cùm legata fideicommissis per omnia sint exæquata, vt suprà *in tit. de legatis, ad* §. *Sed non vsque*, expositum fuit.

Ad §. Eum quoque.

Eum quoque, (a) *cui aliquid restituitur, potest rogare, vt id rursum alij aut totum, aut pro parte, vel etiam aliquid aliud restituat.* 4

a *EVM quoque &c.* Fideicommissarius quoque rogari potest, vt id, quod sibi restitutum fuerit, rursum alij, aut totum, aut pro parte, vel etiam aliquid aliud restituat. *Text. hic.* De illo quærtur: an is, cui ex causa fideicommissi restituta est hereditas ex Trebelliano Senatus Consulto, ipse quoque restituendo

tuendo ex eodem Senatus Consulto, transferat actiones? Et Iulianus scribit, etiam ipsum transferre actiones. *l.1. §. De illo ff. Ad Senat. Conf. Treb.* Non tamen fideicommissario, qui fideicommisso oneratus est, datur deductio Quartæ. *l. Mulier 22. §. vlt. ff. Ad Senat. Conf. Trebel. l. Si patroni 55. §. Qui fideicommissariam ff. eod.* Nisi proponatur ex facto, primum heredem, Quartam ideò non detraxisse, quòd eam donare volebat fideicommissario, *l.1. §. Denique ff. Ad Senat. Conf. Trebel.* Hoc tamen in dubio non præsumitur. Vide *Fachin. Controu. Iuris lib. 5. cap. 7.* 1

Ad §. Et quia.

Et quia prima (a) *fideicommissorum cunabula à fide heredum pendent, & tàm nomen, quàm substantiam acceperunt: & ideò Diuus Augustus ad necessitatem iuris ea* (b) *detraxit, nuper & nos eundem Principem superare contendentes, ex facto, quod Tribonianus vir excelsus quæstor* (c) *sacri palatij suggessit, Constitutionem* (d) *fecimus:* 2 *per quam disposuimus, si testator fidei heredis sui commisit, vt vel hereditatem, vel speciale fideicommissum restituat, & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero, qui in fideicommissis* (e) *legitimus esse noscitur, possit res manifestari, sed vel pauciores, quàm quinque, vel nemo penitùs testis interuenerit: tunc siue pater heredis, siue alius quicumque sit, qui fidem heredis elegerit, & ab eo restitui aliquid voluerit: si heres perfidia tentus adimplere fidem recusat, nogando rem ita esse subsequutam: si fideicommissarius ius iurandum* (f) *ei detulerit, cum priùs ipse de calumnia* (g) *iurauerit:* 3 *necesse eum habere* (h) *vel iusiurandum subire, quod nihil à testatore audiuit, vel recusantem ad fideicommissi, vel vniuersitatis, vel specialis solutionem coarctari, ne pereat vltima voluntas testatoris fidei heredis commissa. Eadem obseruari* (i) *censuimus, & si à legatario, vel fideicommissario aliquid simile relictum sit. Quòd si is,* (k) *à quo relictum dicitur, confiteatur quidem à se aliquid relictum esse, sed ad legis* (l) *subtilitatem decurrat: omnimodo soluere cogendus est.* 4

a *Et quia prima fidecommissorum cunabula &c.* Vide Textum in §. *Sciendum itaque, h.t.* cum his, quæ ibi notaui.

b *Ea detraxit.* Legendum est: eadem traxit.

c *Quæstor sacri palatij.* Vide notata supra. Ad §. *Cumque hoc,* In Proœmio, In verbo, *Exquæstore sacri palatij.*

d *Constitutionem fecimus. In l. vlt. C. de fidecommissis.*

c *Qui in fideicommissis legitimus &c.* Quinque testium numerus in fideicommissis legitimus esse noscitur. *Text. hic. l. vlt. §. vlt. C. de Codicillis.* Vbi Imperator Theodosius ait, quod in omni vltima voluntate, excepto testamento, quinque testes, vel rogati, vel qui fortuitò venerint, in vno eodemque tempore debent adhiberi, siue in scriptis, siue sine scriptis voluntas conficiatur: testibus videlicet quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accommodantibus.

f *Iusiurandum ei detulerit.* Heredi scilicet, à quo præsenti affirmat fideicommissum relictum.

g *Cùm prius ipse de calumnia iurauerit.* Ideſt, se non animo calumniandi iusiurandum deferre. *Theoph. hic.* Et regulariter, qui iusiurandum defert, prior de calumnia iurare debet, si hoc exigatur. *l. Iusiurandum 34. §. Qui iusiurandum ff. de Iurę iurando.*

h *Necesse eum habere, vel iusiurandum subire &c.* Adeò quidem, vt ei non liceat iuramentum sibi delatum fideicommissario referre, *Eguin. Bar. & Mynſ. hic.* Vtcunque regulariter detur facultas reo, vt si malit, referat iusiurandum, *l. Iusiurandum 34. §. Ait prætor, & l. Manifestæ 38. ff. de Iureiur. l. Delata 9. C. eod.*

i *Eadem obseruari censuimus &c. Dicta l. vltima C. de fideicommissis.* Itaque non heres tantùm, sed etiam legatarius, vel fideicommissarius, à quo fideicommissum relictum dicitur, vel cogitur iurare vt suprà, vel soluere.

k *Quòd si is, à quo relictum dicitur &c.* In vulgatis Codicibus hoc loco additur, Postquam negauerit, quæ tamen verba nec Theophilus agnouit, nec etiam extant *in d. l. vlt. C. de fidicommissis*, cuius sententia hoc eodem loco refertur. Delenda igitur sunt. Neque enim hæc constituit Iustinianus in pœnam mendacij, sed fauore fideicommissorum.

l *Sed ad legis subtilitatem decurat.* Obijciendo, fideicommissum non iure relictum fuisse.

De Singulis (a) rebus per fideicommissum relictis.

TITVLVS XXIV.

Potest autem quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere, veluti fundum, hominem, vestem, aurum, argentum, pecuniam, nume-

numeratam : & vel ipſum (b) *heredem rogare, vt alicui reſtituat, vel legatarium, quamuis à legatario* (c) *legari non poſſit.*

a DE *ſingulis rebus &c.* Explicito titulo, qui ad fideicommiſſa vniuerſalia pertinet, tranſeamus nunc ad fideicommiſſa rerum ſingularium, vt propoſuimus in continuatione tituli præcedentis.

b *Et vel ipſum heredem rogare &c.* Imò ſi quis non ab herede, 1
vel legatario, ſed ab heredis, vel legatarij herede fideicommiſſum reliquerit: hoc valere, benignum eſt. *l. Si fuerit 5. ff. de legatis 3.* Et non ſolùm heres, vel legatarius rogari poteſt, vt hanc, vel illam rem alicui reſtituat, vt hic in textu, ſed etiam fideicommiſſarius. §. *Poteſt autem*, hoc titulo. Et generaliter omnes, ad quos aliquid peruenturum eſt morte fideicommittentis, rogari poſſunt, vt aliquid reſtituant. *l. 1. §. Sciendum ff. de legatis 3.*

c *Quamuis à legatario legari non poſſit. Vlpianus in frag. titul.* 24. 2
§. *A legatario. Gaius lib. 2. Inſt. tit. 7.* §. *Ab ipſo.* Hodiè per omnia exæquata ſunt legata fideicommiſſis, vt in titulo de legatis, *ad* §. *Sed non vſque*, expoſitum fuit. Et ideò ſicuti fideicommiſſa à legatario poſſunt relinqui, ita legatum etiam à legatario relinqui poteſt. *Borch. hic ſub num. 2. Sed Pacius in d.* §. *Sed non vſque, in Analy.* ait, quod legatum à legatario relictum, hodie valet quidem, non tamen vt legatũ, ſed quaſi fideicommiſsũ.

Ad §. Poteſt autem. 3

Poteſt autem non ſolùm proprias res teſtator per fideicommiſſum relinquere : ſed & (a) heredis, aut legatarij, aut (b) fideicommiſſarij, aut cuiuslibet alterius. Itaque & legatarius & fideicommiſſarius non ſolùm de ea re rogari poteſt, vt eam alicui reſtituat, quæ ei relicta ſit, ſed etiam de alia, ſiue ipſius, ſiue aliena ſit. Hoc ſolùm obſeruandum eſt, ne plus quiſquam rogetur alicui reſtituere, quàm ipſe ex teſtamento (c) *ceperit, nàm quod amplius eſt, inutiliter* (d) *relinquitur. Cùm autem aliena* (d) *res per fideicommiſſum relinquitur, neceſsè eſt ei, qui rogatus eſt, aut ipſam redimere, & præſtare, aut æſtimationem eius ſoluere.* 4

a SED *& heredis &c.* Heredum etiam res proprias per fideicommiſſum relinqui poſſe, non ambigitur, *l. Heredum 25. C. de fideicommiſſis.*

b *Aut*

b *Aut fideicommissarij*. Qui fideicommisso oneratur.

c *Ex testamento*. Vel alia defuncti voluntate.

d *Inutiliter relinquitur*. De suo enim quemque non de alieno largiri oportet. *Cuiac. hic.*

e *Cum autem aliena res &c.* Cùm aliena res per fideicommissum relinquitur, necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere, & præstare, aut æstimationem eius soluere, si non potest redimere. Vide notata ad §. *non solùm autem*, de legatis. Nàm ea, quæ ibi dicta sunt de legatis, hic de fideicommissis dicenda sunt. 1

Ad §. Libertas quoque.

Libertas (a) *quoque seruo per fideicommissum dari potest, vt heres eum rogetur manumittere, vel legatarius, vel fideicommissarius, nec interest, vtrum de suo proprio seruo testator roget, an de eo, qui ipsius heredis, aut legatarij, vel etiam extranei* (b) *sit. Itaque & alienus* 2
seruus redimi, (c) *& manumitti debet. Quòd si dominus* (d) *eum non vendat, si modò nihil* (c) *ex iudicio eius, qui reliquit libertatem, recepit; non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur: quia possit tempore procedere, vbicumque occasio serui redimendi fuerit, præstari libertas. Qui autem* (f) *ex fideicommissi causa manumittitur, non testatoris fit libertus, etiamsi testatoris seruus sit, sed eius, qui manumittit. At is, qui directò testamento liber esse iubetur, ipsius testatoris libertus fit, qui etiam orcinus* (g) *appellatur. Nec alius vllus* (h) *directo ex testamento libertatem ha-* 3
bere potest, quàm qui vtroque tempore testatoris fuerit, & quo faceret testamentum, & quo moreretur. Directò (i) *autem libertas tunc dari videtur, cùm non ab alio seruum manumitti rogat, sed velut ex suo testamento* (k) *libertatem ei competere vult.*

a *Libertas quoque &c.* Libertates etiam per fideicommissum dari possunt, & quidem largiùs, quàm directò. Nàm non tantùm proprijs, sed & alienis seruis per fideicommissum libertas dari potest, *l. libertates 16. ff. de fideicom. libert.* Sed iure di- 4
recto libertatem seruis alienis nemo potest dare. *l. Seruo tuo 9. C. de testam. manumiss.*

b *Vel etiam extranei*. Paulus respondit, & si alienus inueniatur seruus, quem vt suum testator ab vno ex heredibus voluerit manumitti, tamen cogendum eum, qui est rogatus, redimere eum, & manumittere: quoniam non putauit similem esse cau-

sam libertatis, & fideicommissi pecuniarij, *l. Paulus respondit 39. ff. de fideicom. libert.*

c *Redimi.* Iusto pretio. *l. Alieno seruo 31. §. vlt. ff. de fideicomm. libert.* Obstare videtur. *l. Impuberem 22. §. Si testamentarius ff. ad leg. Cornel. de falsi.* Ex qua constat, quod rogatus manumittere seruum alienum cogitur etiam magno pretio illum redimere, & manumittere. Existimo, quod verba illa, Magno pretio, significent pretium rigorosum. Habet enim quælibet res pretium infimum, moderatũ, & rigorosum, quæ omnia pretia sunt iusta. 1

d *Quòd si dominus eum non vendat &c. l. Deberi 6. C. de fideicommiss. libert.*

e *Si modò nihil ex iudicio eius &c.* Nam si quid ex defuncti voluntate percepit, omnino seruum vendere cogitur. *Theoph. hic. l. Si te donatam 13. C. de fideicom. libert.*

f *Qui autem ex fideicommissi causa &c. Vlpianus in fragm. tit. 2. §. Is qui directò.*

g *Qui etiam orcinus appellatur.* Appellatur Orcinus, siue Acherontiscus, quasi Orci siue Charontis libertus. Nullius namque viuentis est libertus. *l. si necem 4. ff. de bon. libert. iuncta l. Qui ob necem 5. ff. Qui sine manumissione &c. Cuiac. obseru. lib. 3. cap. 23.* 2

h *Nec alius vllus directò &c.* Seruius existimabat ijs posse seruis dari testamento directam libertatem, qui vtroque tempore, & quo testamentum fit, & quo moritur, testatoris fuerint, quæ sententia vera est. *l. Seruius 35. ff. de manumissis testam.*

i *Directò autem libertas &c.* Libertas & directò potest dari, hoc modo, liber esto, liber sit, liberum esse iubeo: & per fideicommissum, vt puta, Rogo, fideicommitto heredis mei, vt Stichum seruum manumittat. *Vlpian. in fragm. tit. 2. §. Libertas.* Et libertates directæ & testamento & codicillis testamento cõfirmatis rectè dantur: fideicommissæ & ab intestato, & codicillis non confirmatis relinqui possunt. *l. libertates 43. ff. de manumiss. testam.* 3

k *Ex suo testamento libertatem ei competere vult.* Igitur testamento libertas directò data competit statim quam adita fuerit hereditas, vel ab vno ex heredibus. *l. si legato 11. §. Cùm testamento, & l. Testamento 23. §. Testamento ff. de manumiss. testamento.* 4

Ad §. Verba autem.

Verba autem fideicommissorum hæc maximè (a) *in vsu habentur : Peto, Rogo, Volo, Mando, Fidei tuæ committo. quæ perinde singula firma sunt, atque si omnia in vnum congesta essent.*

a HÆC *maximè in vsu habentur*. Sunt enim & alia multa, vt Deprecor, Cupio, Iniungo, Desidero, Impero. *Paulus Recept.Sent.lib.4.tit.1.§.Fideicommittere*. Et ex *l.2.C.Communia de legatis*, Omne verbum significans testatoris legitimum sensum legare vel fideicommittere volentis, vtile atque validum est, siue directis verbis, quale est, Iubeo, siue precarijs vtatur testator, quale est, Rogo, Volo, mando, Fideicommitto. 1

De (a) Codicillis. 2

TITVLVS XXV.

Ante Augusti tempora constat codicillorum ius non fuisse, sed primus Lucius Lentulus (ex cuius persona etiam fideicommissa (b) *cœperunt) codicillos introduxit. Nàm cùm decederet in Africa, scripsit codicillos* (c) *testamento confirmatos, quibus ab Augusto petijt per fideicommissum, vt faceret aliquid. Et cum Diuus Augustus voluntatem eius adimpleuisset, deinceps reliqui* (d) *eus auctoritatem secuti, fideicommissa præstabant : & filia Lentuli legata, quæ iure* (e) *non debebat, soluit. Dicitur autem Augustus conuocasse prudentes, inter quos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas maxima erat, & quæsisse, an posset hoc recipi, nec absonans à Iuris ratione codicillorum vsus esset, & Trebatium suasisse Augusto, quòd diceret* (f) *vtilissimum, & necessarium hoc ciuibus esse, propter magnas, & longas peregrinationes, quæ apud veteres fuissent : vbi si quis* (g) *testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quæ tempora, cùm & Labeo codicillos fecisset, iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur.* 3 4

a DE *Codicillis*. Quia legata, & fideicommissa, non solùm in testamentis, sed etiam in codicillis relinquuntur : Ideò Imperator hic de codicillis agit.

b *Etiam fideicommissa cœperunt*, Rata scilicet & firma esse, cùm antea

antea essent infirma. *Borch. hic*. Vide notata supra ad §. *Sciendum itaque, de fideicom. hered.*

c *Scripsit codicillos testamento confirmatos &c.* Lucius Lentulus Romæ testamento facto, heredes filiam suam, & Augustum Cæsarem, & alios quosdam instituerat, ac scripserat in eo testamento ita: Si quos post hac codicillos fecero, firmi & vtiles sunto: hoc est, futuros codicillos confirmauit. Deinde, cum decederet in Africa, scripsit codicillos, quibus ab Augusto petijt &c. vt sequitur hic in textu. Ex *Theoph.* 1

d *Reliqui*. Coheredes Augusti:

e *Quæ iure non debebat*. Quia codicillorum ius nondum erat receptum. Ex *Cuiac.*

f *Quod diceret vilissimum*. Nàm in rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod diù æquum visum est. *l. 2. ff. de Constit. Princip.*

g *Vbi si quis testamentum facere non posset*. Propter impedimentum facti. Quia fortè legitimum numerum testium habere non posset. In loco enim peregrino, septem testes Ciues Romani non tam facilè reperiuntur, sine quorum præsentia testamentum non potest ordinari. 2

Ad §. Non tantùm autem.

Non tantùm autem testamento facto potest quis Codicillos facere, sed & intestatus (a) *quis decedens fideicommittere* (b) *codicillis potest. Sed cùm ante* (c) *testamentum factum codicilli facti erant: Papinianus ait, non aliter vires habere, quàm si speciali postea voluntate confirmentur. Sed Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, ex ijs codicillis, qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum* (d) *peti: si apparet eum, qui postea testamentum fecit: ea voluntate, quam codicillis expressérat, non recessisse.* 3

a SED *& intestatus &c.* Etiam intestatus quis decedens fideicommittere codicillis potest. *l. Ab intestato 16. ff. de Iur. codicil.* Quamuis codicilli primo tempore vim ex testamento ante facto sumerent. H. 4

b *Fideicommittere*. Non tamen legare. Quia legata, nisi ex testamento, non valent. §. *Præterea, Instit. de fideicom. hered.* Sed hodiè legata relicta ab intestato, valent. Cùm legata fideicommissis per omnia sint exæquata, vt suprà in *tit. de legatis, ad §. Sed non vsque, expositum fuit*. Et consequenter etiam intestatus

ſtatus quis decedens legare codicillis poteſt.

c *Sed cum ante teſtamentum &c.* Ante tabulas teſtamenti codicilli facti non aliter valent, quàm ſi teſtamento, quod poſtea factum eſt, vel codicillis confirmentur, atque ita *Papinianus ait in l. Ante tabulas 5. ff. de Iure codicillorum.* Sed Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, ex iis codicillis, qui teſtamentum præcedunt, poſſe fideicommiſſum peti: ſi apparerat eum, qui poſtea teſtamentum fecit, à voluntate, quam in codicillis expreſſerat, non receſſiſſe. *textus hic.* Et ex dicto Diui Seueri & Antonini reſcripto, *Tribonianus in dicta l. Ante tabulas 5. ff. de Iure Codicillor.* ad Papinianum adiecit hæc verba: aut voluntas eorum quocunque iudicio retineatur. *Cuiacius hic.*

d *Fideicommiſſum.* Rectè, fideicommiſſum. Legatum non poterat peti, quia teſtamento confirmati non ſunt codicilli. *l. Codicillis 18. ff. de an. leg. l. ſed etiam 31. ff. de legatis 1. Ex eod. Cuiac.*

Ad §. Codicillis autem.

Codicillis (a) *autem hereditas*, (b) *neque dari*, (c) *neque adimi poteſt, ne confundatur ius teſtamentorum & codicillorum: & ideò nec exheredatio ſcribi. Directò autem hereditas codicillis, neque dari, neque adimi poteſt. Nam per fideicommiſſum* (d) *hereditas codicillis iure relinquitur. Nec conditionem* (e) *heredi inſtitutio codicillis adiicere, neque ſubſtituere* (f) *directò quis poteſt.*

a *Codicillis autem hereditas &c.* Codicillis hereditas neque dari, neque adimi poteſt. *l. Scæuola 76. ff. Ad Senat. Conſ. Trebel. l. 2. C. de Codicillis.* Si quis tamen in teſtamento ita ſcripſit: (Quem heredem codicillis fecero, heres eſto,) & Titium codicillis heredem inſtituit, eius inſtitutio valet. Ideò quod, licet codicillis dari hereditas non poſſit, tamen hæc ex teſtamento data videtur. *l. Aſſe toto 77. ff. de hered. inſtit.*

b *Hereditas.* Legata verò in codicillis dari, vel adimi poſſunt. *l. Conficiuntur 8. in fine ff. de Iure Codicillor. iuncto princ. tit. Inſt. de adempt. legat.*

c *Neque dari.* Præterquam in militis codicillis. *l. militis 37. in princ. ff. de milit. teſt.* Et quod per manus traditum eſt codicillis hereditatem dari non poſſe, rationem illam habet, ne per codicillos, qui ex teſtamento valerent, ipſum teſtamentum, quod vires per inſtitutionem heredum accipit, confirmari videretur. *l. Quod per manus 10. ff. de Iure Codicillor.*

d *Nam*

d *Nam per fideicommissum &c.* Per fideicommissum hereditas codicillis iure relinquitur. *l. 2. C. de Codicillis.*

c *Nec conditionem &c.* Neque conditionem heredi instituto codicillis adijcere, neque substituere directò quis potest. *l. Diui 6. ff. de Iure Codicillor.* Quia in defectum conditionis hereditas adimeretur. *l. Quidam 27. in fine ff. de condit. instit.* Et per directam substitutionem daretur. *l. Scæuola 76. ff. Ad Senat. Conf. Trebel.*

f *Neque substituere directò.* Substitutio tamen directa, facta 1
in codicillis, trahitur ad fideicommissariam, benigna interpretatione. *l. Scæuola 76. ff. Ad Senat. Conf. Trebel.*

Ad §. Codicillos autem.

Codicillos (a) *autem etiam plures quis facere potest,* (b) *& nullam solemnitatem ordinationis desiderant.*

a *Codicillos autem &c.* Codicillos etiam plures quis facere po- 2
test. *l. Diui 6. §. Codicillos ff. de Iure codicillor.* Per posteriores enim codicillos prioribus non derogatur, nisi quatenus posteriores prioribus contrarij sunt. *l. 3. C. de codicillis.*

b *Et nullam solemnitatem &c.* Codicilli nullam solemnitatem 3
ordinationis desiderant. *tex. hic.* Et quamuis in eis quinque testes exiguntur. *l. Si quis agere 8. §. vlt. C. de codicillis*; tamen exiguntur non (vt testamentarij) ad formam substantialem; sed ad tutiorem, atque securiorem probationem ipsorum codicillorum: Hinc testamentarij testes debent esse rogati *l. heredes palàm 21. §. In testamentis ff. de testamentis*: codicillares, rogati, 5
vel fortuitò aduenerint, nihil refert *dicta l. 8. §. vlt. C. de codicillis*: quoniam testamentarij publicum populi Romani conspectum exhibent, vt dixi in *tit. de Testamentis, ad §. Sed cum paulatim*, codicillares non exhibent, & ideo non exhibent, quia non vt in testamentis, ita in codicillis disponitur de hereditate atque familia *l. Quod per manus 10. ff. de Iure codicillor. §. Codicillis, Instit. de codicillis. Ex Galuano de Vsufr. cap. 10. num. 13.* 4

Finis Libri Secundi Institutionum.

AVRELII

AVRELII AVGVSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Publici Bartoli Interpretis

AD LIBRVM TERTIVM INSTITVTIONVM FL. IVSTINIANI CÆSARIS

Notæ, seù Breues Commentarij.

De Hereditatibus, (a) quæ ab intestato deferuntur,

TITVLVS PRIMVS.

a DE *Hereditatibus &c.* Hereditates, vel ex testamento, vel ab intestato deferuntur. §. *vlt. Inſtit. Per quas perſon. nob. adquir.* Cùm igitur hucusque dictum sit de hereditatibus, quæ ex testamento obueniunt: sequitur vt de hereditatibus, quæ deferuntur ab intestato, dispiciamus. Et quia circa successiones ab intestato Iustinianus in suis Nouellis Constitutionibus nouum ius introduxit, operæ precium fuerit ex dictis Nouellis summatim huc transcribere quomodo successiones ab intestato hodie disponantur: vnde quæ in hoc titulo, & quatuor sequentibus, quæque alibi extant de eadem re huic regulæ contraria, intelligas lege posteriore antiquata.

Omnis igitur successio ab intestato Iure Nouissimo sic disponitur, prioribus legibus pro hac causa positis vacantibus.

Descendentium prima est successio, omni tam sexus, quàm patriæ potestatis differentia prorsus exclusa. Et quando ex plu-

ribus descendentibus aliquis præmortuus est, in eius locum progenies sua in stirpem vocanda subrogatur. *Nouella* 118. *cap.* 1.

Si defunctus descendentes non relinquat heredes, secundo loco ad successionem vocantur ascendentes, & omnibus ex latere venientibus præponuntur: exceptis solis fratribus & sororibus ex vtroque parente coniunctis defuncto, & eorumdem filijs, sicut per subsequentia declarabitur. *dicta Nouella* 118. 1
cap. 2. *iuncta Nouella* 127. *cap.* 1.

Vocantur autem ascendentes ad successionem, salua gradus prærogatiua: primùm enim ratio habetur eorum, qui gradu sunt proximiores. Quòd si eundem habeant gradum, ex æquo inter eos hereditas sic dividenda est, vt medietatem quidem accipiant omnes à patre ascendentes, quanticunque fuerint: medietatem vero reliquam à matre ascendentes, quantoscunque eos inueniri contigerit. *dicta Nouella* 118. *cap.* 2.

Si verò cum ascendentibus inueniantur fratres aut sorores 2
ex vtriusque parentibus coniuncti defuncto, in capita succedunt vnà cum patre vel matre defuncti. Vnde consequens videtur, vt vlterioribus parentibus non habeantur inferiores. Et nullum vsumfructum ex filiorum aut filiarum portione in dicto casu potest pater sibi vindicare. Atque etiam cum patre & matre defuncti, & fratribus, vel sororibus vtrimque defuncto coniunctis succedunt filij alterius fratris præmortui, vel, sororis præmortuæ vtriusque defuncto coniuncti, coniunctæue, & tantam accipiunt portionem, quantam eorum pater, aut 3
mater accepisset, si vixisset. Ex dicta *Nouella* 118. *cap.* 2. *iuncta dicta Nouella* 127. *cap.* 1.

Cùm verò defunctus neque descendentes neque ascendentes reliquerit, tertio loco ad hereditatem æqualiter vocantur fratres & sorores ex eodem patre & ex eadem matre natos, & eorumdem fratrum, vel sororum præmortuorum filij, & filiæ in stirpem, si succedant cum prorijs theijs. *dicta Nouella* 118. *cap.* 3. Vel in capita, si succedant soli. *Gaius lib.* 2. *Instit. tit.* 8. *circa finem. l.* 2. §. *Hereditas ff. de suis & legit. hered.* 4

Cessantibus fratribus & sororibus vtrimque defuncto coniunctis, & eorum filijs, sequenti loco ad hereditatem æqualiter vocantur fratres & sorores ex vno dumtaxat parente coniuncti defuncto, & eorumdem fratrum, vel sororum præmortuorum filij, & filiæ in stirpem, si succedant cum theijs suis. *dicta Nouella* 118. *cap.* 3. Vel in capita, si succedant soli.

His

His deficientibus, omnes deinceps à latere cognati ad hereditatem vocantur, secundùm vniuscuiusque gradus prærogatiuam: vt viciniores gradu, ipsi reliquis præponantur. Si autem plurimi eiusdem gradus inueniantur, inter eos in capita diuiditur hereditas. *dicta Nouella* 118. *cap.* 3. *vers. si verò neque fratres.*

Nulla verò differentia sexus, agnationis & cognationis, emancipationis ac potestatis inter eos, qui ad hereditatem ab 1
intestato vocantur, est admittenda in quacunque successione aut hereditate. *dicta Nouella* 118. *cap.* 4.

Post supradictos maritus & vxor ab intestato inuicem sibi in 2
solidum succedunt per bonorum possessionem, Vnde vir & vxor. *l. Vnica in princ. ff. Si tab. test. nul. ext. l. Vnica C. Vnde vir. & vxor.* Imò Iure Nouissimo. Si matrimonium sit absque dote, coniux autem præmoriens locuples sit, superstes verò laboret inopia: succedit vnà cum liberis communibus, alterius matrimonij in quartam partem, si filij sint tres, vel pauciores, vel in partem virilem, si plures sint: debet tamen filijs eiusdem matrimonij proprietatem seruare. *A. Præterea C. Vnde vir & vxor. Nouella* 117. *cap.* 5. & ibi *Alexan. in Sum.*

Prædictis omnibus deficientibus bona dicuntur vacantia, & fisco cedunt. *l. Vacantia* 4. *C. de bonis vacantibus lib.* 10. Collegia tamen, quæ numerantur in titulo *C. de heredit. decur. &c.* succedunt collegiato, excluso fisco. Item Ecclesia succedit suo clerico, excluso fisco. *l. Si quis presbyter* 20. *C. de epis. & cler. c. vlt.* 12. *q.* 5. Item non cedunt fisco bona peregrinorum. Si 3
enim peregrini intestati decesserint, debent bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, heredibus tradi, vel in pias causas erogari. *A. omnes peregrini §. Si verò C. communia de successionibus.*

Ad principium Tituli.

Intestatus (a) *decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non* (b) *iure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum*, (c) *irritumue* (d) *factum est, aut si* (e) *ex eo nemo heres extitcrit.* 4

2 *Intestatus decedit &c.* Intestati propriè appellantur, qui cum possent testamentum facere, testati non sunt. Planè qui testari non potuit, propriè non est intestatus: puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est. Sed hos quoque

pro inteſtatis accipere debemus. *l. 1. in princ. ff. de ſuis & legit. hered.*

b *Aut non iure fecit.* Quamuis propriè loquendo teſtamentum non iure factum dicatur, vbi ſolemnia iuris defuerunt: nullius autem eſſe momenti, cùm filius, qui fuit in patris poteſtate, præteritus eſt. *l. 1. ff. de iniuſto, rupto &c.* tamen hoc loco teſtamentum non iure factum latiùs accipitur, vt ſpeciem vtramque complectatur. Quin etiam ſub his verbis continetur teſtamentum ab eo factum, qui iure teſtari non potuit, puta quia erat impubes, furioſus, vel prodigus. *Ex Pacio hic in Analy.* 1

c *Ruptum.* Vel adgnatione, ſeù quaſi adgnatione ſui heredis. *princ. tit. & §. 1. Inſtit. Quib. mod. teſt. infir.* Vel per querelam inofficioſi, de qua diximus ſuprà in *tit. de Inoffic. teſtam.*

d *Irritumue.* Per capitis deminutionem teſtatoris. §. *Alio autem modo, & §. Hoc autem caſu, quib. mod. teſtam. infir.*

e *Aut ſi ex eo nemo heres extiterit.* Inteſtatus eſt, non tantùm, qui teſtamentum non fecit, ſed etiam, cuius ex teſtamento 2
hereditas adita non eſt. *l. Inteſtatus 64. ff. de Verb. ſignific.* Quo caſu teſtamentum dicitur deſtitutum. §. *Cùm autem hoc eod. tit.*

Ad §. Inteſtatorum autem.

Inteſtatorum autem hereditates ex lege (a) *duodecim tabularum, primùm ad ſuos heredes pertinent.*

a *EX lege duodecim tabularum.* Verba legis duodecim Tabularum hæc ſunt: Paterfamilias vti legaſſit ſuper pecunia, 3
tutelaue ſua, ita ius eſto. At ſi inteſtatus moritur, cui ſuus heres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto. *Ex Vlpiano in Frag. tit. 11. §. Teſtamento, & tit. 26. in princ. iuncta l. ſæpè 53. ff. de verb. ſig. & Cornificio ad Herennium lib. 1.*

Ad §. Sui autem heredes.

Sui autem (a) *heredes exiſtimantur, vt & ſuprà diximus, qui in poteſtate morientis fuerunt: veluti filius filia, nepos neptiſue ex filio, pronepos proneptiſue ex nepote* (b) *ex filio nato prognatus prognatauue. Nec intereſt, vtrum naturales* (c) *ſint liberi, an adoptiui. Quibus connumerari* (d) *neceſſe eſt etiam eos, qui ex legitimis quidem matrimonijs non ſunt progeniti, curijs tamen Ciuitatum dati ſecundùm Diualium* (e) *Conſtitutionum, quæ ſuper his poſitæ ſunt, tenorem,* 4

rem, heredum suorum iura nanciscuntur. Necnon (f) *eos, quos nostræ amplexæ sunt Constitutiones, per quas iussimus, si quis mulierem in suo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere coniugium, & ex ea liberos sustulerit: postea verò affectione procedente, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit: non solùm eos liberos, qui post dotem editi sunt, iustos, & in potestate patris esse: sed etiam anteriores, qui & ijs, qui postea nati sunt, occasionem* 1 *legitimi nominis præstiterunt. Quod obtinere censuimus, & si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. Ita demum* (g) *tamen nepos neptisue, pronepos proneptisue, suorum heredum numero sunt, si præcedens persona defierit in potestate parentis esse, siue morte id acciderit, siue alia ratione, velut emancipatione. Nam si per id tempus, quo quis moreretur, filius in potestate eius sit: nepos ex eo suus heres esse non potest. Idque & in cæteris deinceps liberorum personis dictum intelligimus. Postumi* (h) *quoque, qui, si viuo parente* 2 *nati essent, in potestate eius futuri forent, sui heredes sunt.*

a *SVI autem heredes &c.* Sui heredes sunt liberi, qui in potestate morientis fuerunt, ità vt nulla eos persona [in gradu præcederet. *tex. hic in princ. §. iuncto vers. Ita demum. §. Sui autem, de hered. qualit. & differ.* Vbi hæc omnia expoſuimus.

b *Ex nepote ex filio nato.* Ordo est, Pronepos proneptisue, prognatus prognataue ex nepote nato ex filio: hoc est, Ex nepote qui non ex filia, sed ex filio sit susceptus. Nàm si ex filia, iam 3 ad cognatorum ordinem translatus esset. *Ex H.*

c *Nec interest vtrum naturales &c. Vlpianus in l. 1. §. Suos heredes ff. de suis & legit. hered.* Suos heredes accipere debemus, filios, filias, siue naturales, siue adoptiuos. Vide *tex. in princ. tit. &* 4 *in §. 1. 2. & 3.* & quæ ibidem annotauimus, *Inst. de Adop.*

d *Quibus connumerari &c.* Qui ex legitimis matrimonijs non sunt progeniti, curijs ciuitatum dati, heredum suorum iura nanciscuntur. Qua de re ad *§. vlt. de nuptijs*, ita copiosè explicatum est, vt hic molesta repetitione nihil opus sit. 4

e *Secundùm Diualium Constitutionum &c.* Theodosij, & Valentiniani, Leonis & Anthemij. *l. Si quis 3. & l. Quoniam 4. C. de natural. liber.*

f *Nec non eos &c.* Nati ex contubernio, per subsequens matrimonium iusti & in potestate patris efficiuntur, & filiorum familias ius habent, etsi non progeniti fuerint postea liberi, vel

etiam

etiam nati ab hac luce fuerint subtracti : *tex. hic l. cum quis* 10. *& l. nuper* 11. *C. de natural. liber.* Vide notata suprà *Ad §. vlt. de Nuptijs*.

g *Ita demum tamen &c.* Nepos non nisi filio, & pronepos non nisi filio, & nepote de familia sublato, sui heredis iura consequitur. *tex. hic. §. Sui autem, de hered. qualit. & differ.* Vbi hæc à nobis exposita fuere.

h *Postumi quoque &c.* Postumi quoque, qui si vivo parente 1
nati essent, in potestate eius fuissent, primumque gradum obtinuissent, sui heredes sunt.

Ad §. Sui autem heredes il 2.

Sui autem (a) *heredes etiam ignorantes fiunt. & licet* (b) *furiosi sint, heredes possunt existere : quia quibus* (c) *ex causis ignorantibus nobis adquiritur, ex his causis, & furiosis adquiri potest. Et statim morte parentis quasi* (d) *continuatur dominium. Et ideò* (e) *nec tutoris* 2
auctoritate opus est pupillis, cum etiam ignorantibus adquiratur suis heredibus hereditas. nec curatoris consensu adquiritur furioso, sed ipso (f) *iure.*

a SVI *autem heredes &c.* Sui heredes etiam ignorantes fiunt heredes *l. 3. §. Est autem ff. de suis & legit. hered.* Et omnimodò, sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quàm ex testamento heredes fiunt. Prætor tamen his permittit volentibus abstinere se ab hereditate parentis. *§. Sui autem, Instit,* 3
de hered. qualit. & differ. Vbi hæc uberiùs exposuimus.

b *Et l. cèt furiosi sint &c.* Sui heredes, licèt furiosi sint, heredes possunt existere. *l. Antistius* 62. *§. vlt. ff. de acquir. vel omit. hered.*

c *Quibus ex causis &c.* Quibus ex causis ignorantibus nobis adquiritur, ex his causis, & furiosis adquiri potest. *l. si à furioso* 23. *ff. de act. & oblig. l. Si à furioso* 12. *ff. de reb. cred.*

d *Quasi continatur dominium.* Nàm vivo quoque patre quodam modo domini existimantur. *d. §. Sui autem, Instit. de hered. qualit.* 4
& differ. Vbi hoc fuit explicatum.

e *Et ideò nec tutoris auctoritate &c.* Nec tutoris auctoritate pupillis, nec curatoris consensu furiosis opus est ad acquisitionem patetnæ hereditatis. Quamuis in extranea hereditate adeunda, , neque illi sine tutoris auctoritate, neque hi sine curatoris consensu quidquam facere possint. *Theoph. hic.*

f *Sed*

f *Sed ipso iure.* Hoc est, legis ipsius vi, & potestate, nullo hominis facto intercedente.

Ad §. Interdum autem.

Interdum autem, licèt in potestate parentis, mortis tempore, suus heres non fuerit, tamen suus heres parenti efficitur: veluti si ab hostibus reuersus quis fuerit post mortem patris. Ius enim (a) *postliminij hoc facit.* 1

a IVS *enim postliminij hoc facit.* Postliminium fingit eum, qui ab hostibus captus est, si reuersus fuerit, semper in ciuitate fuisse. §. *Si ab hostibus, Quib. mod. ius pot. sol.* Vbi de Postliminio plura annotauimus.

Ad §. Per contrarium.

2

Per contrarium (a) *euenit, vt licèt quis in familia defuncti sit mortis tempore, tamen suus heres non fiat: veluti si post mortem* (b) *suam pater iudicatus fuerit perduellionis* (c) *reus, ac per hoc memoria eius damnata fuerit. Suum enim heredem habere non potest, cum fiscus ei succedat: sed potest dici ipso iure suum heredem esse, sed* (d) *desinere.*

a PER *contrarium &c. Vlpianus in l.* 1. §. *Interdum etiam ff. de suis & legit. hered.* Interdum etiam filius suus heres exclu- 3
ditur, fisco prælato: puta si perduellionis fuerit damnatus pater post mortem suam.

b *Post mortem suam pater iudicatus fuerit &c.* Quamuis enim regulariter crimen morte rei extinguatur, tamen speciale est in hoc perduellionis crimine, vt morte non extinguatur, sed mortui memoria damnetur, & fiscus ei succedat. *l. vlt. ff. Ad leg.* 2
Iul. maiest.

c *Perduellionis reus.* Qui hostili animo aduersus rempublicam, vel principem animatus est, perduellionis reus est. *d. l. vlt. ff.* 4
Ad leg. Iul. maiest. Nàm quos nos hostes appellamus: eos veteres perduelles appellabant. *l. Quos nos hostes* 234. *ff. de verb. sig.*

d *Sed desinere.* Atque ità hoc casu non procedit Regula, qua dicitur: Heredem semel factum, non posse amplius heredem esse desinere. *l. Et si fine* 8. §. *Sed quod Papinianus ff. de minor. l. Ei, qui soluendo* 88. *ff. de hered. instit.*

Ad

Ad §. Cum filius.

Cùm filius (a) *filiaue, & ex altero* (b) *filio nepos neptisue existunt, pariter ad hereditatem* (c) *aui vocantur: nec qui gradu proximior est, vlteriorem excludit. Æquum* (d) *enim esse videtur, nepotes neptesque in patris sui locum succedere. Pari* (e) *ratione, & si nepos neptisue sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptisue, simul vocantur. Et quia* (f) *placuit nepotes neptesque, item pronepotes & proneptes in parentis sui locum succedere: conueniens esse visum est, non in capita, sed in stirpes hereditatem diuidi: vt filius partem dimidiam hereditatis habeat, & ex altero filio duo pluresue nepotes alteram dimidiam. Item, si ex duobus* (g) *filijs nepotes neptesue extant, ex altero vnus fortè aut duo, ex altero tres aut quatuor, ad vnum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres vel quatuor altera dimidia.* 1 2

a CVM *filius filiaue &c. Gaius lib. 2. Instit. tit. 8. §. Si quando. Vlpian. In frag. tit. 26. §. Si defunctus.*

b *Et ex altero filio.* Secus si ex filia iure antiquo. §. *Item vetustas, hoc eod. tit.*

c *Pariter ad hereditatem aui vocantur.* Defuncti filius ac nepos ex alio filio iam mortuo, pariter succedunt ab intestato, & hoc euidenter lege duodecim tabularum cauetur. Quod & honorarij iuris obseruatio sequitur. *l. 3. C. de suis & legit. liber.*

d *Æquum enim esse videtur &c. Vlpianus in l. 1. §. Si filius ff. de suis & legit. hered.* Si filius, inquit, suus heres esse desijt, in eiusdem partem succedunt omnes nepotes, neptesque ex eo nati, qui in potestate sunt: quod naturali æquitate contingit. 3

e *Pari ratione &c.* Nepos, neptisue ex filio, & ex alio nepote pronepos, proneptisue, simul succedunt ab intestato.

f *Et quia placuit &c.* Nepotes neptesque, item pronepotes & proneptes in parentis sui locum succedunt, & non in capita, sed in stirpes hereditatem diuidunt cum filio defuncti.

g *Item si ex duobus filijs &c.* Nepotes ex diuersis filijs varij numeri auo succedentes ab intestato, non pro virilibus portionibus, sed ex stirpibus succedunt. *l. 2. C. de suis & legit. liber.* Nepotes verò ex diuersis fratribus patruo succedentes ab intestato, non in stirpes, sed in capita succedunt. *Gaius lib. 2. Instit. tit. 8. circa finem l. 2. §. Hereditas ff. de suis & legit. hered.* 4

Ad

Ad §. Cum autem quæritur.

Cum autem quæritur an quis suus heres existere possit : eo tempore quærendum est, quo certum est aliquem sine testamento decessisse, quod accidit (a) *& destituto testamento. Hac ratione*, (b) *si filius exheredatus fuerit, & extraneus heres institutus est, & filio mortuo postea certum fuerit, heredem institutum ex testamento non fieri heredem, aut quia noluit* (c) *esse heres, aut quia non* (d) *potuit, nepos auo suus heres existet : quia quo tempore certum est intestatum decessisse patrem familias, solus inuenitur nepos & hoc certum est.* 1

a *Quod accidit & destituto testamento.* Etiam destituto testamento accidit, vt videatur quis sine testamento decessisse. Et testamentum dicitur destitutum, cum nemo ex eo heres extitit. *Vt dixi ad princ. huius tituli in vlt. nota.*

b *Hac ratione, si filius &c.* Si paterfamilias testamento facto decesserit exheredato filio, mox deliberante herede instituto filius decesserit, postea deinde repudiauerit heres institutus : poterit nepos suus heres esse. *l. 1. §. Sciendum ff. de suis, & legit. hered.* 2

c *Aut quia noluit esse heres.* Quia repudiauit hereditatem.

d *Aut quia non potuit.* Fortassis enim sub conditione heres institutus erat, & conditio institutionis defecit. *Theoph. hic.*

Ad §. Et licet. 3

Et licet post (a) *mortem aui natus sit, tamen auo viuo conceptus, mortuo patre eius, posteaque deserto aui testamento suus, heres efficitur. Planè si* (b) *& conceptus & natus fuerit post mortem aui, mortuo patre suo, desertoque postea aui testamento, suus heres non existet, quia* (c) *nullo iure cognationis patrem sui patris tetigit. Sed nec ille* (d) *est inter liberos aui, quem emancipatus adoptauerit. Hi autem*, (e) *cum non sint quantum ad hereditatem liberi, neque bonorum possessionem petere possunt, quasi proximi cognati. Hac de suis heredibus.* 4

a *Et licet post mortem aui &c.* Nepos post mortem aui natus, viuo tamen auo conceptus, mortuo patre suo, desertoque postea aui testamento, suus heres auo existit. *l. si quis filio 6. §. 1. ff. de iniusto, rupto &c.*

b *Planè si & conceptus &c.* Nepos & conceptus & natus post mortem aui, mortuo patre suo, desertoque postea aui testamento, suus heres auo non existet. *d.l.si quis filio 6.§.1. ff.de iniusto, rupto &c.* Et in hac decisione nulla iniquitas continetur; cum enim supponamus nepotem esse conceptum post mortem aui, certè pater, qui hunc nepotem suscepit, auo superstes fuit: ideſt, patri suo: patre igitur inter auum, & nepotem intercedente, facilè excludimus nepotem: quia pater he- 1
reditatem pro se, & liberis suis, vel acquirit, vel amittit. *Pacius hic in Analy.*

c *Quia nullo iure cognationis &c.* Nepos, & conceptus & natus post mortem aui nullo iure cognationis auum tetigit. Nam eo viuo animal nondum fuit, *l. 1. §. Si quis proximior ff. Vnde cognati.* Et quod in consuetudine nepotes cognati appellantur, etiam eorum, post quorum mortem concepti sunt: non propriè, sed per abusionem, vel potius per relationem accidit. *l.Item prætor 8.ff.de suis & legit. hered.* 2

d *Sed nec ille est inter liberos aui &c.* Quem filius meus emancipatus adoptauerit, is meus nepos non erit. *l.quem filius 26. ff. de adoptionibus.* Si igitur contingat, vt ego filio meo iam ante mortuo intestatus decedam: is, quem filius meus cum viueret, & emancipatus esset, adoptauit, in iura mea non succedit: quippe qui nullo cognationis genere tangere me possit. *Theoph. hic.*

e *Hi autem &c.* Et conceptus & natus post mortem aui, & ille, quem filius emancipatus adoptauerat, cum non sint quantum 3
ad hereditatem liberi, neque bonorum possessionem petere possunt quasi proximi cognati.

Ad §. Emancipati autem liberi.

Emancipati (a) *autem liberi, iure ciuili nihil iuris habent. neque enim sui heredes sunt, quia in potestate parentis esse desierunt, neque vllo alio iure per legem duodecim tabularum vocantur. Sed prætor* 4
(b) *naturali æquitate motus, dat eis bonorum* (c) *possessionem vnde liberi, perinde ac si in potestate parentis tempore mortis fuissent: siue soli sint, siue cum suis heredibus concurrant. Itaque duobus liberis extantibus, emancipato, & qui tempore mortis in potestate fuerit: sanè quidem is, qui in potestate fuerit, solus Iure ciuili heres est, ideſt, solus suus heres est, Sed cum emancipatus beneficio prætoris*

in

in (d) *partem admittitur, euenit, vt suus heres pro* (e) *parte heres fiat.*

a *Emancipati autem liberi &c.* Emancipati liberi, Iure Ciuili in hereditate parentum suorum nihil iuris habent Intestatorum enim hereditates ex lege duodecim tabularum ad suos heredes, vel ad proximos adgnatos pertinent, vt dixi ad §. *Intestatorum autem, hoc eodem titulo.* Emancipati autem liberi neque sui heredes sunt, quia in potestate parentis esse desierunt, 1
neque vt proximi adgnati vocantur, quia per emancipationem adgnati esse desierunt. *tex. hic iuncta l. capitis 11. ff. de suis & legit. hered. & l. tutelas 7. ff. de capit. demin.* Hodie tamen, sublata in successionibus ab intestato inter liberos emancipatos, & non emancipatos omni differentia, sui & emancipati æquè succedunt ab intestato Iure Ciuili. *Nouella 118. cap. 1.*

b *Sed prætor naturali æquitate motus &c.* Naturalia enim iura ciuilis ratio perimere non potest: nec quia desinunt sui heredes esse, desinere possunt filij filiæue, aut nepotes neptesue esse 2
§. *Minus ergo iuris hoc eod. tit.*

c *Dat eis bonorum possessionem vnde liberi.* Hodie tamen, absque Prætoris beneficio: heredes fiunt ex *d. nouella 118. c. 1.*

d *In partem admittitur.* In partem dimidiam bonorum.

e *Pro parte heres fiat.* In effectu.

Ad §. At hi.

At hi, qui emancipati à parente in (a) *adoptionem se dederunt, non* 3
admittuntur (b) *ad bona naturalis patris quasi liberi: si modò, cum is moreretur, in adoptiua familia fuerint. Nam viuo eo emancipati ab adoptiuo patre, perinde admittuntur ad* (c) *bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec vnquam in adoptiua familia fuissent. Et conuenienter, quod ad adoptiuum patrem pertinet, extraneorum loco* (d) *esse incipiunt. Post mortem vero naturalis patris emancipati ab adoptiuo, & quantum ad hunc, æquè* (e) *extraneorum loco fiunt: & quantum ad naturalis parentis bona pertinet, nihilo magis* (f) *liberorum gradum nanciscuntur. Quod* 4
ideò sic placuit, quia iniquum erat, esse in potestate patris adoptiui, ad quos bona naturalis patris pertinerent, vtrum ad liberos (g) *eius, an ad agnatos.*

a *IN adoptionem.* Idest, in arrogationem: arrogantur enim propriè, qui sui iuris sunt. § *Adoptio, Instit. de Adopt.*

b *Non admittuntur ad bona patris naturalis quasi liberi.* Hoc est, Prætor eis non tribuit bonorum possessionem, vnde liberi, ad consequendam legitimam hereditatem patris naturalis. Ratio manifesta est, quia cum eis satis in adoptiua familia consultum sit in qua iura tum suitatis, tum adgnationis adepti sunt: nihil eis auxilio prætoris opus fuit. *Ex Mynsi. & H. hic.*

c *Perinde admittuntur ad bona naturalis patris &c.* Ad bona patris naturalis admittuntur per bonorum possessionem, vnde liberi. Namque naturales emancipati, beneficio Prætoris gradum liberorum retinent, licet Iure Ciuili perdant. §. *Minus ergo iuris, hoc eod. tit.* 1

d *Extraneorum loco esse incipiunt.* Et Iure Ciuili perdunt gradum liberorum, & à prætore non adiuuantur *d.* §. *Minus ergo iuris, hoc eod. tit.*

e *Æquæ extraneorum loco fiunt.* Patri igitur adoptiuo non succedunt propter emancipationem, per quam eius familia exempti sunt. 2

f *Nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur.* Non admittuntur ad bona patris naturalis per bonorum possessionem, Vnde liberi.

g *Vtrum ad liberos eius, an ad agnatos.* Nàm, filijs in adoptione retentis, faceret pater adoptiuus, vt bona patris naturalis pertinerent ad agnatos. Si autem filios emanciparet, efficeret, vt bona patris naturalis pertinerent ad filios eius.

Ad §. Minus ergo iuris. 3

Minus ergo iuris habent adoptiui, quàm (a) *naturales. Namque naturales* (b) *emancipati, beneficio prætoris gradum liberorum retinent, licet Iure Ciuili perdant: adoptiui* (c) *verò emancipati, & Iure ciuili perdunt gradum liberorum, & à prætore non adiuuantur, & rectè. Naturalia* (d) *enim iura ciuilis ratio perimere non potest: nec quia desinunt sui heredes esse, desinere possunt filij filiæue, aut nepotes neptesue esse. adoptiui verò emancipati, extraneorum loco incipiunt esse: quia ius nomenque filij filiæue, quod per adoptionem consecuti sunt, alia ciuili ratione, ideſt emancipatione deperdunt.* 4

a *Quam naturales.* Quam nati ex iustis nuptijs. Hi enim naturales ex comparatione adoptiuorum vocantur.

b *Namque naturales emancipati &c.* Naturales emancipati,

ti, liberorum gradum, quem Iure Ciuili perdunt, Prætoris beneficio retinent. *l. 2. ff. vnde liberi.*

c *Adoptiui verò emancipati &c.* Adoptiui emancipati, & Iure Ciuili perdunt gradum liberorum, & à Prætore non adiuuantur, *d.l.2.ff. vnde liberi.*

d *Naturalia enim iura &c.* Ciuilis ratio ciuilia quidem Iura perimere potest: naturalia verò non vtique §. *Sed agnationis, Infit de legit.adgnat.tut.* Itaque naturales filij filiæue, aut nepotes 1
nepteſue per emancipationem, quæ Iure Ciuili introducta est, desinunt quidem sui heredes esse, quia suiratis iura ciuili quadam ratione constituta sunt, sed non possunt desinere filij filiæue, aut nepotes nepteſue esse. Adoptiui verò emancipati, extraneorum loco incipiunt esse: quia ius nomenque filij filiæue, quod consecuti sunt per adoptionem, quæ iuris est ciuilis, alia ciuili ratione, ideſt, emancipatione deperdunt.

Ad §. Eadem hæc obseruantur. 2

Eadem hæc (a) *obseruantur, & in ea bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis liberis præteritis, ideſt, neque heredibus institutis, neque, vt* (b) *oportet, exheredatis, prætor pollicetur. Nam eos quidem, qui in* (c) *potestate parentis mortis tempore fuerint, & emancipatos, vocat prætor ad eam bonorum possessionem: eos verò, qui in adoptiua* (d) *familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptiuos* (e) *liberos emancipatos ab adoptiuo patre, sicut ab intestato, 3
ita longè minus contra tabulas testamenti ad bona eius non admittit: quia desinunt* (f) *numero liberorum esse.*

a *Eadem hæc obseruantur &c.* Bonorum possessionem contra tabulas testamenti parentis naturalibus liberis, neque heredibus institutis, neque, vt oportet, exheredatis, prætor pollicetur, siue in potestate parentis mortis tempore fuerint, siue emancipati.

b *Vt oportet.* Ideſt, nominatim, 4

c *Nam eos quidem, qui in potestate &c.* Quamuis enim testamentum nullius sit momenti, cùm filius, qui fuit in patris potestate, prætereritus est *l.1.ff. de iniusto, rupto &c.* possunt tamen sui heredes prætereriti vel ipso iure testamentum euertere, vel contra tabulas bonorum possessionem accipere. *l. Maximum vitium 4. C. de liber. præter.*

d *Eos verò, qui in adoptiua familia &c.* Prætor eos, qui in adoptiua familia sunt tempore quo moritur parens naturalis, à bonorum possessione contra tabulas repellit.

e *Item adoptiuos liberos &c.* Adoptiuos liberos emancipatos ab adoptiuo patre, sicut ab intestato, ita longè minùs contra tabulas testamenti ad bona eius prætor non admittit.

f *Quia desinunt numero liberorum esse.* Adoptiui liberi emancipati ab adoptiuo patre desinunt numero liberorum esse. 1

Ad §. Admonendi.

Admonendi (a) *tamen sumus, eos, qui in adoptiua familia sunt, quinè post mortem naturalis parentis ab adoptiuo patre emancipati fuerint: intestato parente naturali mortuo, licet ea parte edicti, qua liberi ad bonorum possessionem vocantur, non admittantur: alia tamen parte vocari, ideſt, qua* (b) *cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, si neque sui heredes liberi, neque emancipati obstent, neque adgnatus quidem vllus interueniat. Antè enim* (c) *prætor liberos vocat tàm suos heredes: quàm emancipatos: deinde legitimos heredes, deinde proximos cognatos.* 2

a *Admonendi tamen sumus &c.* Quamuis hi, qui in adoptiua familia sunt, quinè post mortem naturalis parentis ab adoptiuo patre emancipati fuerint, intestato parente naturali mortuo, non admittantur ad bonorum possessionem. Vnde liberi: admittuntur tamen ad bonorum possessionem; Vnde 3
cognati, si neque sui heredes liberi, neque emancipati, neque adgnati eis obstent. Primò enim prætor liberos vocat, tàm suos heredes, quàm emancipatos, postea legitimos heredes, adgnatos scilicet, deinde proximos cognatos.

b *Qua cognati defuncti vocantur.* Nam hi, qui in adoptionem dati sunt, in familia naturalis patris iura cognationis retinent. *l.1.§.Cognationem ff.Vnde cognati.*

c *Antè enim Prætor &c. l.1.ff. Quis ord.in bon.poss.seru.* 4

Ad §. Sed ea omnia.

Sed ea omnia antiquitati quidem placuerunt: aliquam autem emendationem à nostra (a) *Constitutione acceperunt, quam super his personis posuimus, quæ à patribus suis naturalibus* (b) *in adoptionem aliis dantur. Inuenimus etenim nonnullos casus, in quibus filij & natu-*

naturalium parentum successionem propter adoptionem amittebant: & adoptione facilè per emancipationem soluta, ad neutrius parentis successionem vocabantur. Hoc solito more corrigentes, Constitutionem (c) *scripsimus, per quam definiuimus, quando parens naturalis filium suum adoptandum alij* (d) *dederit, integra omnia iura* (e) *ita seruari, atque si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitùs adoptio fuisset subsecuta: nisi in hoc tantummodò casu, vt possit* (f) *ab intestato ad patris adoptiui venire successionem. Testamento autem ab eo facto, neque Iure ciuili, neque prætorio, ex hereditate eius aliquid persequi potest, neque contra tabulas bonorum possessione agnita, neque inofficiosi querela instituta: cum nec necessitas* (g) *patri adoptiuo imponatur, vel heredem eum instituere, vel exheredatum facere, vt potè nullo vinculo naturali copulatum; neque si ex Sabiniano Senatus Consulto* (h) *ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nàm & in huiusmodi casu, neque quarta ei seruatur, nec vlla actio ad eius persecutionem ei competit. Nostra autem Constitutione* (i) *exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum susceperit. Vtroque enim iure tàm naturali, quàm legitimo, in hanc personam concurrente, pristina iura tali adoptioni seruauimus; quemadmodum si pater familias se dederit adrogandum. Quæ specialiter, & singillatim ex præfatæ Constitutionis tenore possunt colligi.* 1 2

a *Nostra Constitutione*. Hæc Constitutio est decisio. *l. Cùm in adoptiuis* 10. *C. de adopt.*

b *Naturalibus*. Et legitimis. 3

c *Constitutionem*. Prædictam.

d *Alij*. Qui non est in numero parentum. *Text. hic in vers. nostra autem.*

e *Integra omnia iura ita seruari, atque si &c.* Olim, cum filiusfamilias à patre naturali etiam extraneæ personæ in adoptionem dabatur, potestas patris naturalis transibat in adoptiui. *Theoph. in §. Sed hodie, de Adop. d. l. Cum in adoptiuis* 10. *in prine. C. de adopt.* Sed hodie, cum filius familias extraneo in adoptionem datur iura patris naturalis minimè dissoluuntur: nec quidquam ad patrem adoptiuum transit, nec in potestate eius est. *§. Sed hodie Instit. de Adopt.* 4

f *Vt possit ab intestato &c.* Habet adoptatus iura successionis ab intestato in bonis patris adoptiui, etiam cum legitimis & naturalibus.

g *Cum nec necessitas patri adoptiuo imponatur &c. Instinianus in dicta l. Cum*

l.Cum in adoptiuis 10.§.*Sed nec articulum C. de adopt.* Licentiam damus tali adoptiuo patri, ideſt extraneo (ſi voluerit) nihil ei teſtamento ſuo relinquere, ſed quidquid ei reliquerit, hoc liberalitatis ſit, & non legitimo vinculo adſtrictum.

h *Neque ſi ex Sabiniano Senatus Conſulto ex tribus maribus &c.* Si cum tres filius mares haberem, vnum ex ijs in adoptionem dederim: vocatur hæc adoptio ex tribus maribus. Et extat S.C.Sabinianum, quo dicitur, neceſſe tibi eſſe, filio huic ex 1
tribus maribus adoptato quartam bonorum tuorum relinquere. Etſi non relinquas, ipſum S.C. ei dat actionem aduerſus heredes tuos ad petendam quartam. *Theoph. hic.* Sed hodie, neque ſi ex Sabiniano Senatus Conſulto ex tribus maribus aliquis fuerit adoptatus, quarta ei ſeruatur, neque vlla actio ad eius perſecutionem ei competit. *Text.hic.*

i *Noſtra autem Conſtitutione exceptus eſt is, quem parens &c.* Si pater naturalis auo materno filij ſui, vel ſi ipſe pater naturalis fuerit emancipatus, etiam auo paterno, vel proauo ſimili 2
modo paterno vel materno, filium ſuum dederit in adoptionem, adoptatus & in familia, & in poteſtate eſt huiuſmodi patris adoptiui, & omnia antiqua adoptionis iura conſequitur. *d.l.Cum in adoptiuis* 10. §.*Si verò pater naturalis C. de Adop.* §.*Sed hodie Inſtit.de Adop.* Vbi hoc fuit explicatum.

Ad §. Item vetuſtas.

Item (a) *vetuſtas ex maſculis progenitos plus diligens, ſolos nepotes,* 3
vel neptes, qui, quæue ex virili ſexu deſcendunt, ad ſuorum vocabat ſucceſſionem, & iuri adgnatorum eos anteponebat: nepotes autem, qui ex filiabus nati ſunt, & pronepotes ex (b) *neptibus, cognatorum loco numerans, poſt adgnatorum lineam eos vocabat, tàm in aui, vel proaui materni, quàm in auiæ, vel proauiæ, ſiue paternæ, ſiue maternæ ſucceſſionem. Diui* (c) *autem principes non paſſi ſunt talem contra naturam iniuriam ſine competenti emendatione relinquere: ſed cùm nepotis & pronepotis nomen commune ſit vtriſque, tàm qui* 4
ex maſculis, quàm qui ex fœminis deſcendunt: ideò eundem gradum & ordinem ſucceſſionis eis donauerunt. Sed vt amplius aliquid ſit eis, qui non ſolùm naturæ, ſed etiam veteris (d) *iuris ſuffragijs muniuntur: portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps, de quibus ſuprà diximus, paulò minuendam eſſe exiſtimauerunt: vt minùs* (e) *tertia parte acciperent, quàm* (f) *mater eorum vel auia* (g) *fuerat acceptura, vel pater* (h) *eorum, vel auus* (i) *paternus, ſiue* (l) *mater-*

maternus, quando fœminina mortua sit, cuius de hereditate agitur: ijsque, licet soli sint, adeuntibus, adgnatos minimè vocabant. Et quemadmodum lex duodecim tabularum filio mortuo nepotes, vel neptes, pronepotes, vel proneptes in locum patris sui ad successionem (m) *aui vocat: ita & principalis dispositio in locum matris suæ, vel aniæ, eos cùm iam designata* (n) *partis tertiæ deminutione vocat.*

a *ITem vetustas &c.* Vetustas solos ex virili sexu nepotes nepteſue suorum in ordinem admittebat: ex muliebri verò, in ordinem cognatorum. 1

b *Ex neptibus.* Vel ex nepotibus, qui ex filiabus nati sunt.

c *Diui autem Principes.* Valentinianus, Theodosius, & Arcadius. *l. Si defunctus 4. C. Theodos. de legitim. hered. & l. Si defunctus 9. C. de suis, & legit. liber.*

d *Veteris Iuris.* Legis duodecim tabularum, vel Senatus Consulti Orficiani.

e *Vt minus tertia parte acciperent &c.* Diui Principes Valentinianus, Theodosius, & Arcadius sua Constitutione *in l. Si defunctus 4. C. Theodos. de legit. hered. & in l. Si defunctus 9. C. de suis, & legit. liber.* ordinem suorum nepotibus, neptibusue ex fœmina tribuerunt, sic tamen vt tertia parte deminutam acciperent partem, quam eorum parentes, in quorum locum succedebant, fuerant accepturi, dictaque tertia pars, si de maris hereditate ageretur, descendentibus ex masculis, qui non solùm naturæ, sed etiam legis duodecim tabularum suffragijs iuuabantur, aut si ageretur de hereditate fœminæ, eius filijs, aut filiabus, qui, quæue, non solùm naturæ, sed etiam Senatus Consulti Orficiani suffragijs iuuabantur, accresceret, v. g. Si masculus decedat relicto filio, & ex filia nepote, nepteue, ex dictorum Imperatorum Constitutione, filius octo vncias habet, nepos, neptisue ex filia quatuor, ita enim hic nepos, neptisue tertia parte deminutam consequitur partem, quam mater eius habitura erat. Item si masculus decedat relictis nepotibus, neptibusue ex filio, & nepotibus, neptibusue ex filia, nepotes, nepteſue ex filio octo vncias habent, nepotes verò, nepteſue ex filia quatuor, ita enim isti nepotes, nepteſue ex filia, tertia parte deminutam consequuntur partem, quam mater eorum habitura erat, & hoc probatur ex hoc nostro. §. *in vers. Sed cum nepotis.* Quod si fœmina decedat relicto filio, filiaue, & nepote, nepteue ex alio filio, filiaue, ex dictorum Imperatorum Constitutione filius, filiaue, propter suffragium Senatus 2 3 4

Consulti Orficiani, octo vncias habet, nepos, neptiue quatuor ita enim hic nepos neptisue tertia parte deminutam consequitur partem, quam pater, aut mater eius habiturus, habituraue erat. Hic autem nulla fit differentia, vtrum sit nepos, neptisue ex filio, an ex filia, quoniam persona, de cuius hereditate agitur, fœmina est. Sin autem fœminæ hereditas inter eius nepotes, nepteſue diuidenda sit, deductioni tertiæ partis locus non est: quia veteris nullius iuris suffragijs alij magis alijs adiuuantur: æquè enim omnes nepotes ab Orficiano Senatus Consulto repelluntur, 1

f *Quàm mater eorum*. Si ageretur de hereditate aui materni.

g *Vel auia*. Si quæstio esset de hereditate proaui materni.

h *Vel pater eorum*. Si ageretur de hereditate auiæ paternæ.

i *Vel auus paternus*. Si ambigeretur de hereditate proauiæ paternæ.

l *Siue maternus*. Si ageretur de hereditate proauiæ maternæ.

m *Ad successionem aui sui vocat*. Vide notata supra ad §. *Cùm filius hoc eodem tit.* 2

n *Cum iam designata partis tertiæ deminutione*. In fine huius tituli hoc corrigitur.

Ad §. Sed nos.

Sed nos, cum adhuc (a) *dubitatio maneret inter adgnatos & memoratos nepotes, quartam partem substantiæ defuncti adgnatis sibi vindicantibus ex cuiusdam* (b) *Constitutionis auctoritate: memoratam quidem Constitutionem à nostro Codice* (c) *segregauimus, neque inseri eam ex Theodosiano Codice in eo concessimus. Nostra autem Constitutione* (d) *promulgata, toti iuri eius derogatum est, & sanximus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, & deinceps, superstitibus, adgnatos nullam partem mortui successionis sibi vindicare: ne hi, qui ex transuersa linea veniunt, potiores* (e) *iis habeantur, qui recto iure descendunt. Quam Constitutionem nostram obtinere secundum sui vigorem* (f) *& tempora, & nunc sancimus: ita tamen, vt quemadmodum inter filios, & nepotes ex filio antiquitas* (g) *statuit, non in capita, sed in stirpes diuidi hereditatem, similiter nos inter filios* (h) *& nepotes ex filia, distributionem fieri iubemus, vel inter omnes nepotes & neptes, & inter pronepotes, & proneptes, & alias deinceps personas: vt vtraque progenies, matris suæ vel patris, auiæ, vel aui, portionem sine vlla deminutione* (i) *consequatur, vt si fortè vnus vel duo ex vna parte, ex altera* 3 4

tres aut quatuor extent: vnus aut duo dimidiam, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hereditatis habeant.

a *CVM adhuc dubitatio maneret &c.* Nam fuit olim & Constitutio quædam, quæ huiusmodi nepotibus dodrantem, siue nouem vncias daret, agnatis autem quadrantem, siue tres vncias. Emissa erat & alia posterior cunstitutio, quæ leuiter tantum & obscurè contrarium volebat. *Theoph. hic.* 1

b *Excuiusdam Constitutionis auctoritate. l. Si defunctus 4. C. Theod. de legit. hered.* Vbi hæc verba leguntur: Quod si hic defunctus, de cuius bonis loquimur, habebit ex filia nepotes, & præterea filios non habebit, sed qui præferri nepotibus possint habebit agnatos: hi in quandam falcidiam, & in dodrantem nepotes iure succedant. v. g. Si quis moriatur intestatus, & relinquat ex filia nepotes, & filios non dimittat, sed fratrem, vel sororem superstites derelinquat, tres partes hereditatis aui materni sibi nepotes ac neptes ex filia vindicabunt: quartam frater 2
vel soror aui defuncti, consequentur, vt notatur *in Interpret. dictæ l. 4.*

c *A nostro Codice segregauimus.* Imò partem duntaxat, non legem integram à suo Codice segregauit Iustinianus, vt constat *ex l. Si defunctus 9. C. de suis & legit. liber.*

d *Nostra autem Constitutione promulgata. l. vlt. C. de suis & legit. liber.* In qua Iustinianus quadrantem tollit. Sed & trientem, de quo diximus in §. præcedenti, idem Iustinianus tollit in *Nouella 18. & 118.* 3

e *Potiores ijs habeantur.* Lapsus memoria videtur Tribonianus. Non enim potiores habebantur, imò ne pari quidem iure, ac loco: quadrans enim ijs duntaxat attribuebatur. *Ex H.*

f *Secundùm sui vigorem & tempora.* Hanc enim Constitutionem in futuris tantùm, non etiam in præteritis negotijs seruari voluit Iustinianus *d. l. vlt. C. de suis & legit. liber.*

g *Antiquitas statuit.* Lex duodecim tabularum. *l. 3. C. de suis, & legit. liber.*

h *Similiter nos inter filios &c.* Lege Iustiniani, inter filios & nepotes ex filia, vel inter omnes nepotes, & neptes, & inter pronepotes & proneptes, & alias deinceps personas, non in capita, sed in stirpes diuiditur hereditas. *Tex. hic. Nouella 18. cap. 4. & Nouella 118. cap. 1.* 4

i *Sine vlla deminutione. Iustinianus in Nouella 18. cap. 4.* primùm constituit, vt nepotes ex filia, & deinceps cæteri liberi inte-

gram portionem suæ matris vel auiæ consequantur, absque vlla trientis deminutione. Et ex dicta Nouella tunc temporis nondum edita, sed quam edere Imperator Iustinianus in animo habuit, hic dicitur vtramque progeniem matris suæ, vel patris, auiæ vel aui portionem sine vlla deminutione, consequi debere. *Ex Cuiac. & Borch. hic.*

De (a) Legitima adgnatorum successione. 1

TITVLVS II.

Si nemo suus (b) heres, vel eorum, quos inter suos heredes (c) prætor, vel constitutiones (d) vocant, existat, qui successionem quoquomodo (e) amplectatur: tunc ex lege (f) duodecim tabularum ad adgnatum (g) proximum pertinet hereditas.

2

a *De legitima &c.* Si nemo suus heres, vel eorum, quos inter suos heredes prætor, vel constitutiones vocant, existat, qui successionem quoquo modo amplectatur: tunc ex lege duodecim tabularum ad adgnatum proximum pertinet hereditas, vt in princ. huius tituli. Meritò igitur post titulum proximè præcedentem, in quo dictum fuit de suis heredibus, & eis, quos inter suos heredes prætor, vel constitutiones vocant, sequitur vt de legitima adgnatorũ successione videamus.

b *Si nemo suus heres &c.* Intestatorum enim hereditates ex lege 3
duodecim tabularum primùm ad suos heredes pertinent, §. *Intestatorum, Inst. de hered. quæ ab intest. defer.* Et quamdiu suus heres speratur heres fieri posse, tamdiu locus agnatis non est. *Vlpian. in fragm. tit. 26. §. Quamdiù.* Sui autem heredes sunt liberi, qui in potestate morientis fuerunt, ita vt nulla eos persona in gradu præcederet. §. *Sui autem, de hered. qualit. & differ.* Vbi hæc omnia exposuimus.

c *Vel eorum, quos inter suos heredes prætor.* Prætor naturali æquitate motus, dat emancipatis liberis bonorum possessionem, 4
Vnde liberi, perinde ac si in potestate parentis tempore mortis fuissent: siue soli sint, siue cum suis heredibus concurrant. §. *emancipati, Instit. de hered. quæ ab intest. defer.*

d *Vel Constitutiones vocant.* Inter suos heredes constitutiones vocant nepotes neptesue ex filia, pronepotes pronepteſue ex nepte ex filio filiaue nata, vel ex nepote ex filia nato. Vide

suprà

suprà ad §. Item vetustas, de hered. quæ ab intest. defer.

e *Quoquo modo.* Ciuili, vel Prætorio iure.

f *Ex lege duodecim tabularum.* Verba legis duodecim tabularum hæc sunt: Si intestatus moritur, cui suus nec extabit heres, agnatus proximus familiam habeto. *Vlpianus in fragment. tit. 26. §. 1.*

g *Ad agnatum proximum.* Ideſt, ad eum, quem nemo antecedit, *l. 2. §. hereditas ff. de suis, & legit. hered.* Regulariter enim inter agnatos proximior posteriorem excludit, & inter eos non in stirpem, sed in capita, ab intestato diuiditur hereditas. Inter suos, proximior posteriorem non excludit, & semper hereditas in stirpē, non in capita diuiditur. *Gaius lib. 2. Instit. tit. 8. §. Regulariter.* 1

Ad §. Sunt autem adgnati.

Sunt autem adgnati, vt primo quoque libro (a) *tradidimus, cognati per virilis sexus personas cognatione coniuncti, quasi à patre connati.* 2 *Itaque eodem patre* (b) *nati fratres, adgnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur: nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & inuicem is illi adgnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles, ideſt, qui ex duobus fratribus procreati sunt, qui etiam consobrini* (c) *vocantur. Qua ratione etiam ad plures gradus adgnationis peruenire poterimus. Ii quoque, qui* (d) *post mortem patris nascuntur, iura consanguinitatis nanciscuntur. Non tamen omnibus simul adgnatis dat lex hereditatem: sed ijs, qui tunc proximiore gradu sunt, cum certum esse cœperit* (e) 3 *aliquem intestatum decessisse.*

a *Vt primo quoque libro tradidimus. Ad §. Sunt autem adgnati, de legit. adgnat. tut.* Vbi hæc expoſuimus.

b *Itaque eodem patre nati fratres &c.* Eodem patre nati fratres, licet diuersas matres habuerint, adgnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur. *l. Iuris Consultus 10. §. Cognationis ff. de grad.* iuncto *Vlpiano in frag. tit. 26. in princ.*

c *Qui etiam consobrini vocantur.* Communi appellatione. *l. 1. §. quarto gradu ff. de grad.* Vide *Tex. in §. Quarto gradu, de grad. cog.* & quæ ibidem notata sunt. 4

d *Ii quoque, qui post mortem patris &c. l. 1. in fine ff. de suis, & legit. hered. l. vlt. ff. Vnde legitimi.*

e *Cum certum esse cœperit &c.* Quod quemadmodum intelligi debeat, infrà explicabitur *ad §. Proximus autem, hoc tit.*

Ad

Ad §. Per adoptionem quoque.

Per adoptionem (a) *quoque adgnationis ius consistit: veluti inter filios naturales*, (b) *& eos, quos pater eorum adoptauit. Nec dubium est, quin impropriè* (c) *consanguinei appellentur. Item si quis* (d) *ex cæteris adgnatis tuis: veluti frater, aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu est, adoptauerit aliquem, adgnatos inter* (c) *tuos esse non dubitatur.* 1

a PER *adoptionem quoque &c. Vlpianus in l.2. §.Parui ff.de suis & legit.hered.* Parui refert, adgnatus natiuitate, an adoptione sit quæsitus. Nam qui adoptatur, ijsdem fit adgnatus, quibus pater ipsius fuit: & legitimam hereditatem eorum habebit, vel ipsi eius.

b *Naturales.* Natos ex iustis nuptijs. Hi enim naturales ex comparatione adoptiuorum vocantur. 2

c *Quin impropriè consanguinei appellentur.* Adoptio enim non ius sanguinis, sed ius adgnationis adfert. *l. Qui in adoptionem 23. ff.de adopt.*

d *Item si quis &c.* Item si quis ex cæteris adgnatis tuis: veluti frater, aut patruus, aut alius, qui longiore gradu sit, adoptauerit aliquem, non dubitatur eum inter adgnatos tuos connumerari. *l.2.§.Parui ff.de suis, & legit.hered.*

e *Adgnatos inter tuos esse non dubitatur.* Sic corrigendum hunc locum esse docet *H.hoc eod.loco.* 3

Ad §. Cęterum.

Cæterum inter masculos quidem adgnationis iure hereditas, etiam (a) *longissimo gradu vltrò citroque capitur. Quod ad fœminas verò attinet: ita placebat,* (b) *vt ipsæ consanguinitatis iure tantùm capiant hereditatem, si sorores sint: vlteriùs non capiant. masculi autem ad earum hereditates, etiam si longissimo gradu sint, admittantur. Qua de causa fratris tui, aut patrui tui filiæ, vel amitæ tuæ hereditas ad te pertinebat: tua verò ad illas non pertinebat: Quod ideo ita constitutum erat, quia commodius* (c) *videbatur ita iura constitui, vt plerumque hereditates ad masculos confluerent. Sed quia sanè iniquum erat, in vniuersum eas, quasi extraneas, repelli: prætor eas ad bonorum possessionem admittit ea parte, qua proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur. ex qua parte* 4

ita

ita scilicet admittuntur, si neque adgnatus vllus, neque proximior cognatus interueniat. Et hæc quidem lex duodecim tabularum nullo modo introduxit: sed simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes adgnatos, siue masculos, siue fœminas, cuiscunque gradus, ad similitudinem suorum inuicem ad successionem vocabat. Media (d) *autem iurisprudentia, quæ erat lege duodecim tabularum iunior, Imperiali autem dispositione anterior, subtilitate quadam excogitata, præfatam differentiam inducebat, & penitus eas à successione adgnatorum repellebat, omni alia* (c) *successione incognita: donec prætores paulatim asperitatem* (f) *Iuris Ciuilis corrigentes, siue quod deerat implentes, humano proposito alium ordinem suis edictis addiderunt: & cognationis lineæ proximitatis nomine introducta, per bonorum possessionem eas adiuuabant, & pollicebantur* (g) *his bonorum possessionem, quæ vnde cognati appellatur. Nos verò legem duodecim tabularum sequentes, & eius vestigia in hac parte conseruantes, laudauimus quidem prætores suæ humanitatis, non tamen eos in plenum huic causæ mederi inuenimus. Quare etenim vno eodemque gradu naturali concurrente, & adgnationis titulis, tam in masculis, quàm in fœminis æqua lance constitutis: masculis quidem dabatur ad successionem venire omnium adgnatorum, ex adgnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli sorori ad agnatorum successionem patebat aditus? Ideò in plenum omnia reducentes, & ad ius duodecim tabularum eamdem dispositionem exæquantes: nostra* (h) *Constitutione sanximus, omnes* (i) *legitimas personas, ideſt, per virilem sexum descendentes, siue masculini generis, siue fœminini sint, simili modo ad iura successionis legitimæ ab intestato vocari secundum sui gradus prærogatiuam: nec ideo excludendas, quia consanguinitatis iura, sicut germanæ, non habent.*

1

2

3

a *Etiam longissimo gradu, In infinitum l. 2. §. Adgnati ff. de suis & legit. hered.*

b *Ita placebat.* Scribit Paulus *Recept. Sent. lib. 4. tit. 8. §. Fœminæ*, quod Iure Ciuili Voconia rogatione id videtur effectum.

c *Quia comodius videbatur &c.* Primùm: quia familiarum antiquitatem masculi conseruabant: deinde, vt Theophilus hic ait, quia vtiliores se masculi præstent Reipublicæ, dum aut bella gerunt, aut sacra faciunt, aut muneribus publicis funguntur. 4

d *Media autem iurisprudentia.* Media Iurisprudentia est illud ius, quod sine scripto traditionibus inductum est veterum Iuris Consultorum, qui apud Romanos post latas duodecim tabularum

larum leges floruerunt. Et hoc Ius communi nomine appellatur Ius Ciuile. *l.2.§.His legibus latis ff.de orig.Iur. Paulus tamen Recept. Sent. lib.4.tit.8.* Ius illud, de quo hic in textu, quo scilicet fœminæ vltra consanguinitatis gradum ad legitimas hereditates non admittuntur, Voconiæ rogationi adscribit, vt paulò antè adnotaui.

c *Omni alia successione.* Cognatorum scilicet, & coniugum.

f *Asperitatem Iuris Ciuilis.* Asperitatem mediæ Iuris prudentiæ. 1

g *Et pollicebantur his bonorum possessionem &c.* Si neque adgnatus vllus neque proximior cognatus interueniret, vt suprà dixit.

h *Nostra Constitutione.* Hæc Constitutio est, *l. penult. C. de legit. hered.*

i *Omnes legitimas personas.* Iure verò nouissimo nulla differentia agnationis & cognationis inter eos, qui ad hereditatem ab intestato vocantur, est admittenda. *Nouella 118. cap.4.*

Ad §. Hoc etiam addendum. 2

Hoc etiam (a) *addendum nostræ constitutioni existimauimus, vt transferatur vnus tantummodò gradus à iure cognationis in legitimam successionem: vt non solum fratris filius & filia, secundum quod iam definiuimus, ad successionem patris sui vocentur: sed etiam germanæ consanguineæ, vel sororis vterinæ filius & filia soli, & non deinceps personæ vna cum his ad iura auunculi sui perueniant: & mortuo eo: qui patruus quidem est sui fratris filijs, auunculus autem sororis suæ soboli, simili modo ab vtroque latere succedant: tamquam si omnes ex masculis descendentes, legitimo iure veniant, scilicet vbi frater & soror superstites non sunt. His etenim personis præcedentibus, & successionem admittentibus, cæteri gradus remanent penitus semoti, videlicet hereditate non in stirpes,* (b) *sed in capita diuidenda.* 3

a *Hoc etiam addendum &c.* Iustiniani lege sororis consanguineæ, vel Vterinæ filij, filiæue, ad hereditatem auunculi vna cum filijs, & filiabus fratris in capita admittuntur, non tamen cum fratre, sororeue defuncti. *tex.hic d. l.penult. §. In his igitur, cum §§.seq.C.de legit.hered.* Constituit vlteriùs idem Iustinianus vt fratres, vel sorores vterini, vterinæue cum legitimis fratribus & sororibus ad legitimam fratris sui successionem vocentur, & alijs omnibus, qui sunt vlterioris gradus, licet legitimi sint, præcellant. *l. vlt. §. Sed nec fratrem C. de legit.* 4

legit.hered. Quæ tamen hic dicta sunt Iure Nouissimo sunt immutata secundum ea, quæ diximus suprà *ad rub. de hered. quæ ab intest. defer.*

b *Non in stirpes, sed in capita.* Signa hæc pro opinione Azonis de filijs fratrum, vel sororum, cum soli sunt sine theijs: tum scilicet in capita, non in stirpes succedere. *Adde Gaium lib. 2. Instit. tit. 8. circa finem, & l. 2. §. Hereditas ff. de suis & legit. hered.*

Ad §. Si plures.

Si plures (a) *sint gradus adgnatorum, apertè lex duodecim tabularum, proximum vocat. Itaque si (verbigratia) sit defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus, frater potior habetur. Et quamuis singulari numero vsa lex proximum vocet: tamen dubium non est, quin & si plures sint eiusdem gradus, omnes admittantur. Nàm & propriè* (b) *proximus ex pluribus gradibus intelligitur: & tamen non dubium est, quin, licet vnus sit gradus adgnatorum, pertineat ad eos hereditas.* 2

a *SI plures sint gradus &c.* Hereditas proximo adgnato, ideſt ei, quem nemo antecedit, defertur. Et si plures sint eiusdem gradus, omnibus competit. *l. 2. §. Hereditas ff. de suis & legit. hered. Vide notata suprà ad princ. huius tituli In verbo,* Ad agnatum proximum, & nota, quod hoc hodie immutatum est secundum ea, quæ dixi *ad Rub. de hered. quæ ab intest. defer.*

b *Nàm & propriè proximus &c.* Quamuis propriè proximus ex pluribus dicatur, tamen Proximus accipitur etiam is, qui solus est. *l. 1. §. Proximus ff. vnde cognati.* Quia is est proximus, quem nemo antecedit: & is vltimus, quem nemo sequitur: & interdum idem primus, postremusque, qui solus occurrit *l. 2. §. legitima hereditas ff. de suis & legit. hered.* 3

Ad §. Proximus autem.

Proximus (a) *autem, si quidem nullo testamento facto quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hereditate quæritur. Quod si facto testamento quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo certum esse cœperit nullum ex testamento heredem extiturum. tunc enim propriè quisque intestatò decessisse intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo spatio temporis sæpe accidit, vt proximiore mortuo,* 4

proximus (b) *esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus.*

a PRoximus autem &c. Nullo testamento facto, ille vt proximus admittitur, qui tunc fuit proximus, cum mortuus est is, cuius de hereditate quæritur: facto verò testamento, ille vt proximus admittitur, qui tunc proximus est, cùm certum esse cœperit nullum ex testamento heredem extiturum. 1

b *Proximus esse incipiat.* Vt puta, fecit quis testamentum, cum haberet patruum, & patrui filium: deliberante herede scripto, patruus decessit, mox heres institutus repudiauit hereditatem: patrui filius admittetur. *l. 2. §. Interdum ff. de suis & legit. hered.*

Ad §. Placebat autem.

2

Placebat(a) *autem in eo genere percipiendarum hereditatum successionem non esse: ideòst, vt quamuis proximus, qui, secundum ea quæ diximus, vocatur ad hereditatem, aut spreuerit hereditatẽ: aut antequam adeat decesserit: nihilo magis legitimo iure sequentes admittantur. Quod iterum prætores imperfecto iure corrigentes, non in totum sine adminiculo relinquebant, sed ex cognatorum ordine eos vocabant, vt pote adgnationis iure eis recluso.* (b) *Sed nos nihil deesse perfectissimo iuri cupientes, nostra* (c) *Constitutione, quam de Iure patronatus, humanitate suggerente, protulimus, sanximus successionem in agnatorum hereditatibus non esse eis denegandam: cùm satis absurdum erat, quod cognatis à pretore apertum est, hoc adgnatis esse reclusum:* (d) *maximè cùm in onere quidem tutelarum & proximo gradu deficiente, sequens* (e) *succedit, & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permissum.* 3

a PLacebat &c. *Ex l. 12. Tab.* In legitimis hereditatibus successiõ est. *Vlpian. in frag. tit. 26. §. Si plures Paul. Recept. Sent. lib. 4. tit. 8. §. In hereditate*: veluti, decessit aliquis intestatus extante fratre, & extante patruo: Frater vocabatur, nimirum vt proximus. Si modo contingat vt frater, aut antequam adeat, decedat, aut hereditatem repudiet, patruus, vt agnatus venire non poterit: propterea quòd lex duodecim Tabularum successionem nesciat. *Theoph. hic.* 4

b *Reclusa*, Idest, occulsa; Sic enim hoc verbum hic accipitur,

tur, vt & in *l. Binas ædes 9. in fine ff. de seruit. vrban. prad. & in l. vncia, in princ. C. de vsucap. transfor.*

c *Nostra Constitutione.* Hæc Constitutio in iis, quibus nunc vtimur, libris desideratur. Eam tamen restituit. *Cuiacius obseruat. lib. 20. cap. 34.*

d *Reclusum*, Idest, occlusum, vt suprà dixi in Verbo, *Reclusa*.

e *Sequens succedit. l. 3. §. penult. ff. de legit. tut.*

Ad §. Ad legitimam.

Ad legitimam successionem nihilominus vocatur etiam parens, qui contracta (a) *fiducia filium vel filiam, nepotem, vel neptem, ac deinceps emancipat, quod ex nostra* (b) *Constitutione omnimodo inducitur, vt emancipationes liberorum semper videantur contracta fiducia fieri: cùm apud antiquos non aliter hoc obtineat, nisi specialiter contracta fiducia parens manumisisset.*

a QVI *contracta fiducia.* Vide notata suprà ad §. *Prætereà, Quibus mod. ius pot. sol.* In Verbo, *Qui, quæue à parente.*

b *Quod ex nostra Constitutione. In l. vlt. C. de emancip. liber.*

De Senatusconsulto (4) Tertylliano.

TITVLVS III.

Lex duodecim tabularum ita stricto iure vtebatur, & proponebat masculorum progeniem: & eos, qui per fœmini sexus necessitudinem sibi iunguntur, adeò expellebat, vt ne quidem (b) *inter matrem & filium filiamue vltro citroque hereditatis capiendæ ius daret: nisi quòd prætores* (c) *ex proximitate cognatorum eas personas ad successionem, bonorum possessione vnde cognati accommodata, vocabant.*

a DE *Senatusconsulto &c.* Dixit Iustinianus in titulo præcedenti de heredibus legitimis, qui succedunt ex lege duodecim tabularum, vel ex Constitutionibus ad eandem legem accommodatis: deinceps tractat de heredibus legitimis ex Senatusconsultis, vel ex Constitutionibus ad Senatusconsulta accommodatis.

b *Vt ne quidem inter matrem & filium &c.* Ad liberos matris inte-

ſtatæ hereditas ex lege duodecim tabularum non pertinebat: quia fœminæ ſuos heredes non habent. Et contrà, Inteſtati filij hereditas ad matrem ex lege duodecim tabularum non pertinet. *Vlpian. in frag. tit. 26. §. penult. & vlt.*

c *Niſi quòd Prætores ex proximitate &c.* Ex parte, vnde cognati, Prætor naturali æquitate motus, omnibus cognatis promittit bonorum poſſeſſionem, quos ſanguinis ratio vocat ad hereditatem, licèt iure ciuili deficiant. Itaque etiam vulgò quæſiti 1
liberi matris, & mater talium liberorum ex hac parte bonorum poſſeſſionem petere poſſunt: quia ſunt inuicem ſibi cognati. *l. 2. ff. Vnde cognati.*

Ad §. Sed hæ iuris anguſtiæ.

Sed hæ iuris anguſtiæ poſtea emendatæ ſunt. Et primus quidem Diuus Claudius matri ad ſolatium liberorum (a) *amiſſorum, legitimam eorum detulit hereditatem.* 2

a *Liberorum amiſſorum.* Amiſſos Iuſtinianus ſignificat eos, qui in bello amiſſi ſunt, vt *arg. ſuprà de excuſat. tutor. in princ. ex gl. hic.*

Ad §. Poſtea autem.

Poſtea autem Senatuſconſulto Tertylliano, quod Diui (a) *Hadriani temporibus factum eſt, pleniſſimè de triſti ſucceſſione matri, non* 3
etiam auiæ (b) *deferenda cautum eſt: vt mater ingenua trium* (c) *liberorum ius habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumue admittatur inteſtatò mortuorum, licèt in poteſtate* (d) *parentis eſt: vt ſcilicet cum alicno iuri ſubiecta eſt, iuſſu eius adeat hereditatem, cuius iuri ſubiecta eſt.*

a *Diui Hadriani.* Ideſt, Diui Pij, Tertullo & Sacerdote Coſs. quam appellationem Diuus Pius ſortitus eſt, adoptionis iure. *Cuiac. hic.* 4

b *Non etiam auiæ.* Iure nouiſſimo, non matri tantùm, ſed etiam auiæ, & omnibus parentibus vtriuſque ſexus legitimæ deſcendentium hereditas defertur. *Nouella 118. cap. 2.* de qua re diximus ſuprà ad *Rub. de hered. quæ ab inteſt. defer.*

c *Trium liberorum ius habens &c.* Ingenua trium, libertina quatuor liberorum ius habet, quæ ter, aut quater peperit, vel quæ bene-

beneficio Principis ius liberorum consecuta est. *Paul. Recept. Sent. lib.4. tit.9.* Hodie tamen mater, siue ingenua, siue libertina, etsi non ter enixa fuerit, vel quater, vocatur ad liberorum suorum legitimam successionem. §. *Sed nos, hoc cod. titulo.*

d *Licet in potestate parentis sit.* Nota, quod nuptiæ filiæ à patris potestate illam non liberant *l.Si vxorem 5. C. de condit. insert. l.filiæ 12. C. de collat.*

Ad §. Præferuntur autem.

Præferuntur autem (a) *matri liberi* (b) *defuncti, qui sui sunt, quine* 3 *suorum* (c) *loco sunt, siue primi gradus, siue vlterioris. Sed & (d) filiæ suæ* (e) *mortuæ filius vel filia præponitur ex Constitutionibus* 1 *matri defunctæ, ideſt, auiæ suæ. Pater* (f) *quoque vtriusque, non etiam auus vel proauus matri anteponitur, scilicet cùm inter* (g) *eos solos de hereditate agitur. Frater autem* (h) *consanguineus tam filij quàm filiæ excludebat matrem: soror autem consanguinea partier* 2 *cum* (i) *matre admittebatur. Sed si fuerat frater & soror consanguinei, & mater liberis honorata: frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hereditas ex æquis partibus fratris, & sororis.*

a *Præferuntur autem matri &c.* Matri ex Senatoconsulto Tertylliano filio defuncto succedere volenti præferuntur liberi ipsius filij defuncti, qui sui, suorumue loco sunt, siue sint primi gradus, siue vlterioris.

b *Liberi.* Tam virilis sexus, quàm fœminini, tam naturales, 3 quàm adoptiui. *l. 2. §. Liberi ff. ad Senat. conf. Tertyl.*

c *Quine suorum loco sunt.* Suorum loco sunt liberi emancipati.

d *Sed & filiæ &c.* Liberi filiæ mortuæ ex Constitutionibus præferuntur matri ipsius defunctæ, ideſt, præferuntur auiæ, vel proauiæ suæ. *tex. hic, iuncta l. si matre 11. C. de suis & legit. liber.*

e *Suæ.* Ideſt, sui iuris, suæque potestatis, vt possit habere heredes.

f *Pater quoque &c. Vlpianus in l. 2. §. Obijcitur ff. ad Senat. Conf. Tertyl.* Obijcitur matri pater in vtriusque bonis tàm filij, quàm 4 filiæ, siue heres, siue bonorum possessor exiſtat. Sed neque auus, neque proaus in Tertylliano matri nocent, quamuis fiduciam contraxerint. Pater autem tantum naturalis, non etiam adoptiuus matri nocet. Verius enim est, cùm pater esse desierit, à matre eum excludi. Iure verò Nouissimo parentes vtriusque sexus descendentibus succedunt, liberis ipsorum descen-

descendentium non extantibus, gradus prærogatiua seruata, quod si eundem habeant gradum, omnes ad successionem vocantur, & ex æquo inter eos herediras sic diuidenda est, vt medietatem quidem accipiant omnes à patre ascendentes, quanticunque fuerint: medietatem verò reliquam à matre ascendentes, quantoscunque eos inueniri contigerit. *Nouella* 118. *cap.*2. Et de hac re pleniùs diximus suprà ad *Rubricam de hered. quæ ab intest. defer.* 1

g *Cum inter eos solos*. Si enim ex filio nepotem auus manumiserit, isque patre, & auo, & matre superstitibus, decesserit: potior esset auus. *l. æquissimum est* 5. §. *Si ex filio ff. Ad Senat. Conf. Tertyl.*

h *Frater autem consanguineus &c. Iustinianus in* §. *Sed cùm antè, hoc titulo*, corrigit ea, quæ dicuntur hoc loco. Et iure nouissimo fratres, sororesue vtrimque coniuncti defuncto, vel defunctæ, siue sint fratres sine sororibus, siue sorores sine fratribus, siue fratres, & sorores simul, succedunt vnà cum parentibus in capita, & fratres, sororesue ex vno dumtaxat parente coniuncti, à parentibus excluduntur. *Nouella* 118. *cap.*2. 2

i *Pariter cum matre admittebatur*. Idest, ex æquis partibus heredes fiebant. Quod si defuncto, vel defunctæ plures extabant sorores consanguineæ, & mater: mater filiæ pro dimidia, filio pro virili succedebat. *l.*2. *C. Theodos. de secund. nupt.*

Ad §. Sed nos.

3

Sed nos Constitutione, (a) *quam in Codice nostro nomine decorato posuimus, matri subueniendum esse existimauimus: respicientes ad naturam, & puerperium*, (b) *& periculum, & sæpè mortem ex hoc casu matribus illatam. Ideoque impium esse credidimus, casum fortuitum in eius admitti detrimentum. si enim ingenua ter, vel libertina quater non peperit, immeritò defraudabatur successione suorum liberorum, quid enim peccauit, si non plures, sed paucos peperit? Et dedimus ius legitimum plenum matribus, siue ingenuis, siue libertinis, & si non ter enixæ fuerint, vel quater, sed eum tantùm vel eam, qui quæue morte intercepti sunt, vt & sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem.* 4

a *Constitutione*. *l. Illam iniuriam* 2. *C. de Iure liberor.*

b *Et puerperium, & periculum*. Videtur legendum: & puerperij periculum. Facit *l. vlt.* §. *Quis enim C. qui potior. in pig. hab.*

Ad

Ad §. Sed cùm antea.

Sed cùm antea Constitutiones (a) *iura legitimæ successionis perserutantes, partim matrem adiuuabant, partim eam prægrauabant, & non insolidum* (b) *eam vocabant, sed in quibusdam casibus tertiam ei partem abstrahentes certis legitimis dabant personis, in alijs autem contrarium faciebant: nobis* (c) *visum est recta & simplici via matrem* 1
omnibus personis legitimis anteponi, & sine vlla deminutione filiorum suorum successionem accipere: excepta fratris & sororis persona, siue consanguinei sint, siue sola (d) *cognationis iura habentes: vt quemadmodum eam toti alij ordini legitimo præposuimus, ita omnes fratres & sorores, siue legitimi sunt, siue non, ad capiendas hereditates simul vocemus: ita tamen, vt si quidem solæ sorores adgnatæ* c
vel cognatæ, & mater defuncti vel defunctæ superstint: dimidiam quidem mater, alteram verò dimidiam partem omnes sorores habeant. Si verò matre superstite & fratre vel fratribus solis, vel etiam 2
cum sororibus, siue legitima, siue sola cognationis iura habentibus, intestatus quis vel intestata moriatur, in capita distribuantur eius hereditas. 3

a *Constitutiones*, Has Constitutiones habemus in *l.* 1. 2. *& 7. C. Theodos. de legit. hered.*

b *Et non in solidum eam vocabant &c.* Si enim mater ius trium, aut quatuor liberorum non habebat, cum adgnatis filio filiæue ex triente succedebat: Si verò ius trium, aut quatuor liberorum habebat, dabat trientem fratri cognato (nam frater adgnatus matri præferebatur) vel patruo, ciusque filio, vel nepoti, non vlterioribus. *dicta l.* 1. 2. *& 7.* 3

c *Nobis visum est &c. In l. vlt. C. Ad Senat. Conf. Tertyl.* Vbi idem Iustinianus prædicta corrigit vt sequitur hic in textu. Iure verò nouissimo indistinctè parentes, & frâtres, sororesue vtrimque d
coniuncti defuncto, vel defunctæ simul succedunt in capita, & fratres, sororesue ex vno dumtaxat parente coniuncti defuncto, defunctæue, à parentibus, & fratribus, sororibusue de- 4
functo, defunctæue ex vtroque parente coniunctis, excluduntur. *Nouella* 118. *cap.* 2. Atque etiam cum parentibus, & fratribus, vel sororibus vtrimque defuncto, defunctæue coniunctis succedunt filij alterius fratris præmortui, vel sororis præmortuæ vtrimque coniuncti, coniunctæue defuncto, vel defunctæ, & tantam accipiunt portionem, quantam eorum pater,

aut

aut mater accepisset, si vixisset. *dicta Nouella* 118. *cap.* 2. *iuncta Nouella* 127. *cap.* 1.

d *Sine sola cognationis iura habentes*. Sola cognationis iura habent vterini, vterinæue.

Ad §. Sed quemadmodum.

Sed quemadmodum nos matribus prospeximus, ita eas oportet suæ so- 1
boli consulere: sciturisi eis, quòd si tutores (a) *liberis non petierint, vel in locum remoti, vel excusati intra annum petere neglexerint: ab eorum impuberum* (b) *morientium successione meritò repellentur.* (c)

a *Quòd si tutores liberis non petierit &c.* Vide *l.* 2. §. *Si mater, vsque ad finem legis. ff. Ad Senat. Conf. Tertyl.*

b *Impuberum morientium*. Matres verò, quæ puberes amiserunt filios, licet impuberibus eis tutores non petierint, ab eorum successione non repelluntur *l.* 3. *C. Ad Senat. Conf.* 2
Tertyl.

c *Repellentur*. Idem obtinet in omnibus alijs, qui ad successionem vocuntur pupilli mortui *l. Sciant* 10. *C. de legit. hered.* Mater tamen minor, quæ filijs tutorem ætatis lubrico lapsa, non petijt, ab eorum successione non repellitur *l.* 2. *C. Si aduers. delict.*

Ad §. Licèt autem.

3

Licèt autem (a) *vulgò quæsitus sit filius filiaue: potest tamen ad bona eius mater ex Tertylliano Senatus consulto admitti.* (b)

a *Licèt autem vulgò quæsitus &c. l.* 2. *in princ. ff. ad Senat. Conf. Tertyl.*

b *Admitti*. Ratio est: Quia ex Senatusconsulto Tertylliano hereditates sic deferuntur, vt personæ naturaliter designentur. *l. Tutelas* 7. §. *Ex nouis ff. de capit. demin.* 4

De Senatusconsulto (a) Orphitiano.

TITVLVS IV.

Per contrarium autem, vt (b) *liberi ad bona* (c) *matrum intestatarum admittantur, Senatusconsulto Orphitiano, Orphitio & Rufo consulibus*

libus effectum est, quod latum est Diui Marci temporibus: & data est tam filio quàm filiæ, legitima hereditas, etiamsi alieno (d) *iuri subiecti sunt; & præferuntur consanguineis* (e) *& adgnatis defunctæ matris.*

a *De Senatusconsulto Orphitiano.* Senatusconsulto Tertylliano, de quo in præcedenti titulo dictum fuit, cautum est: vt mater ad bona filiorum, filiarumue admittatur intestatò mortuorum. Per contrarium autem, vt liberi ad bona matrum intestatarum admittantur, Senatusconsulto Orphitiano effectum est, de quo consequenter sequitur videndum. 1

b *Liberi.* Filius, & filia.

c *Ad bona matrum.* Siue ingenua, siue libertina mater est: admitti possunt liberi ad hereditatem eius ex Senatusconsulto Orphitiano *l. 1. in princ. ff. Ad Senat. Conf. Tertyl. & Orph.*

d *Etiam si alieno iuri subiecti sunt.* Ita tamen vt iussu eius adeant hereditatem, cuius iuri subiecti sunt *l. Qui in aliena 6. ff. de acquir. vel omit. hered.* 2

e *Consanguineis.* Ideſt, fratribus, vel sororibus.

Ad §. Sed cùm ex hoc.

Sed cum ex hoc Senatusconsulto nepotes ad auiæ successionem legitimo iure non vocabantur: postea hoc Constitutionibus (a) *principalibus emendatum est, vt ad similitudinem filiorum filiarumque & nepotes & neptes vocentur.* 3

a *Constitutionibus principalibus.* Valentiniani, Theodosij, & Arcadij. *l. Si defunctus 4. C. Theodos. de legit. hered. & l. Si defunctus 9. C. de suis, & legit. liber.* de quibus plenè diximus suprà ad §. *Item vetustas, de hered. quæ ab intest. defer.*

Ad §. Sciendum autem est.

Sciendum autem est, huiusmodi successiones, quæ à Tertylliano & Orphitiano deferuntur, capitis (a) *deminutione non perimi, propter illam regulam, qua* (b) *nouæ hereditates legitimæ capitis deminutione non pereunt, sed illæ solæ, quæ ex lege duodecim tabularum deferuntur.* 4

a *Capitis deminutione. Minima scilicet, l. 1. §. capitis ff. ad Senat. Conf. Tertyl. & Orphic.*

b *Propter illam regulam, qua nouæ hereditates &c.* Et ratio est, quia ex lege duodecim tabularum hereditates sic deferuntur, vt personæ ciuiliter designentur: vt ecce lex duodecim tabularum defert hereditatem suis, vel adgnatis, qui ea capite minuti tales esse desinunt. Ex nouis autem legibus hereditates plerunque sic deferuntur, vt personæ naturaliter designentur: vt ecce deferunt hereditatem Senatus Consulta matri, & filio, qui capite minuti tales esse non desinunt. *l. tutelas 7. §. licet legitimæ ff. de capit. demin. l. capitis 11. ff. de suis, & legit. hered.* 1

Ad §. Nouissimè.

Nouissimè sciendum est, etiam illos liberos, (a) *qui vulgò quæsiti sunt, ad matris hereditatem ex hoc Senatus Consulto admitti.*

a *Etiam illos liberos, qui vulgò &c.* Etiam vulgò quæsiti admittuntur ex Senatus Consulto Orphiciano ad matris legitimam hereditatem. *l. 1. §. Sed & vulgò ff. ad Senat. Conf. Tertyl. & Orphit.* Matri tamen illustri, spurij non succedunt, iustis liberis existentibus. *l. Si qua illustris 5. C. Ad Senat. Conf. Orphic. Non tamen in d. l. 5.* negatur matrem illustrem spurio succedere, neque nos id negare audemus. *Ex Cuiac. hic.* 2

Ad §. Si ex pluribus.

Si ex pluribus (a) *legitimis heredibus quidam omiserint hereditatem, vel morte, vel alia causa impediti fuerint, quo minus adeant: reliquis, qui adierint, adcrescit* (b) *illorum portio: & licet antè* (c) *decesserint, qui adierint, ad heredes* (d) *tamen eorum pertinet,* 3

a *Si ex pluribus &c. l. si ex pluribus 9. ff. de suis: & legit. hered.*

b *Adcrescit.* pro hereditaria parte *l. unica §. in his itaque C. de caduc. tol.*

c *Antè decesserint* - Antequam portio adcresceret *d. l. si ex pluribus 9. ff. de suis & legit. hered.* 4

d *Ad heredes tamen eorum pertinet.* Alia causa est instituti heredis, & coheredis substituti: huic enim viuo defertur ex substitutione hereditas: non etiam si decesserit, heredem eius sequitur *d. l. si ex pluribus.*

De

De succeſſione (a) cognatorum.

TITVLVS V.

Poſt ſuos (b) *heredes, eoſque, quos inter* (c) *ſuos heredes prætor & Conſtitutiones* (d) *vocant, & poſt legitimos (quorum numero* (e) *ſunt adgnati, & hi, quos in locum adgnatorum tam ſupradicta* (f) *Senatus Conſulta, quam noſtra erexit* (g) *conſtitutio) proximos* (h) *cognatos prætor vocat.* 1

a HIC *titulus continuatur ad præcedentes per textum in principio tituli.*

b *Poſt ſuos heredes.* Sui heredes ſunt liberi, qui in poteſtate morientis fuerunt, ita vt nulla eos perſona in gradu præcederet. §. *Sui autem, de hered. qualit. & differ.* Vbi hæc expoſuimus.

c *Quos inter ſuos heredes prætor.* Inter ſuos heredes prætor vocat emancipatos. §. *Emancipati, Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. defer.* 2

d *Et conſtitutiones vocant.* Inter ſuos heredes Conſtitutiones vocant nepotes nepoteſue ex filia, pronepotes pronepteſue ex nepte ex filio filiaue nata, vel ex nepote ex filia nato. Vide ſupra ad §. *Item vetuſtas, de hered. quæ ab inteſt defer.*

e *Quorum numero ſunt adgnati. Principio tit. Inſtit. de legit. adgnat. ſucceſſ.*

f *Tam ſupradicta Senatus Conſulta* In locum adgnatorum Senatus Conſultum Tertyllianum refert matrem ingenuam, quæ ius trium, aut libertinam, quæ ius quatuor liberorum habet §. *Poſtea autem, Inſt. de Senat. Conſ. Tertyl.* Senatus Conſultum Orfitianum filios, & filias, qui, quæue matri ſuccedunt. *princ. tit. Inſtit. de Senat Conſ. Orphit.* 3

g *Quàm noſtra erexit Conſtitutio.* In locum adgnatorum Iuſtiniani Conſtitutio refert ſororis conſanguineæ, vel vterinæ filios, & filias. §. *Hoc etiam addendum, Inſtit. de legit. adgnat. ſucceſſ.*

h *Proximos cognatos prætor vocat.* Sed hodie æqualiter ſuccedunt adgnati & cognati, omni ceſſante differentia. *Nouell.* 118. *cap.* 4. 4

Ad §. Qua parte.

Qua parte (a) *naturalis cognatio ſpectatur. Nam adgnati capite deminuti,* (b) *quique ex his progeniti ſunt ex lege duodecim tabularum*

inter legitimos non habentur, sed, à prætore (c) *tertio ordine vocantur: exceptis solis* (d) *tantummodo fratre & sorore emancipatis non etiam liberis eorum, quos lex* (e) *Anastasiana cum fratribus integri iuris constitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hereditatem, siue sororis: non æquis tamen partibus, sed cum aliqua deminutione, quam facilè est ex ipsius constitutionis verbis colligere. Alijs verò adgnatis inferioris gradus, licet capitis deminutionem passi non sint, tamen eos anteponit, & procul dubio cognatis.* 1

a *QVA parte &c.* Prætor proximos cognatos tertio ordine vocando, naturalem cognationem spectat.

b *Capite deminuti.* Hoc est, emancipati.

c *Sed à Prætore tertio ordine vocantur.* Prætor tertio ordine vocat proximos cognatos. *l. 1. ff. quis ord. in bon. possef. ser.* Adgnati autem per emancipationem desinunt quidem esse adgnati: non tamen desinunt naturaliter esse cognati.

d *Exceptis solis tantummodo fratre &c.* Ex lege duodecim Tabularum fratres, & sorores emancipati, fratri, vel sorori non succedebant. Nàm lex duodecim tabularum, si suus heres non extabat, proximum adgatum ad successionem vocabat. *princ. tit. Instit. de legit. adgnat. succes.* Fratres autem, & sorores per emancipationem desierunt esse adgati. A Prætore postea tertio ordine per bonorum possessionem, vnde cognati, vocati fuerunt, quoniam per emancipationem non desierunt naturaliter esse cognati, Deinde per Constitutionem Anastasij, de qua hic in textu, ad legitimam fratris, vel sororis hereditatem in secundo ordine fuerunt vocati; sic tamen vt alijs quidem adgnatis inferioris gradus, & cognatis anteponatur in solidum: sed si cum alijs fratribus, & sororibus non emancipatis concurrant, duplo plus accipiant fratres, & sorores non emancipati, quam emancipati v.g. si vnus sit frater non emancipatus, & alter emancipatus, non emancipatus octo vncias habet, emancipatus verò quatuor. *Theoph. hic.* Tandem Iustinianus constituit, vt fratres: & sorores, in fratrum, vel sororum suarum successione (siue omnes sui, siue omnes emancipati sint, siue mixti) æquo iure inuicem sibi succedant, & non secundum legem Anastasianum, parte aliqua deminuta. Et etiam cum fratribus, & sororibus defuncti ad legitimam successionem vocauit fratris emancipati, vel sororis emancipatę filios, & filias, quamuis essent emancipati, emancipatęque, *l. vlt. C. de legit. hered.* Et iure nouissimo omnes cognati cum adgna- 2 3 4

adgnatis æqualiter succedunt ab intestato, omni cessante differentia - *Nouella* 118. *cap.*4.

c *Lex Anastasiana*. Quàm hodie non habemus.

Ad §. Eos etiam.

Eos etiam, qui per fœminini sexus personas ex transuerso cognatione iunguntur, tertio (a) *gradu proximitatis* (b) *nomine prætor ad successionem vocat.* 1

a *Tertio gradu*. Tertio ordine. Sed hodie hoc reformatum est per dictam *Nouellam* 118. *cap.*4.

b *Proximitatis nomine*. Hoc proprio nomine cognatio naturalis significatur. Namque in ea sola proximitas spectatur, in suorum, in adgnatorum ordine, non quis sit proximior, sed quis suus, quis adgnatus spectatur: ac sæpè fit, vt proximiorem suus vel adgnatus excludat §. *repetitis*, & §. *vlt. infra tit. prox.* 2 *Ex Cuiac. hoc eodem loco*.

Ad §. Liberi quoque.

Liberi (a) *quoque, qui in adoptiua familia sunt, ad naturalium parentum hereditatem hoc eodem gradu vocantur.*

a *Liberi quoque &c.* Liberi, qui in adoptiua familia sunt, ad naturalium parentum hereditatem, tertio ordine à prætore vocantur. Vide notata supra ad §. *admonendi*, & ad §. *Sed ea omnia, de hered. quæ ab intest. defer.* & ad §. *Sed hodie, de Adop.* 3

Ad §. Vulgo quæsitos.

Vulgo (a) *quæsitos, nullum habere adgnatum, manifestum est: cum adgnatio à patre, cognatio à matre sit. hi autem nullum patrem* (b) *habere intelliguntur. Eadem ratione ne inter se quidem possunt videri consanguinei* (c) *esse: quia consanguinitatis ius, species* (d) *est adgnationis. Tantùm igitur cognati sunt sibi, sicut* (e) *ex matre cognati. Itaque* (f) *omnibus istis ea parte competit bonorum possessio, qua* (g) *proximitatis nomine cognati* (h) *vocantur.* 4

a *Vulgò quæsitos*. Idest ex meretrice natos.

b *Nullum patrem habere intelliguntur*, Vnde solent spurij appellari

pellari, quasi sine patre filij. §. *Si adversus ea, Infra tit. de nuptijs.*

c *Consanguinei.* Consanguinei vocantur eodem patre nati fratres. §. *Sunt autem agnati, Infra de legit. agnat. succeff. Vlpian. in frag. tit. 26. in princ.*

d *Species est agnationis.* Adgnatorum enim generali nomine consanguinei continentur. *l. vlt. §. 1. ff. de gradibus.*

e *Sicut ex matre cognati,* Sensus hic est, eos inter se cognatos esse, sicut ex illis, qui per matrem coniunguntur, cognati sunt. Agnati sunt ex patre cognati: Cognati sunt ex matre cognati. *Cuiac. hic.* In libris vulgatis legitur: sicut & matri cognati sunt. Theophilus autem vertit; Cognationis verò iura inter se habent filij ex meretrice matre nati: sicut & erga quemuis, qui per matrem eis coniunctus est, cognatum. Què versio dictam Cuiacij lectionem adiuuat. 1

f *Itaque omnibus istis &c. Gaius in l. 2. ff.* Vnde cognati. Etiam vulgò quæsiti liberi, matris, & mater talium liberorum, item ipsi fratres inter se ex hac parte bonorum possessionem petere possunt: quia sunt inuicem sibi cognati. *Et Vlpianus in l. Si spurius 4. ff. eod.* Si spurius intestato decesserit, proximitatis nomine mater eius, aut frater eadem matre natus, bonorum possessionem eius ex edicto petere potest. 2

g *Qua proximitatis nomine.* Idest, nomine cognationis naturalis. Vide notata supra ad §. *Eos etiam, hac eodem titulo,* in verbo, *Proximitatis nomine.*

h *Cognati vocantur. Tertio scilicet ordine l. 1. ff. quis ord. in bon. possess. serv.* 3

Ad §. Hoc loco.

Hoc loco & illud necessariò admonendi sumus, adgnationis quidem iure admitti aliquem ad hereditatem, & si (a) decimo gradu sit, siue de lege duodecim tabularum quæramus, siue de edicto, quo prætor legitimis heredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis (b) *verò nomine ijs solis prætor promittit bonorum possessionem, qui vsque* (c) *ad sextum gradum cognationis sunt, & ex septimo à sobrino sobrinaque nato natæue.* 4

a ETSI *decimo gradu sit.* Hæc verba, & si decimo gradu sit, non hoc volunt, quòd adgnationis iure vsque ad decimum dumtaxat gradum succedatur, sed exempli causa ponuntur,

tur, pro longissimo gradu: successio enim adgnatorum nullo fine terminatur. *l.2. §. Adgnati ff. de suis & legit. hered. Ex Cuiac. & Borch. hic.*

b *Proximitatis verò nomine &c. Vlpianus in l.1.§.1.ff.Vnde cognati.* Hæc bonorum possessio, quæ ex hac parte edicti datur, cognatorum gradus sex complectitur, & ex septimo duas personas, sobrino, & sobrina natum, & natam.

c *Qui vsque ad sextum gradum.* Ratio autem differentiæ, quare adgnati in infinitum, cognati vsque ad sextum dumtaxat gradum admittantur, ea esse videtur, quia familiæ nomen per adgnatos conseruatur, non per cognatos. Iure tamen nouissimo in successionibus inter adgnatos, & cognatos sublata est omnis differentia. *Nouella 118.cap.4.* Et consequenter, non solùm adgnati, sed etiam cognati hodie succedunt in infinitũ. 1

De gradibus (a) cognationis. 2

TITVLVS VI.

Hoc loco necessarium (b) *est exponere, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonendi sumus, cognationem* (c) *aliam suprà numerari, aliam infrà, aliam ex transuerso, quæ etiam à latere dicitur, Superior cognatio est parentum, inferior liberorum, ex transuerso fratrum sororumue, eorumque, qui quæue ex his progenerantur: & conuenienter patrui, amitæ, auunculi, materteræ. Et superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit: at ea quæ ex transuerso numeratur, à* (d) *secundo.* 3

a *De gradibus cognationis.* Quoniam in succedendo admittitur qui est proximior in gradu, vt superioribus titulis sæpè dictum fuit: hoc loco necessarium est exponere, quemadmodum gradus cognationis numerentur, vt comprehendatur quoto gradu quis sit.

b *Necessarium est.* Propter hereditates. Et etiam cognatorum gradus nosse debet Iurisconsultus propter tutelas, bonorum possessiones, & testimonia, *l. Iuris Consultus 10.in princ.ff.de gradibus,* & propter nuptias, *tot.tit. Instit.de nupt.* 4

c *Cognationem aliam suprà &c. l.1.in princ.ff.de grad.*

d *A secundo.* Sed Iure Canonico etiam cognatio, quæ ex transuerso numeratur, à primo gradu incipit. Et Pacius in Analy.

assi-

assignat rationes, cur Iure Ciuili cognatio transuersalis incipiat à secundo gradu, Iure autem Pontificio à primo.

Ad §. Primo gradu.

Primo (a) *gradu est suprà pater, mater : infra filius, filia.*

a PRimo gradu &c. l.1.§.primo gradu, ff.de grad. 1

Ad §. Secundo suprà.

Secundò (a) *suprà, auus, auia : infrà, nepos, neptis : ex transuerso, frater, soror.*

a SEcundo suprà &c. Dicta l.1.§.secundo gradu ff.de grad. 2

Ad §. Tertio suprà.

Tertio (a) *suprà, proauus, proauia : infrà, pronepos, proneptis : ex transuerso, fratris, sororisque filius, filia : & conuenienter patruus, amita, auunculus, matertera. Patruus*, (b) *est frater patris, qui Græcè* πατρώς *vocatur. Auunculus*, (c) *est frater matris, qui apud Græcos propriè* μητρώς : *& promiscuè* θεῖος *dicitur. Amita*, (d) *est patris soror. Matertera* (e) *verò matris soror : vtraque* θεία, *vel apud quosdam* τηθίς *appellatur.* 3

a TErtiò suprà &c. Dicta l.1. §.Tertio gradu, ff. de grad.
b Patruus est &c. l.Iurisconsultus 10.§.Tertio gradu ff.de grad.
c *Auunculus.* Auunculus matris meæ frater, traxit appellationem ab eo, quòd æquè tertius à me, vt auus est : sed non eiusdem iuris, ideòque vocabuli facta deminutio est : siue auunculus appellatur, quod aui locum obtineat, & proximitate tueatur sororis filium. *Festus lib.*1. In verbo, *Auunculus.* 4
d *Amita.* Amita patris mei soror, quia similiter tertia à me sit, atque auia : videri potest dicta ex eo, quod ab antiquioribus auita sit vocitata. Siue Amita dicta est, quia à patre meo amata est. Nam plus sorores à fratribus, quàm fratres diligi solent, videlicet propter dissimilitudinem personarum, quæ ideò minus habent dissensionis, quominus æmulationis. Idem *Festus lib.*1. In verbo, *Amita.*

c *Ma-*

c *Matertera.* Matertera, matris soror, quasi mater altera. Ex *cod. Festo lib.* 11. In verbo, *Matertera.*

Ad §. Quarto gradu.

Quarto (a) *gradu suprà, abauus, abauia: infrà, abnepos, abneptis: ex transuerso, fratris sororisque nepos, neptis: & conuenienter patruus magnus*, (b) *amita magna, ideſt, aui frater & soror: item auunculus magnus*, (c) *& matertera magna, ideſt, auiæ frater & soror: consobrinus*, (d) *consobrina, ideſt, qui quæue ex fratribus, aut sororibus progenerantur. Sed quidam rectè consobrinos, eos proprie dici putant, qui ex duabus sororibus progenerantur, quasi consororinos: eos verò qui ex duobus fratribus progenerantur, propriè fratres patrueles vocari. Si autem ex duobus fratribus filiæ nascantur, sorores patrueles appellari. At eos qui ex fratre, & sorore propagantur, amitinos propriè dici. Amitæ tuæ filij, consobrinum te appellant, tu illos amitinos.* 1 2

a QVarto gradu &c. *l.* 1. §. *Quarto gradu ff. de grad.*

b *Patruus magnus, amitâ magna.* Qui autem mihi est patruus magnus, is patri meo, vel matri meæ patruus est. Similiter quæ patri meo, vel matri meæ amita est, mihi erit amita magna. *l. Iuris Consultus* 10. §. *Quarto gradu ff. de grad.*

c *Item auunculus magnus, & matertera magna.* Mihi is est auunculus magnus, qui patri meo, vel matri meæ auunculus est. Et ea quæ matri meæ, vel patri meo matertera est, mihi matertera magna vocatur. *d. l. Iurisconsultus* 10. §. *Quarto gradu.* 3

d *Consobrinus, consobrina.* Vulgus eos & eas, qui, quæue ex fratribus, aut sororibus progenerantur, communi appellatione consobrinos vocat. Sed propriè qui, quæue ex duobus fratribus progenerantur, fratres patrueles, sororesque patrueles vocantur. Qui verò, quæue ex duabus sororibus nascuntur, consobrini, consobrinæue dicuntur, quasi consororini. Et qui, quæue ex fratre, & sorore propagantur, amitini, amitinæ appellantur. *l.* 1. §. *Quarto gradu, & l. vlt.* §. *Eodem gradu ff. de grad.* Amitæ tuæ filij, consobrinum te appellant, tu illos amitinos. *Tex. hìc.* 4

Ad §. Quinto suprà.

Quinto (a) *suprà atauus, atauia: infra atnepos, atneptis: ex transuerso fratris, sororisque pronepos, proneptis: & conuenienter propatruus*, (b) *proamita, ideſt, proaui frater & soror: proauunculus*

(c) *promatertera, ideſt proauiæ frater & ſoror. Item fratris patruelis, ſororis patruelis, conſobrini, conſobrinæ, amitini amitinæ filius filia: propior ſobrino*, (d) *propior ſobrina. Hi ſunt patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia.*

a *Vinto ſupra & c. l. 1. §. Quinto gradu ff. de grad.*

b *Propatruus, proamita. Hi à Theoph. in hoc § .maior patruus*, maior amita vocantur.

c *Proauunculus, promatertera*. Hos idem *Theoph.* auunculum maiorem, materteram maiorem appellat. 1

d *Propior ſobrino, propior ſobrina*. Propior ſobrino, propior ſobrina ſunt patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia. *l. 1. §. vlt. ff. de grad.* Hoc eſt, patris eius de cuius cognatione quæritur, conſobrinus, conſobrina, ſiue frater patruelis. *l. 2. ff. eod.* Et propior ſobrino, qui eſt pater ſobrini, eſt in quinto gradu, vt hic in textu, ſobrinus verò in ſexto, vt in §. *Sexto gradu*, hoc titulo. Ergo ſobrini pater propior ſobrino, ſeu propius ſobrinus mihi eſt: item meus ſobrino. Et hæc huius appellationis cauſa eſſe videtur: quoniam non ſobrinus eſt, ſed propius vno gradu nobis eſt. Vide *Anton. Aug. Emend. lib. 2. cap. 5.* 2

Ad §. Sexto gradu.

Sexto (a) *gradu ſupra tritauus, tritauia: infra trinepos, trineptis: ex tranſuerſo fratris ſororiſque abnepos, abneptis: & conuenienter abpatruus, abamita, ideſt, abaui frater & ſoror: abauunculus*, (c) *abmatertera, ideſt, abauiæ* (d) *frater & ſoror. Item ſobrini ſobrinæque, ideſt, qui quæue ex fratribus* (e) *vel ſororibus patruelibus vel conſobrinis, vel amitinis progenerantur.* 3

a *Sexto gradu & c. l. 3. in princ. ff. de grad.*

b *Abpatruus, abamita. Hi à Theoph. in hoc §. & à Paulo in l. vlt. §. Sexto gradu ff. de grad.* patruus maximus, amita maxima vocantur.

c *Abauunculus, abmatertera*. Ab eodem Theoph. & Paulo vocantur, Auunculus maximus, matertera maxima. 4

d *Ideſt, abauiæ frater, & ſoror*. Verba, quæ hoc loco ſequuntur, in omnibus libris corruptiſſima ſunt. Nonnulli autem, quibus & ego aſſentior, ſic repoſuerunt: Item fratris patruelis, ſororis patruelis, conſobrini, conſobrinæ, amitini, amitinæ, nepos, neptis. Item propatrui, proamitæ, proauunculi, promateterteræ filius, filia: Item ſobrini, ſobrinæ, ideſt, qui quæue

ex

ex fratribus vel sororibus patruelibus, vel consobrinis, vel amitinis progenerantur.

c *Idest, qui quæue ex fratribus, vel sororibus patruelibus &c.* Pater enim, aut mater figuræ Arboris, Petrucij scilicet, vt vulgò dicitur, & propior sobrino, propior sobrina ipsius Petrucij, qui sunt pater, aut mater sobrini, sobrinæue eiusdem, sunt necessariò inter se fratres, sororesue patrueles, vel consobrini, consobrinæue, aut amitini, amitinæue. 1

Ad §. Hactenus.

Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum vlteriores quoque gradus numerare debeamus: quippe semper generata (a) *quæque persona gradum adijciat, vt longè facilius sit respondere, quoto quisque gradu sit, quam propria cognationis appellatione quemquam denotare.*

a *Generata quæque persona.* Vnaquæque generatio gradum efficit; ità vt quot sunt generationes inter aliquas personas interiectæ, totidem sint gradus. Gradus autem dicti sunt à similitudine scalarum, locorumue procliuium: quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum, ideſt, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus. *l. Iurisconsultus* 10. *§. gradus autem ff. de grad.* 2

Ad §. Adgnationis.

Adgnationis (a) *quoque gradus eodem modo numerantur.* 3

a *Adgnationis quoque &c.* Adgnationis quoque gradus eodem modo, vt illj cognationis numerantur.

Ad §. Sed cùm magis.

Sed cùm magis (a) *veritas oculata fide, quàm per aures animis hominum infigatur: ideò necessarium duximus, post narrationem graduum etiam eos præsenti libro inscribi, quatenus possint & auribus, & oculorum inspectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci.* 4

a *Sed cùm magis veritas oculata fide &c.* Oculi enim testes sunt certiores auribus. *Polybius Histor. lib.* 12. Et acrior est oculorum, quàm aurium sensus. *Quintil. Instit. Orat. lib.* 11. *cap.* 2.

Graduum Cognationis Diagramma Iuris Ciuilis.

	1	2	3	4	5	6
Suprà sunt In gradu.	(Pater.) (Mater.)	(Auus,) (Auia.)	(Proauus,) (Proauia.)	(Abauus,) (Abauia.)	(Atauus,) (Atauia.)	(Tritauus,) (Tritauia.
Infrà	(Filius,) (filia.)	(Nepos,) (Neptis.)	(Pronepos,) (Proneptis.)	(Abnepos,) (Abneptis.)	(Atnepos.) (Atneptis.)	(Trinepos,) (Trineptis.
Ex transuerso.		(Frater,) (Soror.)	(Fratris, vel) (Sororis) (filius, filia.)	(Fratris, vel Sororis) (nepos, neptis.)	(Fratris, vel Sororis) (pronepos, proneptis.)	(Fratris, vel Sororis (Abnepos, Abneptis.
			(Patruus,) (Amita.)	(Patruus Magnus,) (Amita Magna.)	(Propatruus,) (Proamita.)	(Abpatrus, Abamita. (Propatrui, Proamitæ (filius filia.
			(Auunculus.) (Matertera.)	(Auunculus Magnus.) (Matertera Magna.)	(Proauunculus,) (Promatertera.)	(Abauunculus, Abmatertera (Proauunculi, Promatertere (filius, filia.
				(Frater, vel Soror) (patruelis.)	(Fratris, vel Sororis) (patruelis (filius, filia.)	(Fratris, vel sororis (patruelis (nepos, neptis.
				(Consobrinus,) (Consobrina.)	(Consobrini,) (Consobrinæ (filius, filia.)	(Consobrini, Consobrinæ (nepos, neptis.
				(Amitinus,) (Amitina.)	(Amitini, Amitinæ) (filius, filia.)	(Amitini, Amitinæ (nepos, neptis.
					(Propior Sobrino,) (Propior Sobrina.)	(Sobrinus, (Sobrina.

De seruili (a) cognatione.

TITVLVS VII.

Illud certum est, (b) *ad seruiles cognationes illam partem edicti, qua proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinere:* 1
nàm nec (c) *vlla antiqua lege talis cognatio computabatur. Sed nostra Constitutione,* (d) *quam pro iure patronatus fecimus (quod ius vsque ad nostra tempora satis obscurum, atque nube plenum, & vndique confusum fuerat) & hoc humanitate suggerente concessimus, vt si quis in seruili consortio* (e) *constitutus, liberum,* (f) *vel liberos habuerit, siue ex libera, siue ex seruilis conditionis muliere: vel contra serua mulier ex libero vel seruo habuerit liberos cuiuscunque sexus: & ad libertatem* (g) *his peruenientibus, & ij, qui ex seruili ventre nati sunt, libertatem meruerint, vel dum mulieres liberæ erant, ipsi* (h) *in seruitute eos habuerint, & postea ad libertatem* 2
peruenerint: (i) *vt hi omnes ad successionem patris, vel matris veniant, patronatus iure in hac parte sopito. Hos enim liberos non solùm in suorum parentum successionem, sed etiam alterum* (k) *in alterius mutam successionem vocauimus: ex illa lege specialiter eos vocantes, siue soli inueniantur, qui in seruitute nati, & postea manumissi sunt: siue vnà cum alijs, qui post libertatem parentum concepti sunt: siue* (l) *ex eodem patre, & eadem matre, siue ex alijs ad similitudinem eorum, qui ex iustis nuptijs procreati sunt.* 3

a *De seruili cognatione &c.* Libri vulgati hoc loco habent rubricam, De Seruili cognatione: Theophilus tamen hunc specialem titulum non agnoscit, sed ea, quæ in vulgatis Institutionibus latinis sunt posita sub rubrica. De Seruili cognatione, coniungit cum titulo præcedenti, & rectè, vt notant eruditiores hoc ipso loco. Seruilis autem cognatio dicitur illa, quæ tempore seruitutis originem habuit, & postea, seruitute dissoluta, spectatur ex Iustiniani Constitutione.

b *Illud certum est, ad seruiles cognationes &c.* Pars illa edicti, quæ 4
cognatos inuitat ad bonorum possessionem, ad seruiles cognationes non pertinet, *l. 1. in princ. & §. 1. ff. Vnde Cognati.*

c *Nàm nec vlla antiqua lege &c.* Seruiles cognationes ad leges non pertinent. *l. Iurisconsultus 10. §. 1. ff. de grad.*

d *Sed nostra Constitutione.* Hæc Constitutio in ijs, quibus nunc vtimur, libris desideratur.

c *In seruili consortio constitutus.* Hoc est in contubernio. *l.3.C.de Incest.nup.*

f *Liberum.* Liberum in singulari numero ponitur etiam à Iustiniano *in l.Si quis suo 33.in princ.C.de inoff.Test.& in l.si quis prioris 8.§.vlt.C.de secund.nup.*

g *Ad libertatem his peruenientibus.* Parentibus, vel patre scilicet, vel matre.

h *Ipsi in seruitute.* Patres scilicet. 1

i *Peruenerint.* Ipsi patres.

k *Sed etiam alterum in alterius mutuam successionem &c.* Hoc est, etiam alterum liberorum in alterius mutuam successionem vocauimus &c. Et hoc quidem disertè Iustinianus ait, vtcunque interpretes deteriorem Accursij glossulam sequantur. *Baro.hic.*

l *Siue ex eodem patre &c.* H. locum hunc, qui admodum deprauatus est, sic edidit: Siue ex eodē patre, & eadem matre, siue ex alijs qualicunque copulatione nati sunt: ad similitudinē &c. 2

Ad §. Repetitis itaque.

Repetitis itaque omnibus, quæ iam (a) *tradidimus, apparet, non semper eos, qui parem gradum cognationis obtinent, pariter vocari: eoque amplius, ne eum quidem, qui proximior sit cognatus, semper potiorem esse. Cum enim prima causa* (b) *sit suorum heredum, & eorum, quos inter suos heredes iam* (c) *enumerauimus; apparet, pronepotem, vel abnepotem defuncti potiorem esse, quàm fratrem, aut patrem, matremque defuncti: cùm alioquin pater quidem, & mater (vt supra* (d) *quoque tradidimus) primum gradum cognationis obtineant, frater verò secundum, pronepos autem tertio gradu sit cognatus, & abnepos quarto: nec interest,* (e) *in potestate morientis fuerit, an non: quòd vel emancipatus, vel ex emancipato, aut ex fœmineo sexu propagatus est. Amotis quoque suis heredibus, & quos inter suos heredes vocari diximus: adgnatus* (f) *qui integrum ius adgnationis habet, etiamsi longissimo gradu sit, plerumque* (g) *potior habetur, quàm proximior cognatus. Nam patrui nepos, vel pronepos auunculo, vel materteræ præfertur. Toties igitur dicimus, aut potiorem haberi eum, qui proximiorem gradum cognationis obtinet, aut pariter vocari eos, qui cognati sunt: quoties neque suorum heredum iure, quique inter suos heredes sunt, neque adgnationis* (h) *iure aliquis præferri debeat, secundùm ea, quæ tradidimus: exceptis fratre,* (i) *& sorore emancipatis, qui ad successionem* 3 4

sionem fratrum, vel sororum vocantur: qui, & si capite deminuti sunt, tamen præferuntur cæteris ulterioris gradus adgnatis.

a QVAE *iam tradidimus.* Hoc tertio libro.

b *Prima causa sit suorum heredum. §. Intestatorum, Instit. de hered. quæ ab intest. defer.*

c *Iam enumerauimus. In tit. de hered. quæ ab intest. defer. §. Sui autem heredes, §. Emancipati, & §. Item vetustas.* 1

d *Vt supra quoque tradidimus. In tit. de grad. cog. §. 1. & seqq.*

e *Nec interest in potestate morientis fuerit &c.* Nam & hic pronepos, vel abnepos, vel ex edicto prætoris, vel ex Constitutionibus vocatur inter suos. *§. Emancipati, & §. Item vetustas, de hered. quæ ab Intest. defer.*

f *Qui integrum ius adgnationis habet.* Qui capite deminutus non est.

g *Plerumque.* Quare dixerit, Plerumque, apud Accursium, causæ relatæ sunt. 2

h *Neque adgnationis iure aliquis præferri debeat.* Iure verò nouissimo cognati cum adgnatis æqualiter succedunt ab intestato secundùm gradus prærogatiuam, omni cessante differentia. *Nouella 118. cap. 4.*

i *Exceptis fratre & sorore emancipatis &c.* Vide notata suprà *in tit. de succeff. cognat. ad §. Qua parte*, In verbo, *Exceptis solis tantummodo fratre &c.*

De successione libertorum. 3

TITVLVS VIII.

Nunc de libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat (b) *liberto patronum suam impunè testamento præterire. Nam ità demum lex duodecim tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, nullo* (c) *suo herede relicto. Itaque intestato quoque mortuo liberto, si is suum heredem reliquisset, patrono nihil in bonis eius iuris erat. Et si quidem ex naturalibus* (d) *liberis aliquem suum heredem reliquisset, nulla* (e) *videbatur querela. Si verò adoptiuus filius esset, apertè iniquum erat, nihil iuris patrono superesse.* 4

a DE *successione libertorum.* Diximus hucusque de successione ingenuorum. Videamus nunc de successione libertorum.

rum. Notate, quod hæc rubrica, de successione libertorũ, passiuè accipi debet, non actiuè, ideſt, accipi debet qualiter succedatur libertis, non autem qualiter ipſi succedant alijs. *gloſſ. hic.*

b *Olim itaque licebat liberto &c. Vlpianus in fragm. tit. 29. in princ.* Ciuis Romani liberti hereditatem lex duodecim tabularum patrono defert, ſi inteſtato ſine ſuo herede libertus deceſſerit. Ideoque, ſiue teſtamento facto decedat, licet ſuus heres ei 1
non ſit: ſeù inteſtato, & ſuus heres ei ſit, quamuis non naturalis, ſed vxor puta quæ in manu fuit, vel adoptiuus filius: lex patrono nihil præſtat.

c *Nullo ſuo herede relicto*. In libertinis, aſcendentes non norunt veteres. Nam quomodo, cum in ſeruitute nati ſint? ac ne eos quidem, qui ex tranſuerſo coniunguntur. Qui enim aſcendentes non habet, neque ex tranſuerſo cognatos habere poteſt, cum hi ex illis intelligantur. Solam igitur habent deſcendentium cognationem, hoc eſt, eorum, quos poſt liber- 2
tatem conceperint, & pepererint. Et ideò lex duodecim tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus, nullo ſuo herede relicto. Lex enim in agnati locum, patronum ſubiecit. *Theoph.*

d *Ex naturalibus liberis*. Ex liberis natis ex iuſtis nuptijs. Hi enim naturalis ex comparatione adoptiuorum vocantur.

e *Nulla videbatur querela*. Nulla videbatur eſſe patrono idonea cauſa de lege querendi: Neque enim indignum erat, patronum naturæ cedere. 3

Ad §. Qua de cauſa.

Qua de cauſa poſtea prætoris edicto hæc iuris iniquitas emendata eſt. Siue enim faciebat teſtamentum libertus: iubebatur ita teſtari, vt patrono partem dimidiam bonorum ſuorum relinqueret. (a) *Etſi aut nihil, aut minus parte dimidia reliquerat, dabatur patrono* (b) *contra tabulas teſtamenti patris dimidiæ bonorum poſſeſſio. Siue* 4
inteſtatus moriebatur, ſuo herede relicto filio adoptiuo: dabatur æquè patrono contra hunc ſuum heredem, partis dimidiæ bonorum poſſeſſio: Prodeſſe autem liberto ſolebant ad excludendum patronum naturales (c) *liberi, non ſolùm quos in poteſtate mortis tempore habebat, ſed etiam emancipati. & in adoptionem dati: ſi modo ex aliqua parte ſcripti heredes erant, aut præteriti contra tabulas bonorum*

norum possessionem ex edicto petierant. Nàm exheredati (d) *nullo modo repellebant patronum.*

a *Relinqueret.* Quo velet titulo. *l.3.§.Si debita ff.de bon.libert.*
b *Dabatur patrono contra tabulas &c.* Nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi reliquisset. *Vlpianus in fragm.tit.29.*
c *Naturales liberi.* Liberi nati ex iustis nuptijs. 1
d *Nam exheredati &c.* Qui enim exheredatur, quantum ad exheredantis successionem pro mortuo habetur. *l.1.§.Sed & si patruus ff.de coniung.cum emancip.liber.*

Ad §. Postea lege Papia.

Postea (a) *lege Papia adaucta sunt iura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, vt ex bonis eius, qui sestertium* (b) *centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores, quam tres liberos habebat: siue is testamento facto, siue intestato mortuus erat: virilis pars patrono deberetur. Itaque cum vnum quidem filium filiamue heredem reliquerat libertus: perinde pars dimidia debebatur patrono ac si is sine vllo filio filiaue testatus* (c) *decessisset. cum verò duos duasue heredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono. Si tres reliquerat, repellebatur patronus.* 2

a *Postea lege Papia &c. Isidorus in c.quædam, distinct.2.* Sub Octauiano Cæsare suffecti Consules Papius, & Poppæus legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papia Poppæa. In tabulis autem Capitolinis anno Vrbis DCCLXI. ex Kal. Iul. suffecti Consules numerantur M. Papius, Q. Poppæus, vt notatur *in d. c.quædam*. Fuerunt autem plura huius legis capita quorum vnum est illud, quo adaucta sunt iura patronorum, qui locupletiores libertos habebant, vt hic in textu. 3
b *Qui sestertium centum millium &c.* Hanc summam Iustinianus Imperator in suorum temporum pecuniam mutauit, *vt in seq.* §. 4
c *Testatus.* In libris vulgatis legitur, Intestatus. Legendum est, Testatus. Nam si intestatus libertus decesserit sine liberis, patrono non dimidia, sed tota hereditas debetur iure legitimo *l.3.ff.de suis & legit.hered.l.liberto 17.ff. de bon.libert. Cuiac. hic, & obseruat.lib.3. cap.13.*

Ad §. Sed noſtra Conſtitutio.

Sed noſtra (a) *Conſtitutio, quam pro omnium* (b) *notione, Græca lingua compendioſo tractatu habito, compoſuimus, ità huiuſmodi cauſas definiuit, vt ſi quidem libertus, vel liberta minores centenarijs ſint, ideſt,* (c) *minus centum aureis habeant ſubſtantiam (ſic enim legis Papiæ ſummam interpretati ſumus vt pro mille ſeſtertijs vnus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum ſucceſſionem, ſi tamen teſtamentum fecerint. Sin autem inteſtati deceſſerint, nullo liberorum relicto: tunc patronatus* (d) *ius (quod erat ex lege duodecim tabularum) integrum reſeruauit. Cum verò maiores* (e) *centenarijs ſint, ſi heredes, vel bonorum poſſeſſores liberos habeant, ſiue vnum ſiue plures cuiuſcumque ſexus vel gradus: ad eos ſucceſſionem parentum deduximus, patronis omnibus vnà cum ſua progenie ſemotis. Sin autem ſine liberis deceſſerint, ſi quidem inteſtati, ad omnem hereditatem patronos patronaſque vocauimus, ſi verò teſtamentum quidem fecerint, patronos autem vel patronas præterierint, cum nullos liberos haberent vel habentes eos exheredauerint, vel mater ſiue auus maternus eos preterierint, ita vt non poſſint argui inofficioſa eorum teſtamenta: tunc ex noſtra Conſtitutione per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, non dimidiam* (f) *(vt antea) ſed tertiam partem bonorum liberti conſequantur: vel quod deeſt eis, ex conſtitutione noſtra repleatur, ſi quando minus tertia portio bonorum ſuorum libertus vel liberta eis reliquerit; ita ſine onere, vt nec liberis* (g) *liberti libertæue ex ea parte legata vel fideicommiſſa præſtentur* (h) *ſed ad coheredes eorum hoc onus redundet. Multis alijs caſibus à nobis in præfata Conſtitutione congregatis, quos neceſſarios eſſe ad huiuſmodi iuris diſpoſitionem perſpeximus: vt tam patroni patronæque, quam liberi eorum, nec non qui ex tranſuerſo latere veniunt: vſque* (i) *ad quintum gradum ad ſucceſſionem libertorum libertarumue vocentur: ſicut ex ea Conſtitutione intelligendum eſt, vt ſi eiuſdem patroni vel patronæ, vel duorum vel duarum pluriumue liberi ſint: qui proximior eſt, ad liberti ſeu libertæ vocetur ſucceſſionem, & in capita, non in ſtirpes diuidatur ſucceſſio: eodem modo & in ijs, qui ex tranſuerſo latere veniunt: ſeruando. Penè* (k) *enim conſonantia iura ingenuitatis, & libertinitatis in ſucceſſionibus fecimus.*

1

2

3

4

a *Sed noſtra Conſtitutio.* Hæc Conſtitutio in ijs Codicibus, qui nunc in manibus noſtris ſunt, deſideratur.

b *Pro omnium notione*. Sic habent libri veteres. Et Interpres latinus Theophili vertit: vt omnibus innoteſceret.

c *Ideſt, minùs centum aureis &c.* Ex lege Papia centenarius libertus dicebatur, qui ſeſtertium centium millium patrimonium reliquerat. §. *Poſtea lege Papia, hoc titulo*. Sed ex Conſtitutione Iuſtiniani Centenarius libertus dicitur, qui centum aureis habet ſubſtantiam. *tex. hic. Vide Cuiac. obſeruat. lib. 19. cap. 31.* Et de aureis vide notata ſupra *in tit. de Atil. tut. ad* §. *Nos autem*, in verbo, *vſque ad quingentos ſolidos*. 1

d *Tunc patronatus ius &c. Tunc patronus ex lege 12. Tab.* hereditatem libertorum in ſolidum habebit, *vt in princ. huius tituli*.

e *Maiores centenarijs*. Idem etſi centenarij tantùm ſint.

f *Non dimidiam, vt antea*. Ex prætoris edicto. §. *Qua de cauſa, hoc tit.*

g *Vt nec liberis*. Exheredatis forſitan, aut præteritis, quando præteritio vim exheredationis habet *Theoph.* Hoc tamen iure antiquo ſecus fuit, vt conſtat *ex l. 4. ff. de condit & demonſt.* 2

h *Præſtentur*, Quod ſi patronus ex debita parte inſtitutus, omiſerit inſtitutionem, qui eam partem vindicat, præſtare debet legata vel fideicommiſſa, quoniam quod illius perſonæ præſtatur, hoc nequaquam ad aliam pertinere debet. *l. Cum patronus 28. ff. de legat. 2.*

i *Vſquè ad quintum gradum*: Sunt qui exiſtimant, quod liberi patronorum ad ſucceſſionem libertorum vocentur in infinitum. Et hec verba textus (vſque ad quintum gradum) ad eos tantum referunt, qui ex tranſuerſo latere veniunt. Alij verò dixerunt, quòd etiam ad liberos patroni, & patronæ dicta verba ſint referenda, ita vt non ſolùm qui ex traſuerſo latere veniunt, ſed etiam liberi patroni & patronæ vſque ad quintum tantummodo gradum ad ſucceſſionem libertorum libertarumue vocentur. Hanc opinionem ſequuntur *Pacius hic in Analay. & Cuiac. in* §. *Sed cas*, In verbo, *gradum, de bonor. poſſeſſ.* 3

k *Penè enim conſonantia iura &c.* Penè inquit Imperator, quia libertorum ſucceſſiones intra quintum gradum liberorum, tranſuerſaliumue patroni patroneue conſiſtunt, & ſemper in capita, nunquam in ſtirpes hereditates libertorum diuiduntur, nec vnquam in eorumdem ſucceſſionibus repreſentationi locus eſt, ſed proximiores gradu ſemper remotioribus præponuntur ſiuè liberi ipſius patroni, patronæue, ſiue tranſuerſales ſuccedant, quæ omnia in ſucceſsione ingenuorum aliter obſeruantur, vt ſuis locis ſuprà oſtendimus. 4

Ad §. Sed hæc.

Sed hæc (a) *de ijs libertinis hodie dicenda sunt, qui in Ciuitatem Romanam peruenerunt: cùm nec sint alij liberti: simul & Dedititijs & latinis sublatis, cum latinorum legitimæ successiones nullæ penitùs erant, quialicet vt liberi vitam suam peragebant, attamen ipso* 1
vltimo spiritu simul animam, atque libertatem amittebant, & quasi seruorum, bona eorum iure quodammodo (b) *peculij ex lege Iunia manumissores detinebant. Postea verò Senatus Consulto Largiano cautum fuerat, vt liberi manumissoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis latinorum præponerentur.* (c) *Quibus superuenit etiam Diui Traiani edictum quod eundem hominem, si inuito vel ignorante patrono ad ciuitatem venire ex beneficio principis festinabat, faciebat quidem viuum Ciuem Romanum, latinum verò morientem. Sed nostru* (d) *Constitutione* 2
propter huiusmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipsis latinis etiam legem Iuniam, & Senatus consultum Largianum, & edictum diui Traiani in perpetuum deleri censuimus, vt omnes liberti (e) *ciuitate Romana fruantur: & mirabili modo quibusdam* (f) *adiectionibus ipsas vias, quæ in latinitatem ducebant, ad ciuitatem Romanam capiendam transposuimus.*

2 SED *hæc de ijs libertinis &c.* Quæ de successione libertorum hactenus relata sunt, in omnibus libertinis æquè locum habent. Nam hodiè, qui manumittuntur non fiunt modò 3
Ciues Romani, modò latini, modò dedititij, vt olim, sed omnes Ciues Romani, Dedititijs, & latinis sublatis. Quæ de re diximus *suprà ad §. vlt. de libertinis.*

b *Iure quodammodo peculij.* Non iure hereditatis: quoniã seruorũ nullas dicere possumus hereditates. Et dicitur, iure quodãmodo peculij, quia latinorum viuentum nullum erat peculium, cùm tanquam liberi viuerent, & peculium liberorum non est *l. pater familias* 182. *ff. de verb. sig. l. vlt. circa finem C. de Inoffic. testam.* 4

c *Præponerentur.* Veluti, manumisi seruum meum, & latinum feci: mortuus sum instituto heredibus liberis meis & quibusdam extraneis. Ex lege quidem Iunia, si contingat Latinum mori, liberi mei vna cum extraneis heredibus ad bona latini veniissent. Ex Senatusconsulto autem Largiano, soli liberi mei latino succedent, quoniam nominatim exheredati non sunt. *Ex Theoph.*

d *Sed*

d *Sed nostra Constitutione. In l. Vnica C. de lat. lib. tol. & in l. Vnica C. de dedit. lib. tol.*

e *Vt omnes liberti Ciuitate Romana fruantur.* Et nouissimè idem Iustinianus manumissos omnes ingenuos esse voluit, non libertinos: saluo tamen manumissoribus in manumissos iure patronatus. *Nouella 78.*

f *Quibusdam adiectionibus.* Adiectiones Iustiniani sunt v. g. vt in manumissione per epistolam, epistola, non solùm à domino 1
sit scripta, vel subscripta, sed etiam à quinque testibus subscripta. *l. Vnica §. Sancimus C. de lat. lib. tol.* Et in manumissione inter amicos, vt fiat actis interuenientibus tanquam in iudicio, adhibitis testibus quinque. *dicta l. Vnica, §. Sed & si quis.* Vide notata suprà ad §. *Multis autem modis*, in verbo, *Aut inter amicos*, & in verbo, *Aut per epistolam*, *de libertinis*.

De adsignatione (a) libertorum. 2

TITVLVS IX.

In summa (quod ad bona libertorum attinet) admonendi sumus, censuisse (b) *Senatum, vt quamuis ad omnes patroni liberos, qui eiusdem gradus sunt, æqualiter bona libertorum pertineant:* (c) *tamen licere* (d) *parenti, vni ex liberis adsignare* (e) *libertum, vt post mortem* (f) *eius solus is patronus habeatur, cui adsignatus est: & cæteri liberi, qui ipsi quoque ad eadem bona, nulla adsignatione interueniente, pariter admitterentur, nihil iuris in ijs bonis habeant: sed ita demum pristinum ius recipiant: si is, cui adsignatus est, decesserit, nullis* (g) *liberis relictis.* 3

a *De adsignatione libertorum.* Diximus in præcedenti titulo, quod non solùm patroni, sed etiam eorum liberi, & quidem omnes simul, si eiusdem gradus sunt, succedunt libertis. Verùm quia interdum solent patroni vni ex liberis adsignare libertum, in quo casu ille solus, cui libertus adsignatus est, 4
ipsius liberti fit heres legitimus: ideò sequitur, vt de hac adsignatione videamus.

b *Censuisse Senatum.* Hoc Senatusconsultum Claudianis temporibus factum est, Suillo Rufo & Osterio Scapula Consulibus, vt in fine huius tituli. Et verba huius Senatusconsulti extant in *l. 1. ff. de assignandis libertis*

c *Per-*

c *Pertineant*. Iure communi. *l. Alimentorum 11. ff. de assig. lib.*

d *Licere parenti, vni ex liberis &c.* Liberi verò patroni libertum paternum liberis suis adsignare non possunt, etiam si eis à parente fuerit adsignatus. *l. liberi 8. ff. de assig. lib.* Et nota, quod quamuis singulari sermone. Senatusconsultum scriptum est: tamen & pluribus liberis, & plures libertos, libertasue posse adsignari certum est. *dicta l. 1.*

e *Adsignare libertum*: *Modestinus in l. Adsignare 107. ff. de verb. sig.* 1
Adsignare libertum, hoc est, testificari, cuius ex liberis libertum eum esse voluit.

f *Vt post mortem eius*. Vt post mortem parentis. *dicta l. 1. ff. de assig. lib.*

g *Nullis liberis relictis*. Ad liberos, non ad heredes extraneos transmittit quis libertos sibi adsignatos superstitibus fratribus.

Ad §. Nec tantùm.

2

Nec tantùm libertum, sed etiam libertam: & non tantùm filio, nepotiue, sed etiam filiæ, neptiue (a) *adsignare permittitur.*

a NEptiue. Posse & nepoti adsignari certum est: & præferri filio nepotem adsignatoris constat *l. 3. §. 1. ff. de assig. lib.*

Ad §. Datur autem.

3

Datur autem hæc adsignandi facultas ei, qui duos pluresue liberos in potestate habebit, vt eis (a) *quos in potestate habet, adsignare ei libertum libertamue liceat. Vnde quærebatur, si eum, cui assignauerit, postea emancipauerit: num euanescat adsignatio. Sed placuit* (b) *euanescere, quod & Iuliano, & aliis plerisque visum est.*

a VT *eis quos in potestate habet &c.* Non etiam emancipatis. Neque obstat, *l. Vtrum 9. ff. de assignandis libertis.* Nàm in ea dubitatur, an si præter emancipatum duo existant sui, 4
possit patronus non tantùm vni ex suis, sed simul etiam emancipato adsignare? Et definitur, vt possit atque ita, vt quod per se non haberet emancipatus, id per coniunctam personam habeat, vt in *l. Mulieri & Titio 73. ff. de condit. & demonst. & in l. vlt. ff. de liber. & postum. Cuiac. B. H. & Pac. hic.*

b *Sed placuit euanescere*. Nam quæ in eam causam peruenerunt, à qua incipere non poterant, euanescunt. *l. 3. in fine ff. de ijs, quæ*

pro

pro non scrip. hab. l. Pluribus rebus 140. §. *Et si placcat ff. de verborum oblig.*

Ad §. Nec interest.

Nec interest, testamento (a) *quis adsignet, an sine testamento: sed etiam* (b) *quibuscunque verbis patronis hoc permittitur facere, ex ipso Senatusconsulto, quod Claudianis temporibus factum est, Suillo* 1 *Rufo*, (c) *& Osterio Scapula Consulibus.*

a *Testamento.* Vel codicillis. *l.* 1. §. *Adsignare ff. de assignandis libertis.*

b *Sed etiam quibuscumque verbis.* Vel nutu. *dicta l.* 1. §. *Adsignare.* Item adsignare & purè, & sub conditione, & per epistolam, vel testationem, vel chirographum possumus: quia adsignatio liberti neque quasi legatum, neque quasi fideicommissum percipitur. *l. Adsignare* 7. *ff. de assig. lib.* 2

c *Suillo Rufo, & Osterio Scapula Consulibus.* Sic scribendum existimat *Cuiac. hic. Sed Ant. Aug. Emend. lib.* 3. *cap.* 7. legendum putat ex Pandect. Florent. Velleio Rufo, & Hosterio Scapula Consulibus.

De bonorum (*a*) possessionibus.

TITVLVS X. 3

a *De bonorum possessionibus.* Hactenus dictum est de hereditate, & sic de primo modo acquirendi per vniuersitatem: sequitur vt de secundo, hoc est, de bonorum possessione, videamus. §. *vlt. per quas pers. nob. acquir.* Bonorum possessio est ius persequendi, retinendique patrimonij, siue rei, quæ cuiusque, cum moritur, fuit. *l.* 3. §. *Bonorum igitur ff. de bonor. possess.* Dicuntur ius, quia non est factum aliquod, non aliquis actus, sed ius à Prætore datum. Additur, persequendi, retinendique 4 patrimonij &c. Persequendi scilicet omne id, quod ex bonis defuncti ab alio possidetur, retinendique omne id, cuius possessio, propter ius, vel testamento datum, vel ab intestato deatum, fuit adepta. Ea persecutio non fit actionibus ciuilibus, sed possessorijs, vt possessoria hereditatis petitione, & interdicto, Quorum bonorum, retentio, exceptionibus.

Ad

Ad principium Tituli.

Ius bonorum possessionis introductum est à Prætore emendandi (a) *veteris iuris gratia. Nec solùm in intestatorum hereditatibus vetus ius eo modo Prætor emendavit, sicut suprà* (b) *dictum est, sed in eorum quoque, qui testamento facto decesserint. Nàm si alienus* (c) *postumus heres fuerit institutus: quamuis hereditatem iure ciuili adire non poterat, cum institutio non valebat: honorario tamen iure bonorum possessor efficiebatur, videlicet cum à Prætore adiuuabatur. Sed & is à nostra* (d) *Constitutione hodie rectè heres instituitur, quasi & iure Ciuili non incognitus. Aliquando tamen neque emendandi, neque impugnandi veteris iuris, sed magis* (e) *confirmandi gratia Prætor pollicetur bonorum possessionem. Nàm illis quoque, qui rectè facto testamento heredes instituti sunt, dat secundùm tabulas bonorum possessionem. Item ab intestato suos heredes, & adgnatos ad bonorum possessionem vocat. Sed & remota quoque bonorum possessione, ad eos pertinet hereditas Iure ciuili.* 1 2

a *Emendandi veteris iuris gratia.* Emendat, non solùm qui impugnat, seù corrigit, sed etiam qui supplet, & addit. Impugnat autem Prætor Ius ciuile data bonorum possessione contra tabulas testamenti, quod Iure Ciuili valet. Supplet, & addit Iuri Ciuili, cùm v.g. ad successionem vocat cognatos, qui Iure Ciuili neglecti reperiuntur.

b *Sicut suprà dictum est. §. Emancipati, de hered. quæ ab intest. defer. & §. Cæterùm, de legit. adgnat. succes.* 3

c *Nàm si alienus postumus.* Alienus postumus est, qui natus, inter suos heredes testatori futurus non est. Vide notata suprà ad §. *Postumo quoque, de legatis.*

d *A nostra Constitutione.* Hæc Iustiniani Constitutio Codici, quo nunc vtimur, deest.

e *Sed magis confirmandi gratia.* Nonstra enim interest plures habere vias consequendæ hereditatis. 4

Ad §. Quos autem.

Quos autem solus vocat Prætor ad hereditatem, heredes quidem ipso iure non fiunt: nàm Prætor heredem (a) *facere non potest. per legem enim tantùm, vel similem iuris Constitutionem heredes fiunt: veluti per Senatusconsulta & Constitutiones principales: sed cùm eis Prætor*

tor dat bonorum possessionem, loco heredum constituuntur: & vocantur bonorum possessores. Adhuc autem & alios complures gradus Prætor fecit in bonorum possessionibus dandis, dum id agebat, ne quis sine successore moreretur. Nàm angustissimis (b) *finibus constitutum per legem duodecim tabularum ius percipiendarum hereditatum, Prætor ex bono & æquo dilatauit.*

a *NAM Prætor heredem facere non potest.* Nàm nec dominum Prætor facere potest. *l. 3. ff. Si vsufr. pet. ex Cuiac.* 1

b *Nàm angustissimis finibus.* Suorum nempè dumtaxat, & adgnatorum.

Ad §. Sunt autem.

Sunt autem bonorum possessiones ex testamento quidem hæ. Prima, quæ præteritis (a) *liberis datur, vocaturque* (b) *contra tabulas. Secunda, quam omnibus* (c) *iure scriptis heredibus Prætor pollicetur, ideoque vocatur secundum tabulas: Et cum de testamentis priùs locutus est, ad intestatos transitum facit. Et primo loco suis heredibus, & ijs,* (d) *qui ex edicto Prætoris inter suos connumerantur, dat bonorum possessionem, quæ vocatur,* (e) *Vnde liberi. Secundo, legitimis* (f) *heredibus. Tertio, decem* (g) *personis, quas extraneo* (h) *manumissori præferebat. Sunt autem decem personæ hæ: pater, mater, auus, auia, tam paterni, quàm materni: item filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio, quàm ex filia: frater, soror, siue consanguinei sunt, siue vterini. Quarto, cognatis* (i) *proximis. Quinto,* 2 3 *Tùm* (k) *quem ex familia. Sexto, patrono* (l) *& patronæ liberisque eorum, & parentibus. Septimo, viro* (m) *& vxori. Octauo, cognatis* (n) *manumissoris.*

a *QVÆ præteritis liberis.* Ideſt, neque institutis, neque vti oportet exheredatis. Et datur tam emancipatis, quàm non emancipatis. Quamuis enim filius familias præteritus possit Iure Ciuili testamentum dicere nullum. *l. 1. ff. de Iniusto, rupto &c.* tamen Prætor dat ei quoque bonorum possessionem contra tabulas. *l. vlt. C. de liber. præter.* Principaliter tamen emancipatorum liberorum gratia bonorum possessio contra tabulas fuit inuenta à Prætore. §. *Emancipatos, de exhered liber.* Et emancipati præteriti per bonorum possessionem contra tabulas verè testamentum rescindunt, sui verò præteriti hoc remedio vtentes, tantum id agere videntur, quo nul- 4

lum esse testamentum declaretur. Et est notandum, quod dicitur hic in textu, bonorum possessionem contra tabulas præteritis liberis dari, intelligendum esse de præteritione, quæ non habetur pro exheredatione: alioqui cessaret bonorum possessio contra tabulas, & inofficiosi testamenti querela competeret, vt cum liberi à matre, vel ab auo materno, cæterisue per matrem ascendentibus sunt præteriti. §. *vlt. de exhered. liber.*

1 Datur etiam bonorum possessio contra tabulas parenti contra testamentum filij, vel nepotis, quem emancipauit. *l. 1. ff. Si à parente quis manumissus sit.* Huic tamen, quæ datur parenti, præfertur illa, quæ datur liberis.

b *Vocaturque contra tabulas.* Aliàs, bonorum possessio contra tabulas, dicitur contra lignum. *l. Quod vulgò 19. ff. de bon. poss. contra tab.* Idest, contra testamentum, quod ligneis tabulis scribi solebat. Aliàs dicitur, ex prima parte edicti. *l. Ideò 4. ff. de Carbon. edic.* vel ex edicto primo. *l. scriptus heres 12. ff. eod.* quia

2 prima fuit in edicto.

c *Quam omnibus iure scriptis heredibus &c.* Est ergo bonorum possessio secundum tabulas ea, quam Prætor testamenti tabulas ac scripturam sequens, eique obtemperans institutis heredibus largitur. Et quia Prætor in testamento scripturam requirit, scriptis heredibus datur directa secundum tabulas, heredibus autem institutis in testamento nuncupatiuo, quod valet Iure Ciuili, datur bonorum possessio secundum nuncupationem, quæ etiam dici potest vtilis secundum tabulas. *l. 2.* & ibi

3 *gl. penult. C. de bonorum possess. sec. tab.*

d *Et ijs, qui ex edicto Prætoris &c. Modestinus in l. 1. ff. Quis ordo in bonorum poss. seru.* Intestati patris liberis bonorum possessio datur, non tantùm ijs, qui in potestate parentis, vsque in mortis tempus fuerunt, sed & emancipatis. Vide notata suprà ad §. *Emancipati autem liberi, de hered. quæ ab intest. defer.*

e *Quæ vocatur vnde liberi.* Quæ, vt & pleræque aliæ, sumit appellationem à primis verbis edicti.

f *Secundo legitimis heredibus.* Hæc bonorum possessio vocatur 4 Vnde legitimi, Et datur ijs, qui Iure Ciuili ad hereditatem defuncti vocantur: vt agnatis, & patrono liberisque eius in bonis liberti libertæue, & ijs, qui ex Senatusconsulto Tertylliano, Vel Orphitiano aut Principum Constitutionibus ius ab intestato percipiendarum hereditatum habent.

g *Tertio decem personis.* Hæc bonorum possessio vocatur Vnde decem personæ. §. *Sed eas h.t.* & ex numero eorum qui petere

eam

eam possent, nomen accepit, plenèque explicatur à *Theoph. hic.*

h *Quas extraneo manumissori.* Cui pater naturalis filium suum emancipauerat, non contracta fiducia, cuique Iure ciuili legitima manumissi hereditas deferebatur, excluso patre naturali, cæterisque personis. *Ex Cuiac.*

i *Quarto cognatis proximis.* Hæc bonorum possessio appellatur Vnde cognati.

k *Quinto, Tùm quem ex familia.* Sic legit Cuiacius vt sint prima edicti verba, *vt in l. si ex duobus 4. ff. vnde legit. & in l. vnica ff: Vt ex legibus.* Et datur hæc bonorum possessio familiæ, hoc est, agnatis patroni, 1

l *Sexto, patrono & patronæ &c.* Nàm si libertus decesserit, & patronus, vel patrona, liberiue eorum, aut parentes per bonorum possessionem, Vnde legitimi, venire voluerint, & tempora petendi præterierint, neque rursum eam petierint, quę, Tùm quem ex familia vocatur: per hanc bonorum possessionem venire possunt, aut patroni ipsi, autliberi eorum, si ipsi 2 non supersint: aut parentes patronorum patronarumue. *Ex Theoph.*

m *Septimo, Viro, & vxori* Hæc bonorum possessio dicitur, Vnde vir, & vxor, & per eam vir vxori, & vxor viro succedit. Vide notata supra *ad Rub. de hered. quæ ab intest. defer. vers.* Post supradictos.

n *Octauo cognatis manumissoris.* Hæc bonorum possessio datur cognatis manumissoris, & appellatur, Vnde cognati manumissoris, *vt in seq.* §. 3

Ad §. Sed cas quidem.

Sed eas (a) *quidem prætoria introduxit inrisdictio: à nobis tamen nihil incuriosum prætermissum est, sed nostris* (b) *constitutionibus omnia corrigentes contra tabulas quidem, & secundum tabulas, bonorum possessiones admisimus, vt pote necessarias constitutas: nec non ab intestato, vnde liberi, & vnde legitimi bonorum possessiones. Quę autem in prætoris edicto quinto loco posita fuerat, ideòque, vnde decem per-* 4 *sonæ: eam pio proposito, & compendioso sermone superuacuam ostendimus, cum enim præfata bonorum possessio decem personas præponebat extraneo manumissori, nostra* (c) *Constitutio, quam de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus, eisdemque manumissoribus contracta* (d) *fiducia manumissionem* (e) *facere dedit, vt ipsa manumissio eorum hoc in se habeat priuilegium, & superuacua* (f) *fiat*

supradicta bonorum possessio. Sublata igitur prefata quinta bonorum possessione, in gradum eius sextam antea bonorum possessionem induximus, & quintam fecimus, quam prætor (g) *proximis cognatis pollicetur. Cumque antea fuerat septimo loco bonorum possessio tùm quem ex familia, & octauo vnde* (h) *liberi patroni patroneque & parentes eorum: vtramque per constitutionem* (i) *nostram, quam de iure patronatus fecimus, penitùs vacuauimus, cùm enim ad similitudinem successionis ingenuorum: libertinorum successiones posuimus, quas vsque ad quintum* (k) *tantummodo gradum coartauimus, vt sit aliqua inter ingenuos & libertinos differentia: sufficit eis* (l) *tam contra tabulas bonorum possessio, quam vnde legitimi, & vnde cognati: ex quibus possunt sua iura vindicare, omni scrupolositate, & inextricabili errore istarum duarum bonorum possessionum, resoluto. Aliam vero bonorum possessionem, quæ* (m) *Vnde vir & vxor appellatur, & nono loco inter veteres bonorum possessiones posita fuerat, & in suo vigore seruauimus, & altiore loco, ideſt, sexto* 2 *eam posuimus, decima quoque veteri bonorum possessione, quæ erat vnde cognati manumissoris, propter causas enarratas meritò* (n) *sublata: vt sex* (o) *tantummodo bonorum possessiones ordinariæ permanent, suo vigore pollentes.*

a *Sed eas quidem &c.* Ex his decem bonorum possessionibus, quas tam ex testamento, quàm ab intestato Prætoria introduxit iurisdictio, Iustinianus sex bonorum possessiones retinuit, duas ex testamento, Contra tabulas, & Secundum 3 tabulas, & quatuor ab intestato, Vnde liberi, Vnde legitimi, Vnde cognati, Vnde vir, & vxor, quatuor reliquas, nimirum, Vnde decem personæ, Tùm quem ex familia, Vnde patroni, & Vnde cognati manumissoris, tanquam superfluas reiecit.

b *Sed nostris Constitutionibus.* Quæ tamen in Codice, quo nunc vtimur, non extant.

c *Nostra Constitutio. Hæc Constitutio est l. vlt. C. de emancip. liber.*

d *Contracta fiducia.* Vide notata supra ad §. *Præterea, quib. mod. ius pot. sol.* In verbo, *Qui quæue à parente.*

e *Manumissionem facere dedit.* Hoc est, dedit omnibus parentibus, qui liberos suos emancipant, vt videantur liberos emancipare contracta fiducia, etiam si nominatim contracta non fuerit. §. *vlt. de legit. adgnat. succeſſ.* 4

f *Et superuacua fiat supradicta bonorum possessio.* Cùm extraneus hodie manumissor nullus intelligatur, sed pater semper intelligitur esse manumissor filij sui emancipati, & consequenter

voca-

vocatur ad bona eiusdem filij quasi patronus per bonorum possessionem Vnde legitimi.

g *Quam prætor proximis cognatis pollicetur.* Sed hodie nullus est, huius bonorum possessionis vsus, propter sublatum agnationis & cognationis discrimen.

h *Vnde liberi patroni patronequc, &c.* Forsitan legendum: Vnde patroni patronæque, liberi, & parentes eorum.

i *Per Constitutionem nostram.* Hæc Iustiniani Constitutio Codici, quo nunc vtimur, deest. 1

k *Quas vsque ad quintum tantummodo gradum &c. Vide notata supra in tit. de succeff. libert. ad §. Sed nostra Constitutio*, In verbo, *vsque ad quintum gradum.*

l *Sufficit eis tam contra tabulas &c.* Habent ergo patroni ad persecutionem Iuris sui tres bonorum possessiones, Contra tabulas: Vnde legitimi, & Vnde cognati. *vide tex. in §. Sed nostra Constitutio, Instit. de succeff. libert.*

m *Quæ vnde vir & vxor appellatur.* De hac bonorum possessione vide notata suprà *ad Rub. de bered. quæ ab intest. def. ver. post supradictos:* 2

n *Meritò sublata.* Quia sufficit eis bonorum possessio, Vnde cognati.

o *Vt sex tantummodo bonorum possessiones ordinariæ permaneant.* Duę ex testamento, Contra tabulas, & Secundum tabulas, & quatuor ab intestato, Vnde liberi, Vnde legitimi, Vnde cognati, & Vnde vir & vxor. Ordinarias autem has ideirco Iustinianus appellat, quia certo ordine deferuntur, eodem scilicet ordine, quo hic positæ sunt. 3

Ad §. Septima.

Septima (a) *eas secuta, quam optima ratione prætores introduxerunt. Nouissimè enim promittitur edicto ijs etiam bonorum possessio, quibus, vt detur,* (b) *lege, vel Senatus consulto, vel Constitutione* (c) *comprehensum est: quam neque bonorum possessionibus, quæ ab intestato veniunt, neque ijs, quæ ex testamento sunt, prætor stabili iure connumeravit: sed quasi vltimum & extraordinarium auxilium, prout res exegit, accomodauit, scilicet ijs, qui ex legibus, Senatus consultis, Constitutionibusue principum ex nouo iure, vel ex testamento, vel ab intestato veniunt.* 4

a *Septima eas secuta &c.* Extraordinaria bonorum possessio ea est, quæ non habet certum locum, neque stabili iure inter bono-

bonorum possessiones ; quæ ab intestato veniunt , neque inter eas , quæ ex testamento sunt , a prætore connumeratur : sed quasi vltimum , & extraordinarium auxilium , prout res exigit , ijs promittitur : qui ex legibus, Senatus Consultis , constitutionibusue principum ex nouo iure , vel ex testamento , vel ab intestato veniunt ad bonorum possessionem .

b *Quibus vt detur , lege , vel Senatus Consulo. Vlpianus in l. 1. ff. vt ex legibus* . Prætor ait , vti me , quaque lege Senatusue consulto , bonorum possessionem dare oportebit , ita dabo . Generaliter igitur sciendum est , quotiescunque , vel lex , vel Senatus defert hereditatem , non etiam bonorum possessionem : ex ea parte , Vnde legitimi , eam peti oportere , cum verò etiam bonorum possessionem dari iubet : tunc ex illa parte , qua ex legibus peti debere : sed & ex ea parte , Vnde legitimi , peti poterit . *l. 3. ff. vnde legitimi* . 1

c *Vel Constitutione* . Exempli gratia , ex Adriani Constitutione militis capite damnati ex militari delicto, hereditas , & bonorum possessio defertus cognatis vsque ad quintum gradum , qui tamen aliàs lege non vocabantur propter capitis deminutionem militis *l. 1. & 2. ff. de veter. & milit. succeſſ. l. ſi quis filio* 6. *§. Irritum ff. de Iniuſto , rupto & c. Cuiac. Obſeruat. lib.* 11. *cap.* 14. 2

Ad §. Cum igitur .

Cum igitur plures ſpecies ſucceſſionum prætor introduxiſſet , caſque per ordinem diſpoſuiſſet : & in vnaquaque ſpecie ſucceſſionis ſæpe plures extent diſpari gradu perſonæ : ne actiones (a) *creditorum differentur , ſed haberent , quos conuenirent , & ne facilè in poſſeſſionem bonorum defuncti mitterentur , & eo modo ſibi conſulerent : idcò petendæ bonorum poſſeſſioni certum tempus præfiniuit . Liberis itaque & parentibus , tam naturalibus , quam adoptiuis , in petenda* (b) *bonorum poſſeſſione annuum* (c) *ſpatium , cæteris* (d) *centum dierum dedit* . 3

a NE actiones creditorum differentur . Ne creditoribus longior mora fieret . *l. 1. in princ. ff. de ſucceſſ. edic.* 4

b *In petenda bonorum poſſeſſione* . Ex testamento vel ab intestato sibi competenti .

c *Annum ſpatium* . Largius tempus parentibus , liberisque petendæ bonorum possessionis tribuitur , in honorem sanguinis , videlicet quia arctandi non erant , qui penè ad bona propria veniunt *l. 1. §. largius ff. de ſucceſſ. edic.*

d *Cæ-*

d *Cæteris*. Agnatis, vel cognatis, aut extraneis.

Ad §. Et si intra.

Et si intra hoc tempus aliquis bonorum possessionem non petierit, eiusdem gradus (a) *personis adcrescit: vel si nemo sit*, (b) *deinceps cæteris bonorum possessionem perinde ex successorio edicto defertur, ac si is, qui præcedebat, ex eo numero* (c) *non esset. Si* 1
quis (d) *itaque delatam sibi bonorum possessionem repudiauerit, non quo vsque tempus bonorum possessioni præfinitum excesserit expectatur: sed statim cæteri ex eodem edicto admittuntur.*

a *Eiusdem gradus personis adcrescit*. In bonorum possessione sciendum est ius esse adcrescendi. Proinde si plures sint, quibus bonorum possessio competat, quorum vnus admiserit bonorum possessionem, cæteri non admiserunt, veluti quod præuerunt ius suum, aut tempore bonorum possessionis finito 2
excluſi sunt, aut ante mortui sunt, quam petierint bonorum possessionem, ei, qui admisit, adcrescunt etiam eæ portiones, quæ cæteris competerent, si petijssent bonorum possessionem. *l. 3. §. vlt. & l. 4. & 5. ff. de bon. possess.*

b *Vel si nemo sit, deinceps cæteris &c.* V. g. si omnes ij, qui ex secundo gradu sunt vocati, intra tempus ad petendam bonorum possessionem præfinitum, eam non petierint: tunc ij, qui ex tertio gradu sunt, in locum eorum succedunt. *Facit l. vlt. §. successionis C. de legit. hered.* 3

c *Ex eo numero non esset*. Si tamen nemo esset eiusdem ordinis, in quo est ille, qui excluſus est, inter cæteros sequentis ordinis ipse quoque excluſus admitteretur v. g. filius, qui fuit excluſus à bonorum possessione, Vnde liberi, si non sint alij, qui possint venire per Vnde liberi, potest petere, Vnde legitimi: & ab hac quoque excluſus, non prohibetur post legitimos petere, Vnde cogati. *l. 1. §. Sed videndum ff. de succes. edic.*

d *Si quis itaque &c.* Si quis delatam sibi bonorum possessionem, ante tempus petendæ bonorum possessionis effluxum, repu- 4
diauerit: non quousque tempus bonorum possessioni præfinitum excesserit expectatur, sed statim cæteri admittuntur. *d. l. 1, §. quibus ex edicto ff. de succes. edic.*

Ad

Ad §. In petenda.

In petenda autem bonorum posseſſione dies (a) *vtiles ſinguli conſiderantur.*

a *Dies vtiles ſinguli conſiderantur.* Vtile tempus eſt bonorum poſſeſſionum admittendarum. Ita autem vtile tempus eſt, vt ſinguli dies in eo vtiles ſint: ſcilicet, vt per ſingulos dies & ſcierit, & potuerit admittere. cæterum quacumque die neſcierit, aut non potuerit, nulla dubitatio eſt quin dies ei non cedat. *Vlpianus in l. 2. in princ. ff. Quis ordo in bon. poſſeſſ. ſeru.* Vbi etiam proſequitur explicare quomodo fieri poſſit, vt qui initio ſcierit, vel potuerit bonorum poſſeſſionē admittere: hic incipiat neſcire, vel non poſſe admittere: ac poſtea addit hæc verba: dies bonorum poſſeſſionis vtiles eſſe, palam eſt: ſed non ſeſſionum numerabuntur, ſi modo ea ſit bonorum poſſeſſio, quæ de plano peti potuit. Quid, ſi ea, quæ cauſæ cognitionem pro tribunali deſiderat, vel quæ decretum expoſcit? Seſſiones erunt nobis computandæ, quibus ſedit is, quibuſque per ipſum prætorem factum non eſt, quò minùs daret bonorum poſſeſſionem. 1 2

Ad §. Sed benè.

Sed benè (a) *anteriores principes & huic cauſæ prouiderunt, ne quis pro petenda bonorum poſſeſſione curet: ſed quocunque modo ſi admittentis eam indicium intra ſtatuta tamen tempora oſtenderit, plenum habeat eorum beneficium.* 3

a *SED benè anteriores principes &c.* Olim neceſſe erat Prætorem adire, & ſpeciatiter dicere: Da mihi hanc bonorum poſſeſſionem. Sed ex Principum Conſtitutionibus quocunque modo is, cui bonorum poſſeſſio competit, intra ſtatuta tempora oſtenderit apud quemlibet Iudicem, vel etiam apud Duumuiros ſe bonorum poſſeſſionem admittere, plenum habebit eius beneficium. *Tex. & Theoph. hic, l. vlt. C. Qui admitti &c.* 4

De

De adquisitione (a) per adrogationem.

TITVLVS XI.

Est & alterius generis per vniuersitatem successio, quæ neque lege duodecim tabularum, neque prætoris edicto, sed eo iure, quod consensu (b) *receptum est, introducta est. Ecce enim, cum paterfamilias sese in adrogationem dat, omnes res eius corporales & incorporales, quæque ei debitæ sunt: adrogatori antea quidem pleno iure adquirebantur: exceptis ijs, quæ per capitis deminutionem* (c) *pereunt, quales sunt operarum* (d) *obligationes, & ius* (e) *agnationis. Vsus etenim & ususfructus, licèt his antea connumerabantur, attamen capitis deminutione minima cos tollinostra prohibuit* (f) *constitutio.* 1

2

a *De adquisitione per adrogationem.* Suprà dictum est de hereditate, & de bonorum possessione, & sic de primo, & secundo modo, quo per vniuersitatem res nobis adquiruntur: sequitur vt de tertio, de adquisitione scilicet per adrogationem: videamus. §. *vl. Per quas pers. nob. adquir.*

b *Quod consensu receptum est.* Quod receptum est moribus & consuetudine.

c *Quæ per capitis deminutionem pereunt.* Hoc est, quæ pereunt per adrogationem, quæ minima capitis deminutio est §. *Minima, de capit. demin.* 3

d *Quales sunt operarum obligationes.* Hoc loco Iustinianus loquitur de operis officialibus libertorum. Operæ libertorum, aut officiales, aut artificiales sunt. Officiales dicuntur, quæ non in arte vlla certa, sed in patrono quibuscunque officijs adiuuando versantur: & personam eius potissimum attingunt. Artificiales verò certa in arte, veluti pingendi, fabricandi, medendi, positæ sunt. Itaque artificiales, & à quouis, & cuiuis patroni iussu præstari possunt: veluti vt nauim domumue 4 libertus ædificet, ab alteroue non minùs perito ædificandam curet. Ille verò, & à solo liberto, & soli patrono nauari possunt: veluti, vt ei præstò sit, quibuscunque rebus inseruiat, solatium afferat, comitem se adiungat. Possunt igitur artificiales operæ adrogatori præstari: officiales verò ei deberi non possunt, quia patronus non est, & consequenter officialium

operarum obligationes, per adrogationem pereunt, artificialium verò, nequaquam. Ex *H.hic*, *& in Comment.verb.Iur.* In Verbo, *Operæ libertorum.* Facit *l.Operæ 9. ff.de operis libertorum.*

c *Et ius adgnationis.* Ius adgnationis per capitis deminutionem perit. Vide notata suprà *ad §.vlt.de legit.adgnat.tut.*

f *Nostra prohibuit Constitutio.* Ante Iustinianum vsus, & vsusfructus etiam per minimam capitis deminutionem peribat. Ex Constitutione Iustiniani, nec vsus, ned vsusfructus minima capitis deminutione amittitur. *l.Corruptionem 16. §. vlt. C.de vsufructu.* 1

Ad §. Nunc autem.

Nunc autem nos eandem adquisitionem, quæ per adrogationem fiebat, coartauimus ad similitudinem naturalium parentum. Nihil etenim aliud, nisi tantummodò vsusfructus, tàm naturalibus parentibus, quàm adoptiuis per filios familias adquiritur in ijs rebus, quæ extrinsecus (a) filijs obueniunt, dominio eis integro seruato. Mortuo autem filio adrogato in adoptiua familia, etiam dominium (b) *rerum eius ad adrogatorem pertranſit: nisi superſint aliæ personæ, quæ ex constitutione* (c) *nostra patrem in ijs, quæ adquiri non possunt, antecedunt.* 2

a *Quæ extrinsecus filijs obueniunt.* Quæ obueniunt filijs iure aduentitio.

b *Etiam dominium rerum eius &c.* Quando tamen impubes per principale rescriptum adrogatur, ita facienda est adrogatio, vt caueat adrogator tabulario, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui si adoptio facta non esset, ad successionem eius venturi essent. §. *Cum autem impubes, de Adopt.* 3

c *Quæ ex Constitutione nostra &c.* Hæc Iustiniani Constitutio in Codice, quo nunc vtimur, desideratur. Probabile autem est intelligi liberos, & fratres adrogati, *arg.l.vlt.C.comm.de succeſſ.* Sed iure nouissimo fratres vtrimque defuncto coniuncti, ac eorumdem filij, simul cum parentibus succeduunt, & fratres ex vno dumtaxat parente coniuncti, ac eorumdem filij, à parentibus excluduntur. *Nouella 118. cap. 2. & 3. iuncta Nouella 127.c.1.* 4

Ad

Ad §. Sed ex diuerso.

Sed ex diuerso, pro eo quod is debuit, qui se in adoptionem dedit, ipso (a) *quidem iure adrogator* (b) *non tenetur, sed nomine filij* (c) *conuenietur: & si noluerit eum defendere, permittitur creditoribus per competentes nostros magistratus, bona, quæ eius cum vsufructu futura fuissent, si se alieno iuri non subiecisset, possidere, & legitimo* 1 *modo ea disponere.*

a *Ipso quidem iure &c.* Ipso iure, & stricta ratione, adrogator pro eo, quod is debuit, qui se in adrogationem dedit, non tenetur, Quomodo enim ex eo, quod alius contraxit, cum alio agetur? *Ex Theoph.*

b *Adrogator non tenetur.* Adrogatus autem tenetur vtili actione insolidum ex edicto de capite minutis. *l.2. §.1.ff.de capit. demin. Cuiac.hic,* In verbo *Disponere.* 2

c *Sed nomine filij conuenietur.* Ex æquo, & bono.

De eo, (a) cui libertatis causa bona addicuntur.

TITVLVS XII.

Accessit nouus casus successionis ex Constitutione Diui Marci. Nàm si ij, (b) *qui libertatem acceperunt à domino in* (c) *testamento, ex quo* 3 *nen aditur hereditas, velint bona sibi addici libertatem conseruandarum causa, audiuntur.*

a *De eo cuilibertatis &c.* Modi adquirendi per vniuersitatem sunt hereditas, bonorum possessio, adrogatio, & addictio bonorum libertatum conseruandarum causa. §. *vlt. Per quas personas nob. adquir.* Cum igitur hactenus dictum sit de hereditate, bonorum possessione, & adrogatione: sequitur vt de eo cui libertatis causa bona addicuntur, videamus. 4

b *Nam si ij, qui libertatem acceperunt &c.* Immò etiam cuilibet extraneo possunt bona addici libertatum conseruandarum causa. *l. vlt. in princ. C. de testam. manumiss.*

c *In testamento.* Idem si codicillis libertates datæ sint. §. *In primis, hoc titulo.*

Ad §. Et ità.

Et ita Diui Marci rescripto ad Popilium (a) *Rufum continetur. Verba* (b) *rescripti ita se habent: Si Virginio Valenti, qui testamento suo libertatem quibusdam adscripsit, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona eius esse cœperunt, vt veniri debeant: is,* 1 *cuius de ea rè notio est, aditus rationem desiderij tui habebit, vt libertatum tàm earum, quæ directò, quàm earum, quæ per speciem fideicommissi relictæ sunt, tuendarum gratia addicantur tibi: si idoneè creditoribus caueris de solido, quod cuique debetur, soluendo. Et ij quidem, quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt,* (a) *ac si hereditas adita esset. Ii autem, quos heres manumittere rogatus est, à te libertatem* (d) *consequantur: ita* (e) *vt, si non alia conditione velis bona tibi addici, quàm vt ij etiam qui directò libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ,* 2 *si ij, quorum de statu agitur, consentiant, auctoritatem nostram accomodamus. Et ne huius rescriptionis nostræ emolumentum alia ratione irritum fiat, si fiscus* (f) *bona agnoscere voluerit, & ij, qui rebus nostris* (g) *attendunt: sciant commodo pecuniario præferendam esse libertatis causam: & ita bona* (h) *cogenda, vt libertas ijs salua sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hereditas ex testamento adita esset.*

a *Ad Popilium Rufum.* Ex rescripti verbis apparet, hunc extraneum aliquem fuisse, non, vt Theophilo videtur, vnum 3 eorum, qui libertatem in testamento acceperunt.

b *Verba rescripti &c.* Ex verbis rescripti Diui Marci, quæ referuntur hic in textu, constat, quod requiruntur plura ad hoc vt idem rescriptum locum habeat. Primo requiritur, quod libertates, aut directò, aut per fideicommissum relictæ sint. Etenim libertatum tuendarum gratia potissimòm addictio bonorum instituta est. Secundo quod nemo sit, qui ex testamento, vel ab intestato successor existat. Tertio quod bona addi- 4 cantur à Iudice competenti, à Prætore scilicet, vel Præside. Quarto quod is, cui bona addicuntur, idoneè creditoribus caueat de solido, quod cuique debetur, soluendo. Idoneè cauere, est cauere datis fideiussoribus, vel pignoribus. Sed si fides habita fuerit nudè promittenti: idoneè cautum videbitur: & officio iudicis curandum, conuenire creditores, vnumque creare, cui caueatur omnium nomine, De solido autem

vti-

vtique sic accipiemus, de sorte & vsuris debitis. *l. Ergo 4.§. Addici ff. de fideicom. libert.*

c *Perinde liberi erunt, ac si hereditas &c.* Hoc est, Orcini erunt liberti. *d. l. ergo 4.§. Hi qui ff. de fideicom. libert.*

d *A te libertatem consequentur.* Et consequenter tui fient liberti.

e *Ita vt.* Legendum, Ita autem: Ideſt, Ita autem *ij*, quibus directa libertas data est, Orcini erunt liberti, si non alia conditione &c. 1

f *Si fiscus bona agnoscere &c.* Constitutioni locus est etiamsi fiscus agnoscat bona: hoc est libertates conseruantur, videlicet si cum bona venum itura essent, extarentque nonnulli, qui bonorum addictionem à prætore postularent, fiscus ipse bona agnoscere voluerit, alioquin vacantibus bonis fisco vindicatis constitutio cessat, *l. Quod Diuo Marco 50. ff. de manu miss. testam. Ex Cuiac.*

g *Qui rebus nostris attendunt.* Procuratores Cæsaris.

h *Et ita bona cogenda.* In fiscum redigenda. 2

Ad §. Hoc rescripto.

Hoc rescripto subuentum est & libertatibus & defunctis, ne bona eorum à creditoribus possideantur & (a) veneant. Certè si fuerint hac de causa bona addicta, cessat bonorum venditio: extitit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cauet.

a ET *veneant.* Quod erat defuncto ignominiosum. Quandam enim subit ignominiæ notam is, cuius bona propter æs alienum publicè distrahuntur, *l. Primo gradu 23. ff. Quæ in fraud. Cred. l. Curator 5. ff. de Curat. fur.* 3

Ad §. In primis.

In primis hoc rescriptum totics locum habet, quotics testamento libertates datæ sunt. Quid ergo si quis intestatus (a) decedens, codicillis libertates dederit, neque adita sit ab intestato hereditas? Fauor constitutionis debebit locum habere. Certè si testatus (b) decedat, & codicillis dederit libertatem: competere eam, nemini dubium est. 4

a SI *quis intestatus decedens &c. l. 2. ff. de fideicommissarijs libertatibus.* Ex qua *l. 2.* apparet hic *in Tex.* ibi, *an fauor*, delendam esse particulam, *an*,

b *Te-*

b *Testatus* - Legendum, testatus, vt Theophilus legit. In libris vulgatis corruptè legitur, intestatus.

Ad §. Tunc Constitutioni.

Tunc (a) *Constitutioni locum esse verba* (b) *ostendunt, cum nemo successor ab intestato exiſtat: ergo* (c) *quandiu incertum ſit, vtrum exiſtat, an non, ceſſabit Conſtitutio. Si certum eſſe cœperit, neminem extare, tunc erit Conſtitutioni locus.* c

a TVNC *Conſtitutioni*. In vulgatis exemplaribus legitur: Tunc enim Conſtitutioni. Sed ab alijs quibuſdam rectè abeſt particula, *enim*.

b *Verba oſtendunt.* Verba huius Conſtitutionis ſeu reſcripti Diui Marci extant ſuprà *in* §. *Et ità. h.t.*

c *Ergo quandiu &c. l. Ergo 4. in princ. ff. de fideicom. libert.*

Ad §. Si his, qui in integrum. 2

Si is (a) *qui in integrum reſtitui poteſt, abſtinuerit ſe ab hereditate, quamuis poteſt in integrum reſtitui, poteſt admitti Conſtitutio, & bonorum addictio fieri. Quid ergo, ſi poſt additionem libertatum conſeruandarum cauſa factam, in integrum ſit reſtitutus? Vtique non erit dicendum* (b) *reuocari libertates: quia ſemel competierunt.*

a SI *is, qui in integrum &c. d. l. Ergo 4. §. Si is, qui in integrum, ff. de fideicom. libert.*

b *Vtique non erit dicendum reuocari libertates.* Regulariter enim, 3 & in vniuerſum non datur reſtitutio aduerſus libertatem, quæ ſemel competijt. *l. Si ex cauſa 10. §. vlt. ff. de minor. 25. an. & tot. tit. C. ſi aduerſ. libert.*

Ad §. Hæc Conſtitutio.

Hæc (a) *Conſtitutio libertatum tuendarum cauſa introducta eſt. Ergo ſi libertates nullæ ſunt datæ, ceſſat Conſtitutio. Quid ergo ſi viuus dederit libertates, vel mortis* (b) *cauſa, & ne de hoc quæratur, vtrum in fraudem creditorum, an non factum ſit, idcirco velint ſibi addici bona: an audiendi ſunt? Et magis eſt, vt audiri debeant, & ſi deficiant* (c) *verba Conſtitutionis.* 4

a HAec *Conſtitutio &c.* Hæc conſtitutio libertatum tuendarum cauſa potiſſimùm introducta eſt. *Tex. hic iuncto, §. Hoc reſcripto, hoc eod. titulo.*

b *Vel*

b *Vel mortis causa*. Dicendo seruis suis inter manumittendum Liberos vos esse volo, nisi ab hoc morbo liberatus fuero. *Ex Theoph.*

c *Etsi deficiant verba Constitutionis*. Quia Constitutio de libertatibus loquitur, quæ testamento datæ sunt. §. *Et ita, hoc titulo.*

Ad §. Sed cùm multas.

1

Sed cum multas diuisiones eiusdem Constitutioni deesse perspeximus, lata est à nobis plenissima (a) *Constitutio, in qua multæ species collatæ sunt, quibus ius huiusmodi successionis plenissimum est effectum, quas ex ipsa lectione Constitutionis potest quis cognoscere.*

a *Plenissima Constitutio*. Hæc Constitutio est. *l. vlt. C. de testament. manumiss.*

2

De successionibus (a) sublatis, quæ fiebant per bonorum venditionem, & ex Senatus Consulto Claudiano.

TITVLVS XIII.

3 *Erant ante* (b) *prædictam successionem olim & aliæ per vniuersitatem successiones: qualis fuerat* (c) *bonorum emptio, quæ de bonis debitoris vendendis per multas ambages fuerat introducta, & tunc locum habebat, quando* (d) *iudicia ordinaria in vsu fuerunt. Sed cùm extraordinarijs* (e) *iudicijs posteritas vsa est: ideò cum ipsis ordinarijs iudicijs etiam bonorum venditiones expirauerunt, & tantummodò creditoribus datur officio iudicis bona* (f) *possidere: & prout vtile eis visum fuerit, ea disponere, quod ex lationibus* (g) *digestorum libris perfectiùs apparebit.*

4

a *De successionibus sublatis &c.* Præter quatuor modos adquirendi per vniuersitatem, quos hactenùs explicauimus, erant olim & alij, quorum duo sub hoc titulo proponuntur. Primus, de quo in principio tituli, erat bonorum emptio. Secundus erat ex Senatus Consulto Claudiano, de quo in §. *Erat & ex Senatus Consulto.*

b *Ante prædictam successionem.* Ante eam successionem, quam proximo titulo explicauimus.

c *Qualis fuerat bonorum emptio.* Si contigerat, vt quisquam grande æs alienum contraxisset, ac multa nomina confecisset: & postea latitasset, nec defensorem habuisset: bona ipsius à creditoribus auctoritate Prætoris solemniter vendebantur, & bonorum emptor omnia bona debitoris, emptionis iure consequebatur, & erat successoris loco, & dabantur creditoribus 1
in eum actiones secundum legem bonorum venditioni factã, & è contra omnes actiones, quæ ei competebant, qui passus erat bonorum venditionem, in emptorem transferebantur, & vtiliter, vel experiebatur, vel conueniebatur, sicut & bonorum possessor. Vterque enim successor Prætorius est. Vide omninò, *Theophilum hic.*

d *Quando iudicia ordinaria &c.* Pro hisce verbis, Quando iudicia ordinaria in vsu fuerunt: planiùs & explicatiùs ita dixisset Iustinianus, Quando veterum iudiciorum ordo seruabatur. 2
H. hic.

e *Extraordinarijs indicijs posteritas vsa est.* Veterem iudiciorum ordinem non obseruauit. *Idem H.*

f *Bona possidere.* Olim vniuersa. *l. 1. ff. Quib. ex caus. in poss. eat.* Sed iure nouissimo creditores mittuntur in possessionem rerum debitoris iuxta mensuram debiti declarati. A. Et qui iurat *C. de bon. auct. iud. possid.*

g *Quod ex latioribus Digestorum libris &c.* Hac de re peculiares tituli in Pandectis extant, De bonis auctoritate iudicis possi- 3
dendis: Item, Quibus ex causis in possessionem eatur.

Ad §. Erat & ex Senatus Consulto.

Erat & ex Senatus Consulto (a) *Claudiano miserabilis per vniuersitatem adquisitio: cum libera mulier seruili amore* (b) *bacchata, ipsam libertatem per Senatus Consultum amittebat*, (c) *& cum libertate substantiam, quod indignum nostris temporibus esse existimantes, & à nostra* (d) *ciuitate deleri, & non inferi nostris Digestis concessimus.* 4

a ERat & ex Senatus Consulto Claudiano. De hoc Senatus Consulto *Vlpianus in fragm. tit. 11.* sic ait: Maxima capitis deminutio est, per quam & ciuitas & libertas amittitur: veluti cùm mulier alieno seruo se iunxerit denuntiante domino, & ancilla facta fuerit ex Senatus Consulto Claudiano.

b *Amore bacchata*. Infelici cupidine capta. *l. Vnica C. de Senat. Conf.Claud.tol.*

c *Amittebat*. Prætoris, aut Præsidis interloquutione, post trinam domini denunciationem coram septem testibus. Ex *Theophilo hic*.

d *A nostra ciuitate deleri*. Senatus Consultum Claudianum, Iustiniani lege sublatum est. *dicta l. Vnica C. de Senat. Conf. Claud. tol.*

De (a) Obligationibus.

TITVLVS XIV.

Nunc transeamus ad obligationes. Obligatio, (b) *est iuris vinculum, quo necessitate* (c) *adstringimur alicuius rei* (d) *soluendæ, secundum* (e) *nostræ ciuitatis iura*.

a *De Obligationibus*. Hic titulus variè à DD. continuatur. Placet mihi continuatio Pacij, videlicet: Iudicio petimus, aut per rei vendicationem res, quæ sunt in nostro dominio, aut per condictionem res nobis debitas. Hinc duo sunt capita tractatus de rebus, vnum de dominio: alterum de obligatione. Quoniam igitur de rerum dominio hucusque dictum fuit, meritò nunc agitur de obligationibus.

b *Obligatio est iuris vinculum*. Obligatio propriè loquendo non est vinculum, sed effectus vinculi. Vincula Iuris sunt contractus vel quasi contractus, delicta, vel quasi delicta: cõtractibus enim, vel quasi contractibus, delictis, vel quasi delictis quodammodo ligamur, & creditoribus nostris deuincti sumus: illa verò deuinctio, quæ per hæc vincula fit, obligatio dicitur. Ex eod. Pacio.

c *Quo necessitate adstringimur*. Dicitur, quo necessitate adstringimur, vt intelligamus, quod obligatio illa, quæ contrahentes necessitate nõ adstringit, nulla est. *l. In vendentis 13. C. de contrah. empt.* Obligationũ enim substantia in eo consistit, vt aliũ nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum. *l. Obligationum substantia 3. ff. de act. & oblig.* Hæc tamen necessitas quandoque est arctior, & validior, quandoque leuior, & infirmior: Nam alij tenentur præcisè aliquid dare, vel facere, vt adstricti obligatione, quam interpretes vocant naturalem,

& ciuilem simul, alij per aliquam exceptionem possunt soluendi necessitatem vitare, vt adstricti obligatione, quam interpretes ciuilem tantùm appellant.

d *Alicuius rei soluendæ*. Verbum, rei, ita generaliter accipiendum est, vt omnia, quæ possunt in obligationem deduci, comprehendat. Et verbum, soluendæ, ita generaliter accipi debet, vt nomine solutionis omnis satisfactio, seù liberatio significetur, iuxta *textum in l. Solutionis verbo* 176. *ff. de Verb. sig. & in l. Solutionis verbum* 54. *ff. de solut. & liberat.* 1

e *Secundum nostræ Ciuitatis iura*. Per hæc verba datur intelligi, non satis esse solutionem fieri, sed hoc amplius requiri, vt fiat solutio eo modo, quo Iura Ciuilia præcipiunt. Quare non opportuno tempore, vel loco solutio fieri non potest, quoniam Iura Ciuilia hoc non patiuntur *l. Si soluturus* 39. *ff. de solut.* Nec aliud pro alio inuito creditore solui potest: Iura enim Ciuilia hoc non permittunt. *l.* 2. §. *Mutui datio ff. de rebus creditis*. Neque potest inuito creditori particularis solutio fieri: Nàm Iura Ciuilia particularem solutionem non admittunt, quia sæpè non minima incommoda habet particularis solutio. *l.* 3. *ff. famil. ercis.* Et hæc vltima verba definitionis declarant hic definiri ciuilem obligationem, non naturalem. Quod etiam intelligitur ex principio definitionis: Obligatio est Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur: habet enim ciuilis obligatio Iuris Ciuilis vinculum, & consequenter necessitate soluendi nos adstringit, naturalis verò non potest nos necessitate soluendi adstringere, nàm solo naturalis æquitatis vinculo sustinetur *l. Stichum* 95. §. *Naturalis ff. de solut. & liberat.* Vnde etiam minùs propriè dicitur obligatio. *l. fideiussor* 17. §. *Fideiussor. ff. de fideiussor.* Et contrahitur. ex. gr. Si pupillus sine tutoris auctoritate promittat *l.* 1. *in fine ff. de nouat. & dcleg.* Si frater à fratre, cùm in eiusdem patris potestate essent, pecuniam mutuam accipiat. *l. frater à fratre* 38. *in princ. ff. de condict. indeb.* Et inter patrem & filium, *dicta l. frater à fratre*, §. *Quæsitum*, & inter dominum & seruum. *l. Si quod dominus* 64. *ff. de condict. indeb.* 2 3 4

Ad §. Omnium autem.

Omnium autem obligationum summa (a) *diuisio in duo genera deducitur namque aut ciuiles sunt*, (b) *aut prætoriæ. Ciuiles sunt, quæ aut legibus* (c) *constitutæ*, (d) *aut certè Iure ciuili comprobatæ* (e) *sunt.*

Præ-

Prætoriæ sunt, quas prætor (f) *ex sua iurisdictione constituit, quæ etiam* (g) *honorariæ vocantur.*

a *Summa diuisio.* Hoc est, prima, præcipua, & principalis diuisio.

b *Aut ciuiles sunt, aut prætoriæ.* Ciuiles obligationes hic aliquantò strictiùs accipiuntur, quàm in præcedenti §. Ibi enim ciuiles obligationes accepimus, quatenùs obligationibus Iuris naturalis opponuntur: in qua significatione omnes obligationes naturalibus tantùm exceptis, sunt ciuiles, & consequenter sub ciuilibus etiam prætoriæ comprehenduntur: hic verò ciuiles obligationes accipiuntur quatenùs prætorijs obligationibus opponuntur, & consequenter quatenùs sunt ab ipsis omninò separatæ. 1

c *Quæ aut legibus.* Quacunque specie Iuris Ciuilis, exceptis prætorum edictis.

d *Constitutæ.* Veluti ex nudo pacto in quibusdam causis. Quanuis enim regulariter nudum pactum non pariat obligationem. *l. Iuris gentium 7. §. Igitur nuda, ff. de pactis,* tamen si lege aliqua adiuuetur, obligationem producit, vt in causa promissionis dotis, toto titulo *C. de dotis promiss.* & in causa donationis. *l. Si quis argentum 35. §. penul.. C. de donat.* 2

e *Comprobatæ sunt.* Comprobatæ sunt Iure Ciuili obligationes, quæ ex conuentionibus Iuris gentium descendunt, veluti, obligationes ex empto, vendito, locato, conducto. *l. Ex hoc iure 5. ff. de iust. & iur.* 3

f *Quas Prætor ex sua iurisdictione constituit.* Qualis est obligatio, quæ ex constituta pecunia descendit. *l. 1. & tot. tit. ff. de constit. pecun.* & obligatio, quæ descendit ex nuda conuentione pignoris. *l. Si tibi 17. §. De pignore ff. de pactis.* Et vt sunt aliæ plures, de quibus Infrà in *tit. de act.* Obligationes verò, quæ Iure Ciuili sunt constitutæ, aut Iure gentium introductæ, & Iure Ciuili comprobatæ, etiam si iure prætorio comprobentur, tamen ciuiles, non prætoriæ vocantur, & ex eis prætor non dat prætorias, sed ciuiles actiones. 4

g *Quæ etiam honorariæ vocantur.* Quòd qui honores gerunt, idest Magistratus, auctoritatem Iuri prætorio dederunt. *§. Prætorum quoque, de iure nat. gent. & ciu.*

Ad §. Sequens diuisio.

Sequens diuisio in quatuor species deducitur. Aut enim (a) *ex contractu sunt, aut quasi ex contractu, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Priùs est, vt de ijs, quæ* (b) *ex contractu sunt, disputiamus. Harum æquè quatuor sunt species. Aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu, de quibus singulis dispiciamus.* 1

a *AVT enim ex contractu sunt &c.* Obligationes omnes, aùt ex contractu sunt, aùt quasi ex contractu, aùt ex maleficio, aùt quasi ex maleficio. Et hoc est, quod *Caius ait in l.1. in princ. ff. de act. & oblig.* obligationes nasci, aut ex contractu, aùt ex maleficio, aùt proprio quodam iure ex varijs causarum figuris. Nàm hæc postrema Caij verba, ex varijs causarum figuris, ex communiori sententia interpretum referenda sunt ad obligationes ex quasi contractu, & ex quasi maleficio. *Mynsi. Baro, Borch. & Pac. hic.* 2

b *Quæ ex contractu sunt.* Contractus autem est conuentio causam habens ex regulis Iuris Ciuilis obligatoriam. Vide *Galuan. de Vsufruc. cap.17. num.2. & seq.*

Quibus (*a*) modis re contrahitur obligatio. 3

TITVLVS XV.

Re (b) *contrahitur obligatio, veluti* (c) *mutui datione. Mutui* (d) *autem datio in ijs rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurane constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in* (e) *hoc damus, vt accipientium fiant. Et quandoque nobis* (f) *non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis reddantur. Vnde etiam mutuum* (g) *appellatum est: quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat, & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur* (h) *condictio.* 4

a *QVibus modis &c.* Huius tituli continuatio patet ex §. vltimo tituli præcedentis.

b *Re contrahitur obligatio,* Obligationes, quæ re contrahi dicun-

dicuntur, ex eo nomen habent, quòd in illis contrahendis necessè est, præter consensum partium, vt rei quoque traditio interueniat: cum in alijs obligationibus, vt constent, non requiratur rei traditio, sed sufficiat consensus de re tradenda, vel præter consensum debeant, aut verba, aut literæ interuenire, non autem rei traditio. Si ergo tibi decem dem, & paciscar, vt viginti mihi debeantur: non nascitur obligatio vltra decem. Re enim non potest obligatio contrahi, nisi quatenus 1
datum sit. *l. si tibi decem 17. in princ. ff. de pactis.*

c *Veluti mutui datione.* Mutuum est contractus, quo res nostras, quæ pondere, numero, mensuraue constant, alteri damus, hac lege, vt res eiusdem generis, qualitatis, & quantitatis nobis reddantur.

d *Mutui autem datio &c. l. 2. §. Mutui datio ff. de reb. cred.*

e *In hoc damus, vt accipientium fiant.* Ideoque in mutui datione oportet dominum esse dantem. *l. 2. §. In mutui datione ff. de reb. cred.*

f *Et quandoque nobis non eadem res &c. Paulus in l. 2. ff. de rebus creditis, in princ.* (Mutuum damus recepturi non eandem speciem, quam dedimus, sed idem genus.) Et licet accidere possit, vt eadem res restituatur, ea tamen est mens, & cogitatio dantis, vt non eadem res restituatur, sed alia eiusdem generis, qualitatis, & quantitatis.

g *Vnde etiam mutuum appellatum est &c. Idem Paulus in d. l. 2. §. Appellata ff. de rebus creditis*: Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit. Et ideo si tuum non fiat: non nascitur obligatio.

h *Quæ vocatur condictio.* Aliàs, quæ vocatur certi condictio. Certi condictio competit ex omni causa, & ex omni obligatione, ex qua certum petitur. *l. Certi condictio 9. in princ. ff. de reb. cred.*

Ad §. Is quoque.

Is quoque, qui non debitum accepit ab eo, qui per errorem (a) *soluit, re obligatur: daturque agenti contra eum propter repetitionem condictitia* (b) *actio. Nam perinde ab eo condici potest: Si paret eum dare oportere, ac si mutuum* (c) *accepisset. Vnde pupillus, si ei sine tutoris auctoritate non debitum per errorem datum est, non tenebitur* (d) *indebiti condictione, magis quàm mutui datione. Sed hæc species obligationis non videtur* (e) *ex contractu consistere; cum is, qui sol-* 4

soluendi animo dat, magis distrahere voluit negotium, quàm (f) *contrahere.*

a PER *errorem*. Per errorem facti, nàm error iuris non dat repetitioni locum. *l. Cum quis* 10. *C. de Iur. & fac. ignor. l. Error facti* 9. *C. ad leg. Falc.* Et etiam cessat repetitio si quis sciens se non debere, soluerit. *l.* 1. *ff. de condic. indeb.* Cuius enim per errorem dati repetitio est, eius consultò dati donatio est. *l. Cuius per errorem* 54. *ff. de reg. Iur.* 1

b *Condictitia actio*. Hæc condictio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, reuocare consueuit. *l. Hæc condictio* 66. *ff. de condic. indeb.*

c *Ac si mutuum accepisset. Gaius in l. Ex maleficijs* 4. §. *Is quoque ff. de act. & oblig.* Is quoque, qui non debitum acceperit, per errorem soluentibus obligatur quasi ex mutui datione: & eadem actione tenetur, qua debitores creditoribus.

d *Non tenebitur indebiti condictione &c.* Si tamen pupillus locupletior factus sit ex mutuo, vel indebito, ad restituendum 2 obligatur: Nàm generaliter pupillus, ne locupletetur cum alterius iactura, obligatur sine tutoris auctoritate, & in eum datur actio ex rescripto Diui Pij in quantum locupletior factus est. *l. Pupillus obligari* 5. *in princ. ff. de auct. & cons. tut.* Vide notata suprà *ad princ. tit. de auct. tut.* In verbo, *At inuicem pupilli*.

e *Non videtur ex contractu consistere*. Quis enim contractum vocet, cum animo debitum agnoscentis & obligationem dissoluere volentis, erroneam solutionem facio, non vt obligatio- 3 nem constituam? *Theoph. hic*. Itaque is, qui non debitum accepit, quasi ex contractu debere videtur. §. *Item is cui, Inst. de oblig. quasi ex contrac.*

f *Magis voluit negotium distrahere, quàm contrahere*. Is tamen, qui non debitam pecuniam soluit, hoc ipso aliquid negotij gessit. *l. Si in arca* 33. *ff. de condic. indeb.*

Ad §. Item is, cui res aliqua.

4

Item is, cui res aliqua vtenda datur, ideſt, commodatur, re obligatur, & tenetur (a) *commodati actione. Sed is ab eo,* (b) *qui mutuum accepit, longè distat. namque non ita ei res datur, vt eius fiat: & ob id de ea* (c) *re ipsa restituenda* (d) *tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit, quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum, hostiumue incursu: nihilomi-*

lominùs obligatus permanet. Atis, qui vtendum accepit, sanè quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare iubetur: nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam in suis rebus adhibere solitus est: si modò alius diligentior poterat eam rem custodire. sed propter maiorem vim, maioresue casus non tenetur: si modò non huius ipsius culpa is casus interuenerit, alioquin si id, quod tibi commodatum est, peregrè tecum ferre malueris, & vel incursu hostium prædonumue, vel naufragio amiseris: dubium non est, quin de restituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc propriè intelligitur, si nulla mercede accepta vel constituta, res tibi vtenda data est. alioqui mercede interueniente, locatus tibi (e) *vsus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum.* 1

a ET *tenetur commodati actione.* Commodatum est contractus, quo res ad certum vsum gratis traditur, hac lege, vt eadem species finito vsu restituatur. *Pacius ad hanc rubricam in Analy.* Ex hoc contractu duæ nascuntur actiones, actio commodati directa, & actio commodati contraria. Directa datur commodanti aduersùs commodatarium, vt finito vsu cogatur rem restituere, non deterioratam. Contrana datur commodatario aduersùs commodantem, vt non impediat vsum rei commodatæ, vel ad repetendas impensas maiores necessarias, siuè vtiles in re commodata factas, vel vt consequatur commodatarius quod sua interest, si damnum ex re vitiosa scienter commodata, passus sit, veluti si quis sciens vasa vitiosa commodauit, & infusum ibi vinum, vel oleum corruptum, effusumue sit. *l. In rebus* 18. §. *Item qui sciens ff. Commodati, vel contrà.* 2 3

b *Sed is ab eo, qui mutuum accepit, longè distat.* Inter mutuum & commodatum plures sunt differentiæ. Prima est, quòd in mutuo res sit accipientis, vt in principio huius tituli, in commodato verò nequaquam, *vt hic in textu.* Secunda est, quòd is, qui mutuum accepit, non tenetur reddere eandem speciem, quam accepit, sed aliam eiusdem generis, & qualitatis. *dicto princ. tit.* commodatarius verò ipsam eandem speciem, quam accepit, restituere debet. *tex. hic.* Tertia differentia est, quòd mutuum earum rerum est, quæ vsu consumuntur, vt vini, olei, frumenti. *dicto princ. huius tituli:* Commodari autem non potest id, quod vsu consumitur: nisi fortè ad pompam, vel ostentationem quis accipiat. *l. 3. §. vlt. ff. commodati, vel contrà.* Quarta differentia est, quòd is, qui mutuum accepit, 4

si

si quolibet fortuito casu amiserit, quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum, hostiumue incursu: nihilominùs obligatus permanet: commodatarius verò, si quolibet fortuito casu amiserit, quod accepit, liberatur: si modò non ipsius culpa, etiam leui, is casus interuenerit: nec enim sufficit commodatario, vt liberetur, tantam diligentiam adhibuisse, quantam in suis rebus adhibere solitus est: si exactam diligentiam custodiendæ rei non præstiterit. *tex. hic*. Exactam 1
diligentiam, ideſt, eam diligentiam, quam quilibet diligens paterfamilias adhibuisset, & in rebus suis adhibere solet. In summa commoditarius tenetur, non solùm de dolo, & culpa lata, sed etiam de leui, & is, qui mutuum accepit, neque ex eo liberatur, quod res fortuito casu pereat. Quid autem sit dolus, & quid culpa, tam lata, quàm leuis, diximus suprà in *tit. de suspect. tut. vel cur. ad §. Suspectus autem remotus*. Doctores tamen dicunt, quod commodatarius in re commodata custodienda præstare debet non solùm exactam, sed exactissimam 2
diligentiam, ideſt eam diligentiam, quam non solùm diligens, sed diligentissimus quisque paterfamilias adhiberet, & in rebus suis adhibet, ita vt de leuissima culpa teneatur. Sed Dominus Bartholomæus Chesius Præceptor meus *lib. 1. Interpret. Iur. cap. 45. num. 8. & seq.* existimat, quod nulla adhibenda sit distinctio inter diligentem, & diligentissimum patrem familias, & per consequens, quod nulla sit culpa leuissima, quæ à leui differat.

c *De eare ipsa*. Idoque non potest commodari id, quod vsu 3
consumitur, nisi vt dixi in præcedenti Nota, in *verſ. Tertia differentia*.

d *Restituenda*. Finito vsu illo, ad quem res commodatò accepta fuit. *l. In commodato 17. §. Sicut autem ff. commodati, vel contrà*.

e *Locatus tibi vsus. l. Si vt certo 5. §. Nunc videndum, in quibus, ff. Commodati, vel contrà*.

Ad §. Præterea. 4

Præterea (a) *& is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, & actione* (b) *depositi de eare*, (c) *quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo* (d) *commiserit. culpæ* (e) *autem nomine, ideſt, desidiæ ac negligentiæ non tenetur. Itaque securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit, quia qui negligenti*

genti amico rem custodiendam tradidit, suæ facilitati (f) *id imputare debet.*

a *Præterea & is, apud quem &c. l. 1. §. Is quoque, ff. de act. & oblig.*

b *Et actione depositi.* Aliàs, teneturque actione depositi. Depositum est, quod custodiendum alicui datum est. *l. 1. ff. depositi,* seu depositum est contractus, quo res gratis custodienda tra- 1
ditur, hac lege, vt eadem species restituatur. *Pac. ad hanc nostram Rubricam in Analy.* Ex hoc depositi contractu duæ nascuntur actiones, actio depositi directa, & actio depositi contraria. Directa datur deponenti aduersùs depositarium, vt cogatur rem depositio acceptam restituere, non deterioratam. Contraria datur depositario aduersùs deponentem ad repetendas impensas in rem depositam rectè factas, *tot. tit. ff. Depositi, vel contrà.*

c *De ea re, quam accepit.* Nam rei depositæ proprietas apud 2
deponentem manet. *l. licet 17. ff. Depositi, vel contrà.*

d *Si quid dolo commiserit.* Vel lata culpa. *l. 1. C. depositi.* Et ratio quare is, apud quem res aliqua deponitur, ex eo solo teneatur, si quid dolo, vel lata culpa commiserit, est quia non sua gratia accepit, sed eius, à quo accepit. *l. 1. §. Is quoque, apud quem ff. de act. & obl. g.* Et etiam quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, suæ facilitati id imputare debet. *tex. hic, & in dicto §. Is quoque, apud quem.*

e *Culpæ autem nomine &c.* Quandoque tamen is, apud quem 3
res aliqua deposita est, culpæ nomine tenetur: vt puta si conueniat, vt in deposito & culpa præstetur. *l. 1. §. Si conueniat ff. depositi,* Si se deposito obtulit. *d. l. 1. §. Sæpe euenit,* Si fuit in mora restituendi depositum. *l. Si in Asia 12. §. vlt. ff. depositi,* Si pretium depositionis non quasi mercedem accepit. *l. 2. §. In hac actione ff. de vi bon. rap.*

f *Suæ facilitati &c.* De se quæri debet. *d. l. 1. §. Is quoque, apud quem ff. de act. & oblig.*

4

Ad §. Creditor quoque.

Creditor (a) *quoque qui pignus* (b) *accepit, re obligatur: quia & ipse de ea re,* (c) *quam accepit, restituenda* (d) *tenetur actione* (e) *pignoratitia. Sed quia pignus* (f) *vtriusque gratia datur, & debitoris, quo magis pecunia ei crederetur, & creditoris, quo magis ei*

in tuto sit creditum : placuit sufficere, quod ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhiberet : quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu eam rem amiserit, securum esse, nec impediri creditum petere.

a *Creditor quoque &c. l.* 1. §. *Creditor quoque ff. de act. & oblig.*

b *Qui pignus accepit.* Pignus est contractus, quo res traditur creditori, quo magis id, quod ei debetur, in tuto sit, hac lege, vt soluto debito, vel si aliter creditori satisfactum fuerit, debitori restituatur. *Pac. ad hanc nostram Rub. in Analy.* Et pignus appellatum est à pugno : quia res, quæ pignori dantur. manu traduntur. vnde etiam videri potest verum esse, quod quidam putant, pignus propriè rei mobilis constitui *l. Plebs* 237. *ff. de verb. sig.* Et nota, quod hic in textu cautè dicitur : qui pignus accepit : Non enim aliter ex pignore creditor obligatur, quàm si pignus accepit. Vnde etiam propriè pignus dicimus, quod ad creditorem transit : hypothecam, cùm non transit nec possessio ad creditorem *l. Si rem alienam* 9. §. *Non tantùm ff. de pignor. act.* 1 2

c *De ea re, quam accepit.* Nam pignus, manente proprietate debitoris, solam possessionem transfert ad creditorem. *l. Cum & sortis* 35. *ff. de pignor. act.*

d *Restituenda.* Postquam omnis pecunia fuit exoluta, aut eo nomine aliter creditori satisfactum *l. Si rem alienam* 9. §. *Omnis pecunia ff. de pignor. act.*

e *Actione pignoratitia.* Ex hoc pignoris contractu pignoratitia nascitur actio, directa, & contraria. Directa datur debitori aduersùs creditorem, vt rem, quam pignori accepit, restituat, non deterioratam. Contraria datur creditori aduersùs debitorem ad recuperandas impensas necessarias in pignus factas. *l. Si necessarias* 8. *in princ. ff. de pignor. act.* Et etiam datur ad omne id, quod ipsi creditori pignoris causa abest, veluti, si debitor rem alienam, vel alij pignoratam, vel in publicum obligatam, pignori dedit. *l. Tutor* 16. §. *Contrariam ff. de pignor. act.* 3 4

f *Sed quia pignus vtriusque gratia &c.* Pignus vtriusque gratia datur, & debitoris, quò magis pecunia ei credatur, & creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum. Itaque ob eam rem, quia scilicet id lucrari videatur creditor, quod de indemnitate consultum ei sit, exactam diligentiam custodiendo pignori adhibere debet : quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu eam rem amiserit, securus est, nec impeditur creditum petere. *textus,*

&

& Theoph. hic. Tenetur igitur creditor, non solùm de dolo, & culpa lata, sed etiam de leui: non tamen de casu fortuito. *l. Si cùm venderet 13. in fine ff. de pignor. act.*

g *Exactam diligentiam.* Ideſt, eam diligentiam, quam diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet. *l. Ea igitur 14. ff. de pignor. act.*

De Verborum (a) obligatione. 1

TITVLVS XVI.

Verbis obligatio (b) *contrahitur ex interrogatione* (c) *& responsione, cum quid dari* (d) *fieriue* (e) *nobis* (f) *stipulamur. ex qua duæ proficiscuntur actiones, tam* (g) *condictio, si certa* (h) *sit stipulatio, quam ex* (i) *stipulatu, si incerta,* (k) *quæ hoc nomine* (l) *inde vtitur, quia stipulum apud veteres firmum appellabatur, fortè à stipite descendens.* 2

a *De verborum obligatione.* Obligationes, quæ ex contractu sunt, aut re contrahuntur, aut verbis, aut literis aut consensu §. *vlt. Inst. de oblig.* Postquam igitur dictum est de obligationibus, quæ re contrahuntur, sequitur, vt dicamus de obligationibus, quæ contrahuntur verbis.

b *Verbis obligatio contrahitur &c.* Verborum obligatio ex stipulatione descendit, & ab ea differt tanquam effectus à causa. Stipulatio namque causa est, ex qua oritur effectus, qui dicitur verborum obligatio. Stipulatio autem est verborum conceptio, quibus is, qui interogatur, daturum, facturumue se, quod interrogatus est, respondet. *l. stipulationum 5. §. Stipulatio autem ff. de verb. oblig.* dicitur, stipulatio, verborum conceptio: quia hic est contractus, qui verbis contahitur, & in conceptione verborum substantia huius contractus posita est, *vt in princ. huius tituli* Quibus: parum refert an hoc relatiuum, quibus, sit in datiuo, an ablatiuo, nam quomodocunque accipiatur congrua est locutio. Is, qui interrogatur respondet. Quia in hoc contractu necesse est interrogationem præcedere, & responsionem sequi, alioquin stipulatio non esset, *vt in princ. huius tituli.* Daturum, facturumue: Nam stipulationes omnes, vel in dando, vel in faciendo consistunt. *l. 2. in princ. ff. de verb oblig.* In dando, veluti cum stipulor mihi 3 4

decem dari. In faciendo, veluti cum stipulor insulam, vel domum ædificari. Se: de se enim quisque promittere debet, & factum proprium, non alienum. §. *Si quis alium*, *Inst. de inutil.stipul.l.stipulatio ista* 38.*in princ.l.Inter stipulantem* 83.*in princ. ff.de verb.oblig.* Sicuti è contra nemo potest regulariter alteri stipulari. §.*Si quis alij,Inst.de Inutil. stipul. & probatur ex textu nostra in prin.ibi,nobis stipulamur*, Quod interrogatus est: Quia scilicet is, qui interrogatur,illud idem promittere debet, quod interrogatus est. Congrua enim debet esse responsio interrogationi, §.*Præterea*,*Inst. de Inutil.stipul. l.* 1. §. *si quis simpliciter*, & §. *vlt. ff.de verb. oblig.* 1

c *Ex interrogatione & responsione*. Ex interrogatione præcedente, & responsione sequente, *l.*1.*C.de vsuris*. Et qui interrogat, stipulator vocatur & obligationem acquirit, qui autem respondet, appellatur promissor, & stipulatori obligatur *l.Inter stipulantem* 83.*in princ.ff. de verb.oblig.* 2

d *Dari*. Vt, promittis mihi dare centum aureos?

e *Fieriue*. Sub verbo fieri, hoc loco continetur etiam non fieri, vt constat ex §.*vlt.h.t.* Fieri: vt, promittis mihi ædificare domum? Non fieri: vt, promittis mihi in Capitolium non ascendere.

f *Nobis stipulamur*. Regulariter enim alteri stipulari nemo potest §. *Si quis alij*: *Inst.de inutil.stipul.*

g *Tam condictio*. Alias,tam condictio certi. Certi condictio competit ex omni causa, & ex omni obligatione, ex qua certum petitur. *l.certi condictio* 9.*in princ.ff.de reb.cred.* 3

h *Si certa sit stipulatio*. Certa est stipulatio, cùm apparet quid, quale, & quantum in stipulationem deductum sit: veluti, si quis aureos decem, fundum Tusculanum, hominem Stichum dari sibi stipulatus sit *l.stipulationum quædam* 74.*ff.de verb. oblig.*

i *Ex stipulatu*. Actio ex stipulatu accipitur quandoquè propriè, & angustè, vt hic, pro actione, quæ ex stipulatione persequitur rem incertam: quandoquè latè pro omni actione, quæ ex stipulatione descendit. siuè persequatur rem certam: siuè incertam, *vt in l.vnica C. de rei vxor.act.& alibi*. *Pac. hic in Analy*. 4

k *Si incerta*. Vbi non apparet, quid, quale, quantumque in stipulationem sit deductum, incertam esse stipulationem dicendum est, veluti, si quis fundum sine propria appellatione, vel hominem generaliter sine proprio nomine dari sibi stipulatus sit. *l.vbi autem* 75.*ff.de verb. oblig.*

1 *Quæ hoc nomine inde vtitur &c. Paulus recept sent. lib. 5. tit. de oblig.* Obligationum firmandarum gratia stipulationes inductæ sunt, quæ quadam verborum solemnitate concipiuntur: & appellatæ, quod per eas firmitas obligationum constringitur. Stipulum enim veteres firmum appellauerunt.

Ad §. In hac re.

1 *In*(a) *hac re olim talia verba tradita fuerunt: Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fidepromitis? Fidepromitto. Fideinbes? Fideibeo. Dabis? dabo. Facies? Faciam. Vtrum autem* (b) *Latina, an Græca, vel qua alia lingua stipulatio concipiatur, nihil interest: scilicet si vterque* (c) *stipulantium intellectum* (d) *eius linguæ habeat: nec necesse est eadem lingua vtrumque vti, sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. Quin etiam duo Græci latina lingua obligationem contrahere possunt. Sed hæc* (c) *solemnia verba olim quidem in vsu fuerunt: Postea autem Leonina* (f) *Constitutio lata est, quæ* 2 *solemnitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectum ab vtraque parte solùm desiderat, licet quibuscunque verbis expressum est.*

a *IN hac re.* In stipulatione contrahenda.

b *Vtrum autem latina, an Græca &c.* Quæ Iuris Ciuilis sunt, ciuilibus tantùm, & latinis verbis fieri possunt. Sed in stipulationibus, quamuis verè sint Iuris Ciuilis, tamen propter earum vsum frequentissimum vtilitatis causa receptum fuit, vt 3 contra Iuris Ciuilis regulas, non tantùm latinè, sed qualibet lingua fierent.

c *Vterque stipulantium.* Et stipulator, & promissor.

d *Intellectum eius linguæ habeat.* Siue per se, siue per verum interpretem. *l. 1. §. eadem ff. de verb. oblig.*

e *Sed hæc solemnia verba &c.* Hodie in stipulatione contrahenda, solemnitate verborum sublata, sensus, & consonans intellectus quibuscunque verbis expressus stipulationis contrahendæ gratia ab vtraque parte solum desideratur. *l. omnes stipulationes* 10. *C. de contraben. & commit. stipul.* Est tamen obser- 4 nanda forma stipulationis, ideſt, vt interrogatio stipulatoris præcedat, & congrua promittentis responsio sequatur, alioquin non esset stipulatio. *l. 1. §. verbis ff. de act. & oblig.*

f *Leoniana Constitutio. Dicta l. omnes stipulationes* 10. *C. de contraben. & commit stipul.*

Ad

Ad §. Omnis Stipulatio.

Omnis stipulatio, aut purè, (a) *aut in diem, aut sub conditione fit: Pure: veluti, quinque aureos dare spondes?* (b) *Idque confestim* (c) *peti potest. In diem: cum adiecto die, quo pecunia soluatur, stipulatio fit: veluti, decem aureos primis* (d) *Kalendis Martijs dare spondes? Id autem, quod* (e) *in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti priùs quam dies venerit, non* (f) *potest, at ne eo* (g) *quidem ipso die, in quem* (h) *stipulatio facta est peti potest: quia totus is dies arbitrio soluentis tribui debet. Neque enim certum est eo die, in quem promissum est, datum non esse, priùs quàm is præterierit.* 1

a *Purè: veluti, Quinque aureos &c.* Stipulatio pura est, quæ nequè diem, nequè conditionem adiectam habet: veluti, quinque aureos &c. 2

b *Spondes.* Supple, Spondeo.

c *Confestim peti potest.* Quia dies iam cessit, & venit, ideſt, iam incepit deberi, quod fuit promissum, & ea dies venit, qua id peti possit. *l. cedere diem 213. ff. de verb. sig.* Hoc tamen cum aliquo temporis spatio, quo traditio fieri possit, accipiendum est. §. *vlt. Inst. de inutil. stipul.* Quod tempus definiendum est arbitrio Iudicis, *arg. l. 1. §: vlt. ff. de Iure deliber.*

d *Primis Kalendis Martijs.* Quod si stipulatio hoc modo concipiatur; Decem aureos kalendis Martijs dare spondes? Nihilominus primæ Kalendæ Martiæ spectandæ sunt, nisi aliud inter contrahentes actum sit: *l. Eum, qui Kalendis 41. ff. de verb. oblig.* 3

e *Id autem: quod in diem &c.* Id quod in diem promissum est, confestim peti non potest, quoniam huius stipulationis dies cessit quidem, sed nondum venit. ideſt, incoepit quidem iam deberi, quod fuit promissum, sed nondum venit dies, quo id peti possit. *d. l. cedere diem 213. ff. de verb. signif.* Cum igitur in diem stipulamur, præsens obligatio est, in diem autem dilata solutio *l. Centesimis 46. in princ. ff. de verb. oblig.* Atque hoc est, quod in textu nostro Iustinianus ait. Id autem quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti priùs quam dies venerit, non potest. 4

f *Non potest.* Quinimò, si creditor, priùs quam dies venerit

petat

petat incidit in pœnam plus potentium §. *Si quis agens, Inſt. de actionibus*:

g *At ne eo quidem ipſo die &c.* Nam in ſtipulationibus promiſoris gratia tempus adjicitur. *l. cum tempus* 17. *de reg. iur.* ſimilter is, qui certarum nundinarum diebus dari ſtipulatur quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum ſpatio ſupereſt, petere non poteſt. *l.eum qui certarum* 138. *in princ. ff.de verb. oblig.*

h *In quem ſtipulatio facta eſt.* In quem deſtinata eſt ſolutio. Quod ſi dies non differendæ actionis gratia inſertum ſit, ſed quo præſens oſtendatur eſſe reſponſum, veluti ſi dicatur: Decem hodie dare ſpondes? poterit vel eodem die pecunia peti *l.liber homo* 118.§. *Decem hodie ff. de verb. oblig.* 1

Ad §. At ſi ità ſtipuleris.

At ſi ita ſtipuleris: Decem aureos annuos, quoad vixam, dare ſpondes? Et purè facta (a) *obligatio intelligitur, & perpetuatur: quia* (b) *ad tempus deberi non poteſt. Sed heres petendo, pacti* (c) *exceptione ſubmouebitur.* (d) 2

a *ET pure facta obligatio intelligitur.* Et ideo confeſtim decem aureos dari rectè petis *l.Eum, qui ita* 56. §. *Qui ità ſtipulatur ff.de verb.oblig.*

b *Quia ad tempus &c.* Ad tempus Ciuilis obligatio conſtitui non poteſt. Nam quod Iure Ciuili deberi cæpit, non poteſt, niſi ijs ipſis modis, qui ab eodem Iure inſtituti ſunt, deſinere deberi. *l.obligationum ferè.43.§.Placet, ff. de act.& oblig.* 3

c *Pacti exceptione.* Vel pacti conuenti, vel doli mali exceptione. *d.l.obligationum fere* 43. §. *Placet. ff.de act.& oblig.*

d *Submouebitur.* Nam ſtipulatorem id egiſſe, ne heres eius peteret, palàm eſt. *d.l.Eum, qui ita* 57.§. *Qui ita ſtipulatur ff.de verb.oblig.*

Ad §. Sub conditione.

Sub conditione (a) *ſtipulatio fit, cùm in aliquem caſum differtur obligatio: vt ſi aliquid factum fuerit, aut non fuerit, ſtipulatio committatur, veluti, ſi Titius Conſul fuerit factus, quinque aureos dare ſpondes? Si quis ita* (b) *ſtipuletur: Si in Capitolium non aſcendero, dare ſpondes? perinde erit ac ſi ſtipulatus eſſet, cùm* (c) *morietur, ſibi dari. Ex conditionali ſtipulatione tantùm ſpes eſt* (d) *debitum iri:* 4

iri: eamque (c) *ipsam spem in heredem transmittimus, si priùs quàm conditio exist.at, mors nobis contigerit.*

a *SVB conditione &c.* Sub conditione stipulatio fit, cùm in incerti casus euentum obligatio confertur: veluti; Si Titius consul fuerit factus, quinque aureos dare spondes? Qui verò sub conditione stipulatur, quæ omninò extitura est, purè videtur stipulari. *l.Si pupillus 9.§.1.ff.de nouat.& deleg.* c

b *Si quis ita stipuletur.* Si in Capitolium &c. Si quis stipuletur sub conditione, quæ in non faciendo concepta sit: vt puta. Si in Capitolium non ascendero, dare spondes? perinde erit ac si stipulatus esset, cùm morietur sibi dari. *l.Ita stipulatus 115.§.Sed & si ita ff.de verb.oblig.* Si verò legatum sub conditioo, quæ in non faciendo concepta sit, relinquatur, legatarius, Mutiana cautione interposita, ideſt, præstita satisdatione, quod non faciet contra conditionem, quasi impleta conditione, legatum accipiet. Nec solùm in legatis id placuit: verùm in he- 2
reditatibus quoque idem remedium admissum est. *l. Mutianæ cautionis 7.ff.de condit.& demonstr.* Imò, ex communi Doctorum sententia, in omnibus vltimis voluntatibus, Mutianæ cautionis remedium locum habet.

c *Cùm morietur.* Tunc enim cùm morietur, certum, planumque fiet, cum in Capitolium non ascendisse. Nàm qui iam in vltimo vitæ spiritu est, is ascendere non potest. *Ex Theoph.*

d *Tantùm spes est debitum iri.* Nàm vbi sub conditione quis stipulatus fuit, neque cessit, neque venit dies, pendente adhuc 3
conditione, ideſt, neque incœpit deberi, quod fuit sub conditione promissum, neque dies venit, quo id peti possit. *l.Cedere diem 213.ff.de verb.sign.*

e *Eamque ipsam spem &c.* Ea spes debitum iri, quæ ex conditionali stipulatione est, transmittitur in heredem, si priùs quàm conditio existat, mors stipulatori contigerit. *Text. hic.* Spes verò legati conditionalis, ad heredes legatarij non transmittitur, si legatarius ante euentum conditionis moriatur. *l.Vnica. §.Sin autem aliquid C.de caduc.tol.* Et ratio differentiæ est: quia 4
legatum contemplatione solius legatarij ob ipsius meritum relinqui videtur. *l.Nec adiecit 9.ff.Pro socio.* Contrahentes verò non solùm pro se, sed etiam pro heredibus suis contrahere solent. *l.Si pactum 9.ff.de probat.* Quod autem fieri solet, id tacitè fieri censetur, etiam si expressum non fuerit. *Pacius hic in Analy.*

Ad

Ad §. Loca etiam.

Loca etiam inferi ſtipulationi ſolent : veluti , Carthagine dare ſpondes ? Quæ ſtipulatio , licèt purè (a) *fieri videatur : tamen re ipſa* (b) *habet tempus adiectum , quo promiſſor vtatur ad pecuniam Carthagine dandam . Et ideò ſi quis Romæ ita ſtipuletur : Hodie Carthagine dare ſpondes ? inutilis erit* (c) *ſtipulatio , cum impoſſibilis* (d) *ſit repromiſſio .* 1

a *Licèt purè fieri videatur .* Verbis inſpectis.

b *Tamen re ipſa habet tempus adiectum .* Interdum pura ſtipulatio ex re ipſa dilationem capit. Sic qui Carthagine dari ſtipulatur , cùm Romæ ſit : tacitè tempus complecti videtur , quo peruenire Carthaginem poteſt . *Paulus in l. Interdum 73. ff. de verb. oblig.* Et etiam Iulianus putat, diem tacitè huic ſtipulationi 2
ineſſe. *l. Non vtique 3. §. Qui ita ſtipulatur ff. de eo, quod certo loco &c.* Quod tempus autem accipi debeat , quæritur . Et magis eſt , vt totam eam rem ad iudicem , ideſt , ad virum bonum remittamus , qui æſtimet , quanto tempore diligens paterfamilias conficere poſſit , quod facturum ſe promiſit . *l. Continuus 137. §. Cum ita ff. de verb. oblig.*

c *Inutilis erit ſtipulatio . Dicta l. Non vtique 3. §. Qui ita ſtipulatur , ff. de eo , quod certo loco &c.* Si tamen inter eos , qui Romæ ſunt , talis fiat ſtipulatio : Hodie Carthagine dare ſpondes ? & tam 3
ſtipulator , quàm promiſſor ante aliquod tempus ſuo quiſque diſpenſatori , quem habet Carthagini , notum fecerit , in eum diem futuram ſtipulationem : ac demandauerit promiſſor quidem ſuo diſpenſatori , vt daret : ſtipulator autem ſuo , vt acciperet : valebit ſtipulatio. *l. vlt. §. Si inter eos ff. de verb. oblig.*

d *Cùm impoſſibilis ſit repromiſſio .* Nam id fieri non poteſt , vt is , qui Romæ eſt , vno die Carthaginem veniat.

Ad §. Conditiones. 4

Conditiones , (a) quæ ad præſens , vel præteritum tempus referuntur , aut ſtatim infirmant obligationem , aut omninò non differunt : veluti. Si Titius Conſul fuit : vel , Si Mæuius viuit , dare ſpondes ? Nàm ſi ea ità non ſunt , nihil valet ſtipulatio . Sin autem ita ſe habent , ſta-

tim valet. Quæ enim per verum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.

a *Conditiones, quæ ad præsens &c. l. Conditio 100. ff. de verb. oblig. l. Cùm ad præsens 37. ff. de reb. creditis.* Itaque conditio tunc potestatem conditionis obtinet, cum in futurum confertur. *l. Itaque 39. ff. eodem.* 1

Ad §. Non solùm.

Non solùm (a) *res in stipulationem deduci possunt, sed etiam facta: vt stipulemur aliquod fieri, vel non fieri. Et in huiusmodi* (b) *stipulationibus optimum erit* (c) *pœnam subijcere, ne quantitas stipulationis* (d) *in incerto sit, ac necesse sit actori probare, quid eius interfit. Itaque si quis,* (e) *vt fiat aliquid, stipuletur: ità adijci pœna debet. Si ità factum non erit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes? Sed si quædam fieri, quædam non fieri, vna eademque conceptione stipuletur: clausula huiusmodi erit adijcienda: Si aduersus ea factum erit, siue quid ita factum non erit: tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes?* 2

a *Non solùm res &c.* Non solùm rem aliquam nobis dari, sed etiam aliquid fieri, vel non fieri, stipulari possumus. Dari: vt, promittis mihi dare fundum, hominem? Fieri: vt promittis mihi ædificare domum? Non fieri: vt, promittis mihi altiùs non tollere ædes tuas. 3

b *Et in huiusmodi stipulationibus.* In eiusmodi stipulationibus, quæ quanti ea res est, promissionem habent, commodius est certam summam comprehendere: quoniam plerumque difficilis probatio est, quanti cuiusque interfit: & ad exiguam summam deducitur, *l. vlt. ff. de Prætor. stipul.*

c *Optimum erit pœnam subijcere.* Quia, pœna adiecta, si non satisfiat stipulationi, pœna peti potest, nec opus est actori probare, quod eius interfit. §. *Alteri, Inst. de inutil. stipul.* 4

d *Ne quantitas stipulationis in incerto sit.* Vbi enim pœna non fuerit adiecta, promissor, qui fidem nō præstat, condemnandus est in id, quod stipulatoris interest, quod est incertum.

e *Si quis, vt fiat aliquid.* At si quis, ne fiat aliquid, stipuletur: ita adijci pœna debet: Si aduersus id factum erit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes? *l. Cùm quid 71. & l. Continuus 137. §. Si, vt aliquid, ff. de verb. oblig.*

De

De duobus (a) reis ſtipulandi, & promittendi.

TITVLVS XVII.

Et ſtipulandi (b) *& promittendi duo pluresue rei fieri poſſunt. Stipulandi ità, Si poſt omnium interrogationem promiſſor* (c) *reſpondeat, ſpondeo: vt puta, cum duobus ſeparatim ſtipulantibus, ità promiſſor reſpondeat, vtrique veſtrum dare ſpondeo. Nàm ſi priùs Titio ſpoponderit, deinde alio interrogante ſpondeat: alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duoi rei ſtipulandi eſſe.: Duo pluresue* (d) *rei promittendi ita fiunt, Mæui quinque aureos dare ſpondes? Sei eoſdem quinque aureos dare ſpondes? Si reſpondeant ſinguli ſeparatim, ſpondeo.*

a *De duobus reis &c.* Quoniam in ſtipulatione, de qua in præcedenti titulo dictum fuit, ſæpè interueniuut duo, pluresue ſtipulatores, qui dicuntur duo rei ſtipulandi, aut duo, pluresue promiſſores, qui dicuntur duo rei promittendi: Ideo ſequitur vt de duobus reis ſtipulandi, & promittendi, videamos. Ad hanc rubricam notandum eſt: Primò quòd rei nomen tractum eſt à re: ideoque rei dicuntur omnes, quorum de re diſceptatur, ſiuè ſint debitores, ſiuè creditores: & debitores dicuntur rei debendi, creditores, rei credendi. Secundò notandum eſt, quòd licèt duo rei credendi, vel debendi conſtituantur non ſolùm per ſtipulationem, ſed etiam per alium quemuis contractum, *l. Eadem 9. ff. de duobus reis*, tamen hoc loco agitur tantùm de duobus reis per ſtipulationrm factis, qui ſpecialiter dicuntur rei ſtipulandi, vel promittendi, *l. 1. ff. de duobus reis*. Tertio notandum eſt, quòd appellatione duorum reorum, non duo tantùm ſignificantur, ſed etiam plures: ſicut nomine ſecundarum nuptiarum, non ſecundas tantùm, ſed etiam vlteriores intelligimus. Quartò notandùm eſt, quòd requiruntur plura ad hoc, vt duo, pluresue rei dicantur. Primò vt ſint creditores, vel debitores eiuſdem rei, vel quantitatis. *l. Cùm duo. 2. l. Eandem 9. l. Si id, quod 15. ff. de duobus reis*. Secundò vt ſint creditores, vel debitores ex vna eademque cauſa. *d. l. Eandem 9.* Tertiò vt quilibet ſit creditor, vel debitor in ſolidum, non pro parte. §. *Ex huiuſmodi, hoc tit. l. Reos 11.* §. *Cùm tabulis ff. eodem*. Quarto vt quilibet principaliter, non

alter accessoriè sit obligatus : principalis enim debitor, & fideiussor, non dicuntur correi.

b *Et stipulandi & promittendi &c.* Qui stipulatur, Reus stipulandi dicitur : Qui promittit, reus promittendi habetur. *l. 1. ff. de duobus reis.*

c *Respondeat.* Simul omnibus.

d *Duo plureſue rei promittendi &c.* Duo rei promittendi, siue ita interrogati, Mæui, & Sei quinque aureos dare spondetis ? respondeant, Spondeo, aut spondemus : siue ita interrogati, Mæui quinque aureos dare spondes ? Sei eosdem quinque aureos dare spondes ? respondeant, spondeo, aut spondemus : rectè obligantur. *Text. hic, iuncta l. duo rei 4. ff. de duob. reis.* 1

Ad §. Ex huiusmodi.

Ex huiusmodi (a) *obligationibus, & stipulationibus solidum singulis debetur, & promittentes singuli* (b) *in solidum tenentur. In vtraque enim obligatione vna res vertitur, & vel alter debitum accipiendo, vel alter soluendo, omnium perimit obligationem, & omnes liberat.* 2

a EX *huiusmodi obligationibus &c. l. 2. & 3. §. Vbi duo ff. de duobus reis, l. 1. & 2. C. eodem.*

b *Et promittentes singuli in solidum tenentur.* Partes autem à singulis peti posse, nequaquam dubium est. *d. l. 3. §. Vbi duo ff. de duobus reis.* Et notate, quod sententia huius nostri Textus emendatur in Nouella 99. Ex ea Nouella duo rei promittendi non tenentur singuli in solidum, nisi nominatim hoc dictum fuerit, vt singuli in solidum tenerentur : quo casu nihilominus, si ambo præsentes sint, & idonei, cogendi sunt ex æquo ad solutionem. *A. Hoc ita C. de duobus reis.* Nisi huic beneficio sit renunciatum. *l. penult. C. de pactis.* 3

Ad §. Ex duobus. 4

Ex duobus (a) *reis promittendi, alius purè,* (b) *alius in diem, vel sub conditione obligari potest : nec impedimento erit dies, aut conditio, quò minus ab eo, qui purè obligatus est, petatur.* (c)

a EX *duobus reis &c. l. Ex duobus 7. ff. de duobus reis.*

b *Alius purè, alius in diem &c.* Quomodo purè, in diem, vel sub

sub conditione quis obligetur. Vide *in tit. de verb. oblig.* §. *Omnis stipulatio, & §. Sub conditione.*

c *Petatur.* Confestim peti potest. Nàm in puris stipulationibus nullum laxamentum datur, à lege nunquam datur, à prætore etiam non datur; si pecunia, vel res promissa sit in promptu, aliàs datur. *Cuiac. ad l. liber homo* 118. §. *Decem hodie, ff. de verb. oblig.* Vide notata supra, *ad* §. *Omnis stipulatio,* In verbo, *Confestim peti potest, de verb. oblig.* 1

De stipulatione (a) seruorum.

TITVLVS XVIII.

Seruus (b) *ex persona domini ius stipulandi habet. Sed & hereditas in plerisque,* (c) *personæ defuncti* (d) *vicem sustinet: ideoque quod* (e) *seruus hereditarius ante aditam hereditatem stipulatur, adquirit heredi tati, ac per hoc* (f) *etiam heredi postea facto adquiritur.* 2

a *De stipulatione seruorum.* Non solùm personæ liberæ, sed etiam serui quandoque stipulantur. Meritò igitur præcedentibus titulis, in quibus dictum fuit de stipulatione liberarum personarum, subiungitur præsens titulus de stipulatione seruorum.

b *Seruus ex persona domini &c.* Serui, cùm personam non habeant, ex persona dominorum suorum æstimantur, & ex illa 3 intelligendum est, stipulari possint, aut non possint. *Theoph. hic.*

c *In plerisque.* Causæ, propter quas Iustinianus, non dixit absolutè hereditatem personæ defuncti vicem sustinere, sed in plerisque, apud Accursium hic relatæ sunt.

d *Personæ defuncti vicem sustinet.* §. *Seruus autem, Inst. de hered. instit. l. hereditas* 34. *ff. de acquir. rer. dom. l. Non minus* 31. *in fine, ff. de hered. instit.*

e *Ideoque, quod seruus hereditarius &c.* Seruus hereditarius & heredi futuro, & hereditati rectè stipulatur. *l. si ex re,* 28. §. *vltimo,* 4 *& l. seruus hereditarius* 35. *ff. de stipul. serv.* Si tamen seruus hereditarius futuro heredi nominatim, veluti, Gaio, dari stipuletur, nihil agit: quia stipulationis tempore Gaius dominus eius non fuit. *l. seruus* 16. *ff. de stipul. serv.* Item, si nominatim, fortè Titio domino suo, mortuo iam, dari stipulatus esset: proculdubio inutiliter esset stipulatus. Quòd si sibi dari stipulatus esset: dicendum:

cendum, hereditati eum adquisisse. *l.Eius, qui in prouincia* 41. §. *Quod si stipulatus ff. de rebus creditis.*

f *Ac per hoc etiam heredi &c. l.*1.§. *Quoties ff. de Iniurijs.*

Ad §. Siue autem.

Siue (a) *autem domino, siue sibi, siue conseruo suo, siue imperſonaliter* (b) *ſeruus ſtipuletur: domino* (c) *adquirit. Idem iuris eſt* (d) *& in liberis, qui in poteſtate patris ſunt, ex quibus cauſis* (e) *adquirere poſſunt.*

1

a *Siue autem domino &c. l. Siue mihi* 15. *ff. de ſtipul. ſeru.*

b *Imperſonaliter.* Simpliciter. *l. ſi ſeruus communis* 18. §.1. *& 2. ff. de ſtipul. ſeru.* Sine adiectione aliqua. *l.*1. *in princ. ff. eodem.*

c *Domino adquirit.* Etiam ignoranti, & inuito. §. *Item nobis, Inſtit. Per quas perſ. nob. adquir.*

d *Idem iuris eſt & in liberis &c.* Siue igitur filiusfamilias ex his cauſis, ex quibus per filium patri adquiritur, ſtipuletur patri, 2
ſiuè ſibi, ſiuè fratri in eiuſdem patris poteſtate exiſtenti, ſiuè imperſonaliter: patri adquirit.

e *Ex quibus cauſis adquirere poſſunt.* Patri per filium adquiritur ex cauſa rei paternæ, & peculij profectitij, & ex cauſa vſusfructus peculij aduentitij. §. *Igitur liberi, Inſtit. per quas perſ. nob. adquir.*

Ad §. Sed cùm factum.

3

Sed cùm factum in ſtipulatione continebitur, omnimodò perſona ſtipulantis continetur: veluti ſi ſeruus ſtipuletur, vt ſibi ire (a) *agere liceat. Ipſe enim tantùm prohiberi non debet, non etiam* (b) *dominus eius.*

a *Vt ſibi ire agere liceat.* Sin autem ſeruus ſtipuletur, vt domino ire agere liceat, acquiret ei, *arg. l. quod dicitur* 230. *ff. de verb. oblig.*

b *Non etiam dominus eius.* Quæ facti ſunt, non tranſeunt ad 4
dominum. *l. Qui heredi* 44. *in princ. ff. de cond. & demonſtr.* Quia facta perſonis cohærent. *l. Si ſtatu libera* 6. §. *vlt. ff. de ſtatu liberis.* Si ergo ſeruus ſtipuletur, vt ſibi ire agere liceat, domino quidem adquiritur obligatio, ſed ſeruus tantùm ire agere poterit, non etiam dominus.

Ad

Ad §. Seruus communis.

Seruus (a) *communis stipulando, vnicuique dominorum pro portione* (b) *dominij adquirit, nisi iussu vnius eorum, aut nominatim cui eorum stipulatus est: tunc enim ei* (c) *soli adquirit. Quod seruus* (d) *communis stipulatur, si alteri ex dominis adquiri non potest: solidum* (e) *alteri adquiritur: veluti si* (f) *res, quam dari stipulatus est, vnius domini sit.* 1

a *Seruus communis &c. l. Seruus communis 5. ff. de stipul. seru.* *Pro portione dominij adquirit.* Adquirit omnibus pro parte, qua dominium in eo habent. *d. l. Seruus communis 5. ff. de stipul. seru.* Si tamen communis seruus ità stipularetur, Titio, & Seio dare spondes? qui sunt domini illius: pro virilibus partibus eis ex stipulatione debetur. Idem est dicendum, si ita stipularetur, Titio, & Seio dominis meis dare spondes? Si verò ita, Dominis meis dare spondes? vel ita, Dominis meis Titio, & Seio dare spondes? pro parte, qua domini essent, eis ex stipulatione debetur. *l. Si communis seruus 37. ff. de stipul. seru.* Idem est dicendum, si aut sibi, aut seruo communi, aut simpliciter stipularetur. *Baro. & Cuiac. hic.* 2

c *Tunc enim ei soli adquiritur.* Cùm seruum communem vnus ex dominis suo nomine iubet stipulari, plus valet iussum, quàm nomen. Cùm verò seruum communem simpliciter iubet stipulari, plus valet nomen, quàm iussum. Atque ita rectè Azo accipiendam censet. *l. vlt. C. Per quas person. nob. adquir. Cuiac. & Pac. hic.* 3

d *Quod seruus communis &c. l. Proinde 7. §. Interdum ff. de stipul. seru.*

c *Solidum alteri adquiritur.* Quia persona serui communis eius conditionis est, vt in eo, quod alter ex dominis potest adquirere, alter non potest, perinde habeatur, ac si eius solius esset, qui adquirendi facultatem habet. *l. 1. §. Communis seruus ff. de stipul. seru.*

f *Veluti si res &c. Vlpianus in l. Item si 9. ff. de stipul. seru.* Si seruus duorum Titij & Mœuij, hominem, qui Titij erat, stipulatus fuerit: ei soli adquiret, cuius non fuit. 4

De

De diuisione (a) stipulationum.

TITVLVS XIX.

Stipulationum (b) *aliæ sunt iudiciales, aliæ prætoriæ, aliæ conuentionales, aliæ communes tàm prætoriæ, quàm iudiciales.*

a *DE diuisione stipulationum.* Declaratis quibusdam qualitatibus stipulationum, venit Imperator ad diuisionem earumdem. c

b *Stipulationum aliæ &c.* Hic titulus descriptus est ex *l. Stipulationum 5. ff. de verb. oblig.*

Ad §. Iudiciales.

2

Iudicioles (a) *sunt dumtaxat, quæ à mero iudicis officio proficiscuntur, veluti de dolo* (b) *cautio, vel de persequendo* (c) *seruo, qui in fuga est, restituendone pretio.*

a *IVdiciales sunt &c.* Iudiciales stipulationes sunt, quæ à mero iudicis officio proficiscuntur. Hoc est, quæ neque iussu prætoris, neque conuentione partium, sed solius Iudicis iussu interponuntur. Iudex hic iudicem datum significat, qui aliàs pedaneus iudex dicitur. *l. prætor 4. ff. de tut. & cur. dat. &c.* & 3
nonnumquam specialis iudex. *l. Præses prouinciæ 5. ff. de offic. præsid.*

b *Veluti de dolo cautio.* Nàm Iudex, qui rem restituere iubet, curat vt & is, qui restituit, de dolo malo repromittat, ideſt, nihil se in ea re dolo malo feciſſe. *l. Metum autem 9. §. Item Iulianus, & §. Ex hoc, ff. de eo, quod met. cauſ.*

c *Vel de persequendo seruo &c.* Huius cautionis exemplum est, si seruus legatus in fuga sit, sine culpa heredis: tunc enim heres non cogitur eius serui æstimationem præstare, Cauere tamen 4
debet, se viri boni arbitratu eum seruum requisiturum, & si nactus fuerit, legatario restituturum, *l. Cùm res legata 49. §. Itaque, & l. seruo legato 72. §. vlt. ff. de legat. 1.*

Ad

Ad §. Prætoriæ.

Prætoriæ (a) *sunt, quæ à mero Prætoris officio proficiscuntur, veluti damni* (b) *infecti, vel legatorum.* (c) *Prætorias autem stipulationes sic exaudiri oportet, vt in his contineantur etiam* (d) *ædilitiæ. Nàm & hæ à iurisdictione* (e) *veniunt.*

1 PRætoriæ *sunt &c.* Prætoriæ stipulationes sunt, quæ à mero Prætoris officio proficiscuntur. Hoc est, quæ neque iussit Iudicis, neque conuentione partium, sed solius Prætoris iussit interponuntur.

b *Veluti damni infecti.* De hac stipulatione agitur in titulo *ff. de damno infecto*, & ei locus est, cùm vicini ædes minantur ruinam: tunc enim vicinus, qui possidet ædes ruinosas, vicino, cui ex earum ruina imminet periculum, cauere cogitur de damno infecto, ideſt, promittere se damnum resarciturum, 2 si ædes collapsæ vicino damnum dederint. Stipulatio igitur damni infecti est stipulatio damni nondum facti, quod futurum veremur. *l. 2. ff. de damno infecto.*

c *Vel legatorum.* De hac stipulatione tractatur in titulo *ff. Vt legat. seu fideicom. serv. caus. cau.* Et ei locus est, cùm legata in diem, vel sub conditione relicta sunt: tunc enim quia heres, antequam dies veniat, vel conditio existat, non cogitur legata præstare: & interim potest desinere esse soluendo, idcircò prætor iubet heredem legatarijs cauere se legata præstaturum, 3 cùm dies venerit, aut conditio extiterit.

d *Vt in his contineantur etiam ædilitiæ.* Ædilitiæ stipulationes solo ædilium iussu interponuntur: Hæ sunt, quæ de morbis, vitijsque venditarum rerum interponuntur. Et quia tàm ædilitiæ stipulationes, quàm prætoriæ sunt honorariæ, quippe quæ iussu eorum interponuntur, qui honores, ideſt, magistratus, gerunt: plures verò sunt prætoriæ, quàm ædilitiæ: idcircò sumpta appellatione à maiori parte, omnes vocantur prætoriæ. Notatur *in Addit. ad Pac. hic in Select.* 4

e *A Iurisdictione veniunt.* In alijs libris legitur: A iurisdictione Prætoris veniunt. Sed vox illa, Prætoris, delenda est authore *Pomponio in l. stipulationum 5. ff. de verb. oblig.*

Ad §. Conuentionales.

Conuentionales (a) *sunt, quæ ex conuentione vtriusque partis concipiuntur: hoc est, neque iussu Iudicis, neque iussu prætoris, sed ex conuentione contrahentium, quarum totidem genera sunt, quot, penè dixerim,* (b) *rerum contrahendarum.* 1

a *Conuentionales sunt &c.* Conuentionales stipulationes sunt, a quæ ex conuentione vtriusque partis concipiuntur: hoc est, quæ neque iussu iudicis, neque iussu prætoris, sed ex sola conuentione ipsorum contrahentium interponuntur.

b *Quot penè dixerim rerum contrahendarum.* Cùm enim obligationum firmandarum gratia stipulationes inductæ sint. *Paulus Recept. Sent. lib. 5. tit. 7. in princ.* Nullum geritur negotium, cuius confirmandi causa stipulatio adhiberi non soleat. 2

Ad §. Communes.

Communes (a) *stipulationes sunt, veluti rem* (b) *saluam fore pupilli: nàm & prætor iubet rem saluam fore pupillo cauere: & interdum Iudex, si aliter expediri hæc res non potest, vel de rato* (c) *stipulatio.*

a *Communes stipulationes &c.* Communes stipulationes sunt, quæ modò Iudicis, modò Prætoris iussu interponuntur. 3

b *Veluti rem saluam fore pupilli.* Nàm Prætor tutorem datis fideiussoribus cauere iubet, rem pupilli saluam fore. Quòd si fortè ante satisdationem tutor debitorem pupilli conueniat, atque is neque respondere velit, neque iudicium suscipere, quòd nondum tutorem dicat satisdedisse, Iudex, ad quem in Ius additum est, iubet tutori, vt debitori pupilli satisdet, rem pupilli saluam fore: quoniam aliter Iudicium procedere non potest. *Theoph. hic.*

c *Vel de rato stipulatio.* Nam Prætor eum, qui alienò nomine 4 agit, si de mandato dubitetur, satisdationem præstare iubet, rem ratam dominum habiturum. Quòd si fortè aliquis tanquam mandatum habens, mecum agat: quoniam dubitatione de mandato interiecta, iudicium procedere non potest: Iudex actorem iubet repromittere, ratam rem dominum habiturum. *Ex eodem Theoph.*

De

De inutilibus (a) stipulationibus.

TITVLVS XX.

Omnis res, (b) *quæ domino nostro subijcitur, in stipulationem deduci potest: sive illa mobilis, sive soli sit.* 1

a *De Inutilibus stipulationibus.* Multis modis contingit stipulationes inutiles esse: meritò igitur præcedentibus titulis, in quibus dictum est de varijs qualitatibus stipulationum, & de diuisione earundem, præsens titulus de Inutilibus stipulationibus subiungitur.

b *Omnis res &c.* Et non solùm res in stipulatum deduci possunt sed etiam facta. *princ.tit.& §.vlt. de verb.oblig.*

Ad §. At si quis. 2

At si quis (a) *rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat: aut* (b) *hippocentaurum, qui esse non possit: inutilis erit stipulatio.*

a *At si quis rem &c.* Si quis rem, quæ in rerum natura non est, ideſt, quæ fuit quidem, sed è rebus humanis sublata est, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat: aut si quis rem, quæ in rerum natura esse non potest, ideſt, quæ nec fuit, nec est nec erit, dari stipulatus fuerit: veluti hippocentaurum, inutilis erit stipulatio. Res verò, quæ nondum sunt, sed futuræ sperantur, vt futuri fructus, rectè in stipulationem deducuntur. *l.interdum 73.in princ.ff. de verb. oblig.* 3

b *Aut hippocentaurum, qui esse non possit. Plinius tamen Natural. Histor. lib.7.cap.3.* affirmat se vidisse hippocentaurum in melle allatum Claudio Cæsari ex Aegypto. 4

Ad §. Idem iuris est.

Idem iuris est, (a) *si rem sacram aut religiosam, quam humani iuris esse credebat: vel publicam: quæ vsibus populi perpetuò exposita sit,*

vt forum, vel theatrum, vel liberum (b) *hominem, quem seruum esse credebat, vel cuius* (c) *commercium non habuerit, vel rem* (d) *suam dari quis stipuletur. Nec in pendenti erit stipulatio ob id, quod publica res in priuatum deduci, & ex libero seruus fieri potest, & commercium adipisci stipulator potest & res stipulatoris esse desinere potest: sed protinus inutilis est. Item contrà,* (e) *licet initio vtiliter res in stipulatum deducta sit: si posteà in earum qua causa, de quibus supra dictum est, sine facto* (f) *promissoris deuenerit,* 1
extinguitur (g) *stipulatio. At nec statim ab initio talis stipulatio valebit, Lucium Titium*; (h) *cum seruus erit, dare spondes? & similia*: (i) *quia quæ naturæ sui dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt.*

a IDem iuris est si rem sacram &c. *l. Inter stipulantem* 83. §. *Sacram ff. de verb. oblig.*

b *Vel liberum hominem.* Liber homo in stipulatum deduci non potest: quia nec dari oportere intendi, nec æstimatio eius 2
præstari potest *l. liber homo* 103. *ff. de verb. oblig.*

c *Vel cuius commercium non habuerit.* Sunt enim res quædam, quarum nonquiuis iustum habeat commercium, veluti prædium, quod orthodoxa Ecclesia habet, hæreticus comparare non potest *Theoph. hic.* Multum tamen interest vtrum ego stipuler rem, cuius commercium habere non possum: an quis promittat. Si stipuler rem cuius commercium non habeo: inutilem esse stipulationem placet, si quis promittat, cuius commercium non habet: ipsi nocere, non mihi. *l. multum interest.* 34. *ff. de Verb. oblig.* 3

d *Vel rem suam dari* Nec enim quod nostrum est, id nobis dari potest, scilicet: quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat, nec res, quæ iam nostra est magis nostra fieri potest. §. *Sic itaque, Inst. de Actionibus.* Nec minus inutilis est stipulatio, si quis rem suam, ignorans suam esse, stipulatus fuerit. *l. 1. §. nec minus ff. de act. & oblig.* Potest tamen quis stipulari pretium rei suæ, vel rem suam sibi restitui. *l. Nemo* 82. *ff. de verb. oblig.* Et etiam si rem meam sub conditione stipu- 4
ler: vtilis stipulatio est, si conditionis existentis tempore mea non sit. *l. Si rem meam* 31. *ff. de Verb oblig.*

e *Item contrà, licet ab initio vtiliter &c. Paulus in l. Inter stipulantem* 83. §. *Sacram ff. de verb. oblig.* Cum quis rem profanam, aut Stichum dare promisit, liberatur, si sine facto eius res sacra esse cæperit, aut Stichus ad libertatem peruenerit: nec reuocantur

cantur in obligationem, si rursus lege aliqua, & res sacra profana esse cœperit, & Stichus ex libero seruus effectus sit.

f *Sine facto promissoris.* Sine dolo, aut culpa, vel mora promissoris. *l. Is, qui alienum* 51. *& l. si seruum* 91. *ff. de verb. oblig.*

g *Extinguitur stipulatio* Quoniam ad eum casum peruenit, à quo incipere non poterat *Theoph. hic. l. Existimo* 98. *in fine princ. ff. de Verb. oblig.*

h *Lucium Titium, cum seruus erit &c.* Casum, aduersamque fortunam expectari hominis liberi, neque ciuile neque naturale est. *l. Inter stipulantem* 83. *§. Sacram ff. de verb. oblig.* 1

i *Et similia.* Puta, Eum locum, cum ex sacro, religiosoue profanus esse cœperit, dare spondes? *d. l. Inter stipulantem* 83. *§. Sacram ff. de verb. oblig.*

Ad §. Si quis alium.

Si quis alium (a) *daturum facturumue* (b) *quid spoponderit, non* (c) *obligabitur: veluti si spondeat Titium* (d) *quinque aureos daturum. Quod si effecturum se vt Titius daret, spoponderit, obligatur* (e). 2

a *Si quis alium daturum.* Veluti si quis spondeat Titium quinque aureos daturum.

b *Facturumue.* Veluti si quis spoudeat Titium domum ædificaturum,

c *Non obligabitur.* Nam de se quenque promittere oportet. *l. Inter stipulanten* 83. *in princ. ff. de verb. oblig.* 3

d *Quod si effecturum se &c.* Hoc casu de se promittit, non de alio.

e *Obligatur.* Hoc est, ipse tenetur dare, quod promisit, se effecturum, vt Titius daret, si Titius non dederit. *B. hic.*

Ad §. Si quis alij.

Si quis (a) *alij, quam cuius iuri subiectus sit, stipuletur, nihil agit. Planè solutio etiam in extraneam personam conferri potest: veluti si quis ita stipuletur. Mihi* (b) *aut Seio dare spondes? vt obligatio quidem stipulatori* (c) *adquiratur, solui tamen* (d) *Seio, etiam* (e) *inuito eo, recte possit, vt liberatio ipso iure contingat: sed ille aduersus Seium habeat* (f) *mandati actionem: Quod si quis sibi,* (g) *& alij, cuius iuri subiectus non sit, dari decem aureos stipulatus est: valebit quidem stipulatio, Sed vtrum totum debeatur, quod in stipu-* 4

ſtipulationem deductum eſt, an verò pars dimidia, dubitatum eſt. Sed placet, non plus quam dimidiam (h) *partem ei adquiri. Ei, qui iuri tuo ſubiectus eſt, ſi ſtipulatus ſis, tibi* (i) *adquiris, quia vox tua* (k) *tanquam filij ſit, ſicuti filij vox tamquam tua intelligitur in ijs rebus, quæ tibi aquiri poſſunt.*

a *Si quis alij &c.* Inutilis eſt ſtipulatio ſi quis ſtipuletur extraneo, ideſt, ei, cuius iuri ſubiectus non eſt, *vt in princ. huius* §. & quem ſuo iuri ſubiectum non habet, *vt in fine eiuſdem* §. Inuentæ enim ſunt huiuſmodi obligationes ad hoc, vt vnuſquiſque ſibi adquirat quod ſua intereſt: cæterum vt alij detur, nihil intereſt ſtipulatoris, §. *Alteri. hoc titulo*. Quandoque, tamen ſtipulatoris intereſt alteri ſtipulari, & conſequenter in his caſibus valet ſtipulatio vt videbimus ad §. *Sed & ſi quis, hoc tit.* 1

b *Mihi aut Seio.* Non contrà, Seio aut mihi. *l. Caius Seius 46. ff. Sol. mat.* 2

c *Stipulatori.* Soli ſtipulatori. Et conſequenter ipſe ſolus ex ea ſtipulatione agere poteſt. Adiectus non habet petitionem, tametſi ſolui ei poſſit, *l. Sed & ſi 7. in fine ff. de conſtit. pecun.*

d *Solui tamen Seio.* Ante litem conteſtatam. *l. ſi quis ſtipulatus 57. ff. de ſolut. & liber.* Et ſoli Seio, non etiam ſucceſſoribus eius rectè ſoluitur *l. Cum quis 55. de verb. oblig.* Imò ita demum rectè Seio ſolui dicendum eſt, ſi in eodem ſtatu maneat, quo fuit, cum ſtipulatio interponeretur. Cæterùm, ſiue maxima, ſiue media, ſiue minima capitis deminutione plectatur, non rectè ei ſolui dicendum. Tacitè enim hæc conuentio ineſſe ſtipulationi videtur, ſi in eadem cauſa maneat, *l. Cum quis 38. in princ. ff. de ſolut. & liber.* Hunc Seium Iuriſconſulti Adiectum appellant, *l. Si ita ſtipulatus 59. ff. de Solut. & liber.* 3

e *Etiam inuito eo.* Etiam inuito ſtipulatore. Ideòque etſi ſtipulator prohibeat me Seio ſoluere, ſoluendo tamen liberabor: quia certam conditionem habuit ſtipulatio. quam immutare non potuit ſtipulator, *l. vero procuratori 12. §. Sed etſi quis ff. de ſolut. & liber.* quin etiam, ſi ita ſtipulatus ſim, mihi, aut Seio dare ſpondes? & debitor conſtituerit ſe mihi ſoluturum, quamuis mihi competat de conſtituta actio, poteſt adhuc adiecto ſoluere, *l. Si ita ſtipulatus 59. ff. de ſolut. & liber.* 4

e *Habeat mandati actionem.* Ad repetendum quod Seio ſolutum eſt: *l. Iulianus 131. §. Qui fundum, ff. de Verb. oblig.* Id enim

Seius

Seius mandato ſtipulatoris à promiſsore accepiſse intelligitur. In hoc tamen à mandato nudo differt hæc ſtipulatio, quod mandatum reuocari poteſt, huius ſtipulationis conditionem, inuito promiſsore, immutare non poteſt ſtipulator *l. vero procuratori* 12. §. *Sed etſi quis*, *l. Aliud eſt* 106. *ff. de ſolut. & liber.*

g *Quod ſi quis ſibi & alij*. Cum ſtipulor mihi aut Seio, Seius ſolutioni adiectus eſt, *tex. in hoc* §. *in verſ. Plane*. Cum ſtipulor 1
mihi & Seio, Seius eſt adiectus obligationi, & ideo pro mea duntaxat parte valet ſtipulatio, vt hic. Quod ſi res, quam mihi & Scio ſtipulatus ſum, diuidi non poſſit, circumſcripta perſona Scij, mihi ſolidum deberi verius eſt,

h *Non plus, quàm dimidiam partem*. *l. Si mihi, & Titio* 110. *ff. de verb. oblig.*

i *Tibi adquiris*. Quod dicitur, Patrem filio vtiliter ſtipulari, quaſi ſibi ille ſtipuletur: hoc in ijs verum eſt, quæ iuris ſunt, quæque adquiri patri poſsunt, alioquin ſi factum conferatur 2
in perſonam filij, inutilis erit ſtipulatio, veluti vt tenere ei, vel ire agere liceat. Contrà autem filius etiam vt ire agere patri liceat ſtipulando acquiret ei. imò & quod in ſuam perſonam conferre non poteſt, hoc patri adquiret *l. Quod dicitur* 130. *ff. de verb. oblig.* Pater igitur ita demum filio ſtipulando ſibi adquirit, ſi ius in ſtipulatione verſetur, non factum, vt ſi pater filio ſtipuletur dari in ijs rebus: quæ patri adquiri poſsunt. Patri autem per filium aquiritur ex cauſa rei paternæ, & peculij profectitij, & ex cauſa vſusfructus peculij aduentitij. §. *Igitur liberi*, *Inſt. Per quas perſ. nob. adquir.* Ideoque pater ex ijs 3
cauſis ſtipulando filio dari, ſibi adquirit, ſed ſi ſtipuletur filio dari ex cauſa caſtrenſi, quaſi caſtrenſi, aut proprietatis aduentitiorum, non ſibi, ſed filio adquirit. Et eſt notandum, quod ſi pater, ex ijs rebus, quæ ſibi adquiri poſsunt, ſoli filio ſuo, qui in poteſtate ſua ſit, dari ſtipulatus ſit, non rectè filio ſoluetur: quia filij perſona obligationi magis, quam ſolutioni applicatur. Si vero ſibi, aut filio ſuo dari ſtipulatur, manifeſtè perſonam filij in hoc complectitur, 4
vt ei rectè ſoluatur, *l. Eum qui ita* 56. §. *Qui ſibi ff. de Verb. oblig.*

k *Quia vox tua tanquam filij ſit &c.* Et patris vox, vox filij, & viciſſim vox filij in ijs rebus, quæ patri adquiri poſsunt, vox patris eſse iudicatur. Quod tamen de filijs familias intelligendum eſse conſtat ex textu noſtro ibi: qui iuri tuo ſubiectus eſt.

Ad

Ad §. Prætereà.

Prætereà (a) *inutilis est stipulatio, si quis ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat: veluti si decem* (b) *aureos à te dari stipuletur, tu quinque promittas, vel contrà: aut si ille purè* (c) *stipuletur, tu sub conditione promittas, vel contrà: si modo scilicet id exprimas, 1*
ideſt, si cui sub conditione, vel in diem stipulanti, tu respondeas: Præsenti die spondeo. Nàm si hoc solùm respondeas: Promitto, breuiter videris in eandem diem, vel conditionem spopondisse. Neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit.

a P*Ræterea inutilis &c.* Inutilis est stipulatio, si quis ad ea quæ interrogatus fuerit, congruenter non respondeat. *tex. & Theoph. hic.* Nisi stipulatori diuersitas responsionis illicò placuerit: tunc enim alia stipulatio contracta esse videtur. *l.* 1. §. *Cum adjicitur ff. de Verb. oblig.* Ità tamen hoc casu vtilis erit stipulatio, vt ne plus quisquam alium sibi obliget, quàm interrogauerit, & ex diuerso, vt ne plus quisquam obligetur, quàm responderit. V. g. Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, quamuis mihi stipulatori diuersitas responsionis illicò placuerit, non tamen contracta erit obligatio, nisi in decem, ne plus promissor mihi obligetur, quàm interrogauerim. Et ex contrario, si me viginti interrogante, tu decem respondeas, quamuis mihi stipulatori diuersitas responsionis illicò placuerit, non tamen obligatio, nisi in decem, erit contracta, ne plus promissor obligetur, quàm responderit, *dicta l.* 1. §. *Cum adjicitur, & §. Si stipulanti ff. de verb. oblig.* Illud notandum est: ad validitatem stipulationis satis non esse placere stipulatori diuersitatem responsionis, nisi responsio in interrogatione, aut viciſſim hæc in illa insit. Vnde, etsi ei, qui purè stipulatus est, placeat statim conditionalis responsio, vel ex contrario, ei, qui sub conditione stipulatus est, placeat illicò responsio pura, non ideo magis vtilis stipulatio est: quia simplici enunciationi conditionalis, aut conditionali simplex nulla ineſt. Idem dicendum est, si stipulanti intra Kalendas quintas, placeat responsio Idibus. *Cuiac. in Notis ad hunc §. nostrum, & ad dictam l.* 1. §. *Si quis simpliciter, & §. Si stipulanti ff. de Verb. oblig.* 2 3 4

b *Veluti si decem aureos &c.* Si creditor decem solidos debitorem

rem interroget, & debitor quinque promittat: hoc ordine integrum debitum vacillare cognoscitur. *Gaius lib.2. Inst. tit. de Obligat.* §. *Prætereà inutilis*.

c *Aut si ille purè stipuletur &c. Vlpianus in l.1.* §. *Si quis simpliciter ff. de Verb. oblig.* Si quis simpliciter interrogatus fuerit, & ille sub conditione responderit, Si illud factum erit, dabo: non obligari eum constat. aut si ita interrogatus, Intra Kalendas quintas? responderit, Dabo Idibus, æquè non obligatur. Non 1
enim sic respondit, vti interrogatus est. Et versa vice, si interrogatus sub conditione, responderit purè: dicendum erit, eum non obligari.

Ad §. Item inutilis.

Item (a) *inutilis est stipulatio, si vel ab eo stipuleris, qui tuo iuri subiectus est, vel si is à te stipuletur: Sed seruus quidem non solùm domino suo obligari* (b) *non potest, sed ne alij quidem vlli: filij verò* 2
familias alijs obligari (c) *possunt.*

a ITem inutilis &c. Inutilis est stipulatio, si vel ab eo stipuleris, qui in tua potestate est, vel si is à te stipuletur. In his tamen bonis, in quibus filiusfamilias habetur pro patre familias, posset stipulatio fieri inter patrem & filium, puta super castrensi, vel quasi castrensi peculio. *Mynsi. hic sub num.3.*

b *Obligari non potest.* Serui ex contractibus ciuiliter quidem non obligantur, sed naturaliter obligantur. *l. Serui 13. ff. de* 3
oblig. & act. Nàm, quod attinet ad Ius Ciuile, serui pro nullis habentur: non tamen & iure naturali: quia, quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales sunt, *l. Quod attinet 33. ff. de reg. iur.*

c *Obligari possunt. Gaius in l. filiusfamilias 38. ff. de oblig. & act.* Filiusfamilias ex omnibus causis, tamquàm paterfamilias, obligatur: & ob id agi cum eo, tamquàm cum patrefamilias, po- 4
test. Placuit tamen Senatusconsulto Macedoniano, ne ei, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, actio, petitioque daretur, *l.1. ff. Ad Senat. Conf. Maced.* Qua de re plenius videbimus infrà ad §. *Illud propriè*, Quod cum eo, qui in aliena potestate est &c.

Ad §. Mutum.

Mutum (a) *neque stipulari, neque promittere posse, palàm est, quod & in* (b) *surdo receptum est, quia & is, qui stipulatur, verba promittentis, & is, qui promittit, verba stipulantis audire debet. Vnde apparet, non de eo nos loqui, qui tardiùs exaudit: sed de eo, qui omninò non audit.* 1

a MVtum neque stipulari &c. Stipulatio non potest confici, nisi vtroque loquente. Et ideò mutus stipulationem contrahere non potest. *l.1. in princ. ff. de Verb. oblig.* Et mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur. §. *Item surdus, Inst. Quib. non est permis. fac. test.*

b *Quod & in surdo &c. l.1. §. vlt. ff. de act. & oblig. & d. l.1. in princ. ff. de verb. oblig.* 2

Ad §. Furiosus.

Furiosus (a) *nullum negotium gerere potest: quia non intelligit quæ agit.*

a FVriosus &c. Furiosus nullum negotium contrahere potest. *l. In negotijs 5. ff. de reg. iur.* Quia non intelligit, quod agit seù, vt loquitur Theophilus hoc eodem loco, Quia nullum eorum, quæ geruntur, intellectum habet: animi enim affectione caret. Porrò mater contractuum est ipsa animi affectio. Furiosum ergo, siue stipuletur, siue promittat, nihil agere natura manifestum est. *l.1. §. vlt. ff. de act. & oblig.* 3

Ad §. Pupillus.

Pupillus (a) *omne negotium* (b) *rectè gerit: vt tamen ſicubi tutoris auctoritas necessaria sit, adhibeatur tutor: veluti si ipse* (c) *obligetur. Nàm alium sibi obligare etiam sine tutoris auctoritate potest.* 4

a PVpillus &c. Pupillus omnia tutore auctore agere potest. *l. In negotijs 5. ff. de reg. iur.*

Omne negotium. Omne negotium inter viuos, non negotium vltimi temporis. §. *Præterea, Inst. Quibus non est permis. fac. test.*

Veluti si ipse obligetur &c. Si pupillus obligetur, tutoris auctoritas necessaria est, alium autem sibi obligare etiam sine tutoris

ris auctoritate potest. Namque placuit meliorem quidem suam conditionem licere pupillis facere, etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem verò non aliter, quàm tutoris auctoritate. Si quid ergo dari sibi stipulentur pupilli: non est necessaria tutoris auctoritas, quòd si alijs promittant, necessaria est. *princ. tit. Instit. de auct. tut.*

Ad §. Sed quod diximus. 1

Sed quod diximus de pupillis, vtique de ijs verum est, qui iam aliquem intellectum habent: nam infans, (a) *& qui infanti proximus est, non multum à furioso distant: quia huius ætatis pupilli nullum habent intellectum, sed in proximis infanti, propter vtilitatem* (b) *eorum benignior* (c) *iuris interpretatio facta est: vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi. Sed qui in potestate parentis est impubes, nec auctore quidem patre* (d) *obligatur.* 2

a NAM *infans, & qui infanti proximus est.* Infans ex eo appellatur, quòd fari non possit. Est autem receptum vt nec fari quis posse videatur ante septimum annum, quoniam etsi ante septimum annum pueri loquantur, non tamen intelligunt ante quid loquantur, & ideo infans in iure ciuili est is qui minor septennio est, *l.* 1. §. 1. *ff. de adminst. tut. l. Si infanti* 18. *C. de Iur. delib.* Proximus infanti est, qui egressus est infantiam, & qui linguæ gnarus, rerum adhuc ignarus est. Proximus pubertati, qui nondum ingressus est pubertatem, sed propè eam est 3
tamen, ita vt annale tantummodo, vel semestre tempus reliquum sit. *Cuiac. hic.* Accursius tamen septem annos, qui inter infantiam & pubertatem intersunt, sic diuidit, vt tres proximos cum sex mensibus proximitati infantiæ, reliquos pubertatis proximitati attribuat.

b *Propter vtilitatem eorum. l. Seruum 6. ff. Rem pup. sal. for.*

c *Benignior iuris interpretatio. l.* 1. §. *Huic proximus ff. de act. & oblig.*

d *Ne auctore quidem patre obligatur. l. Vltima.* §. *Pupillus ff. de Verb.* 4
oblig. Et ratio quare impubes patre auctore non possit obligari: tutore verò auctore possit, est quia pupillus aduersus tutorem habet actionem tutelæ ob rem malè gestam. Filio autem aduersus patrem nulla est actio prodita ob rem minus benè gestam. *glossa, & Mynsing. hic.*

Ad §. Si impossibilis.

Si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur, nihil valet (a) *stipulatio. Impossibilis* (b) *autem conditio habetur, cui natura* (c) *impedimento est, quo minùs existat: veluti si quis ita dixerit: Si digito* (d) *Cælum attigero, dare spondes? At si ita stipuletur, si digito Cælum non attigero, dare spondes? purè obligatio facta intelligitur: ideoque statim petere potest.* 1

a *Nihil valet stipulatio.* Et nonsolùm stipulationes, impossibili conditioni applicatæ, nullius momenti sunt, sed etiam cæteri quoque contractus: veluti emptiones, locationes, impossibili conditione interposita, æquè nullius momenti sunt: quia in ea re, quæ ex duorum, pluriumue consensu agitur, omnium voluntas spectatur: quorum proculdubio in huiusmodi actu talis cogitatio est, vt nihil agi existiment, apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. *l. Nonsolùm 30. ff. de act: & oblig.* In institutionibus verò, & legatis, nec non in fideicommissis & libertatibus, impossibilis conditio pro non scripta habetur, & quasi mendum testatoris esse existimatur. *§. Impossibilis, Instit. de hered. instit. iuncta l. 1. ff. de condit. instit.* 2

b *Impossibilis autem conditio habetur &c.* Pro impossibili etiam habetur conditio, quæ est contra ius, vel bonos mores: veluti, si centum sibi dari aliquis stipuletur, si sororem naturalem, vel adoptiuam in vxorem duxerit. *l. Si stipuler 35. ff. de Verb. oblig.* aut si quis sub hac conditione stipulatus sit, si rem sacram, aut religiosam Titius vendiderit, vel forum, aut basilicam, & huiusmodi res, quæ publicis vsibus in perpetuum relictæ sint. *l. continuus 137. §. Cùm quis ff. de Verb. oblig.* 3

c *Cui natura impedimento est.* Et ideo, si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur, ex huiusmodi stipulatione, nec naturalis quidem obligatio nascitur *l. Si sub impossibili 30. ff. de fideiuss. l. Impossibilium 145. ff. de reg. iur.*

d *Si digito Cælum attigero &c.* Impossibilis conditio, cùm in faciendo concipitur, stipulationibus obstat: veluti si quis ita dixerit: Si digito Cælum attigero, dare spondes. Qui verò, si quod impossibile est non fiat, stipulatur, purè stipulatus intelligitur: ideoque statim petere potest: veluti si quis ita stipuletur, Si digito Cælum non attigero, dare spondes? *tex. hic, l. Impossibilis 7. l. In illa 8. in fine ff. de verb. oblig.* Secus tamen est, si 4

quis

quis stipuletur, si quod iure pro impossibili habetur non fiat: veluti, si quis à me stipuletur centum, si hominem non occiderit. Tunc enim stipulatio non valet, quia continet turpitudinem. Nàm turpe est aliquem capere pecuniam, ne malesicium committat.

Ad §. Item verborum obligatio.

1

Item verborum (a) *obligatio inter absentes concepta, inutilis est. Sed cum hoc materiam litium contentiosis hominibus præstabat, fortè post tempus tales allegationes opponentibus, & non præsentes esse, vel se, vel aduersarios suos contendentibus, ideò nostra* (b) *Constitutio propter celeritatem dirimendarum litium introducta est, quam ad Cæsarienses* (c) *aduocatos scripsimus: per quam disposuimus, tales scripturas, quæ præstò esse partes indicant, omnimodò esse credendas: nisi ipse, qui talibus vtitur improbis allegationibus, manifestissimis probationibus, vel per scripturam, vel per testes* (d) *idoneos approbauerit in ipso toto die, quo conficiebatur instrumentum, sese vel aduersarium suum in alijs locis fuisse.* 2

a *Item verborum obligatio &c.* Verborum obligatio inter absens concepta, inutilis est. *l. 3. C. de inutil. stipul. Paul. Recept. sentent. lib. 5. tit. 7. §. Verborum obligatio.* Neque enim stipulatio potest confici, nisi vtroque loquente, & inuicem exaudiente. *l. 1. in princ. ff. de Verb. oblig.* Et in eo differt ab alijs contractibus, qui & inter absentes contrahi possunt. *l. 1. §. vlt. ff. de contrahenda empt.* & infrà in *tit. de oblig. ex consen.* Ea verò, quæ sententiæ huius nostri §. aduersari videntur, rectè dissoluit Accursius hoc eodem loco. 3

b *Nostra Constitutio.* Hæc est Constitutio *l. Optimam quæstionem 14. C. de contrahen. & committ. stip.*

c *Quam ad Cæsarienses aduocatos.* Vide notata suprà ad §. *vlt. Quib. alien. lic. vel non.* In verbo, *Quam ad Cæsarienses aduocatos.*

d *Vel per testes idoneos.* Per testes vndique idoneos & omni exceptione maiores. *d. l. Optimam quæstionem 14.* 4

Ad §. Post mortem.

Post mortem (a) *suam dari sibi nemo stipulari poterat: non magis, quàm post eius mortem, à quo stipulabatur. Ac nec is,* (b) *qui in alicuius potestate est, post mortem eius stipulari poterat; quia patris vel domini*

mini voce loqui videtur. Sed & si quis ita stipuletur, Pridie (c) *quàm moriar, vel pridie quàm morieris, dari? Inutilis erat stipulatio. Sed cum* (*vt iam* (d) *dictum est*) *ex consensu contrahentium stipulationes valeant: placuit* (e) *nobis, etiam in hunc iuris articulum, necessariam inducere emendationem: vt sive post mortem, sive pridie, quàm morietur stipulator, sive promissor, stipulatio concepta est, valeat stipulatio.* 1

a POST *mortem suam &c.* Olim post suam, vel promissoris mortem dari sibi nemo stipulari poterat propter antiquam Iuris Regulam, quæ vetabat incipere actionem ab herede, vel contra heredem, quæ non cæpisset à defuncto, vel contra defunctum *l. vlt. C. Theodos. de diuers. rescript.* Sed cum ex consensu contrahentium stipulationes valeant: Iustinianus has stipulationes, & alias omnes, quæ hic in textu numerantur, comprobauit, *tex. hic, l. Scrupulosam* 11. *C. de contrahen. & commit. stipul.* ac tandem supradictam Iuris antiqui Regulam sustulit, placuitque ipsi in vniuersum, vt actiones & ab heredibus, & contra heredes incipiant. *l. Vnica C. Vt act. & ab hered. & cont. hered. incip.* 2

b *Ac nec is &c.* Olim filius, vel seruus, post mortem patris, vel domini stipulari non poterat: quia patris, vel domini voce loqui videtur. Ac propterea idem est ac si pater, vel dominus post mortem suam dari sibi stipulatus esset,

c *Pridie quam moriar &c.* Olim si quis ita stipulatus erat, Pridie quàm moriar, vel pridie quàm morieris, dare spondes? Inutilis erat stipulatio, propterea quòd significatio illius (Pridie) reducatur ad potestatem huius (Post mortem): Nam ex ipsa morte demum cognoscimus, quis dies fuerit, Pridie. *Theophilus hic.* 3

d *Vt iam dictum est. §. In hac re, vers. Sed hæc solemnia, Instit. de Verb. oblig.*

e *Placuit nobis &c.* Iustiniani Constitutione, superiores stipulationes comprobatæ & receptæ sunt. *dicta l. Scrupulosam* 11. *C. de contrahen. & commit. stipul.* 4

Ad §. Item si quis ita:

Item (a) *si quis ita stipulatus erat, si nauis* (b) *ex Asia venerit, hodie dare spondes? inutilis erat stipulatio, quia præposterè concepta est. Sed cùm* (c) *Leo inclytæ recordationis, in dotibus eandem stipulationem*

tionem, quæ præpostera nuncupatur, non esse reiiciendam existimauit: nobis (d) *placuit & huic perfectum robur accommodare, vt nonsolùm in dotibus, sed etiam in omnibus valeat huiusmodi conceptio stipulationis.*

a *ITem si quis ita &c.* Olim stipulatio præposterè concepta, inutilis erat: veluti si quis ita stipulatus erat, si nauis cras ex ex Asia venerit, hodie dare spondes? Inutilis autem erat huiusmodi stipulatio, propterea quòd datio euentu conditionis prior esse non debeat, sed posterior. In hac verò stipulatione datio euentum conditionis præcedit, qua de causa etiam eadem stipulatio præposterè concepta, seù præpostera nuncupatur. 1

b *Si nauis ex Asia venerit.* In quibusdam libris, & etiam in Græcis Institutionibus Theophili legitur: Si nauis eras ex Asia venerit.

c *Sed cùm Leo &c.* Leo Imperator, in dotibus eandem stipulationem, quæ præpostera nuncupatur, non esse reijciendam, exist imauit. Vt si vir vxori dicat: Ego tibi dotem cùm morieris reddere spondeo, si sine liberis decesseris. Hæc stipulatio idcirco præpostera dicitur, Quoniam redditio in tempus vitæ confertur: Euentus autem conditionis ad tempus, quod post mortem futurum est, refertur. *Theoph. hic.* 2

d *Nobis placuit &c.* Iustinianus stipulationi præposteræ perfectum robur accommodauit, vt nonsolùm in dotibus, sed etiam in omnibus valeat huiusmodi conceptio stipulationis. *l. Præposteri 25. C. de testamentis.* Exactione videlicet post conditionem, vel diem competente. *dicta l. Præposteri.* 3

Ad §. Ita autem concepta.

Ita autem (a) *concepta stipulatio, veluti si Titius dicat, Cùm moriar dare spondes? vel: Cùm morieris, & apud veteres* (b) *vtilis erat, & nunc valet.*

a *ITA autem concepta &c.* Stipulatio ita concepta, cùm moriar dare spondes? vel, cùm morieris dare spondes? & apud veteres vtilis erat, & nunc valet. Is enim qui moritur, nondum est mortuus, sed adhuc viuit *l. Qui duos 18. §. Hæc conditio ff. de manumiss. testam.* Neque tamen ante vim suam habet eiusmodi stipulatio, quàm post mortem. *l. hereditarium 7. ff. de bon. auth. Iud. poss.* 4

b *Et*

b *Et apud veteres vtilis erat. l. quodcumque 45. §. Sicuti ff. de Verb. oblig.*

Ad §. Item post mortem.

Item (a) *post mortem alterius rectè stipulamur?*

1

a *ITem post mortem &c.* Stipulatio post mortem alterius concepta, veluti: Post mortem Titij dare spondes? valet, & etiam apud veteres vtilis erat. Quoniam eueniebat, vt & viuis contrahentibus moreretur Titius. *tex. & Theoph. hic.*

Ad §. Si scriptum.

Si scriptum (a) *in Instrumento fuerit, promisisse aliquem: perinde habetur atque si interrogatione præcedente responsum sit.*

2

a *SI scriptum &c.* Si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem: perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit. *Paulus Recept. Sent. lib. 5. tit. 7. §. Verborum obligatio.* Si modò res gesta sit inter præsentes, *l. 1. C. de contraben. & committ. stipul. l. Titia 134. §. penult. ff. de Verb. oblig.* & contrarium non probetur: stipulationem scilicet contractam non fuisse, *l. Iurisgentium 7. §. Quod fere ff. de pactis.*

3

Ad §. Quoties plures.

Quoties (a) *plures res vna stipulatione comprehenduntur, si quidem promissor simpliciter respondeat, dare spondeo: propter omnes tenetur. Si verò vnam ex his, vel quasdam daturum se responderit: obligatio in ijs, pro quibus spoponderit, contrahitur. Ex pluribus enim stipulationibus vna, vel quædam videntur esse perfectæ: singulas enim res stipulari, & ad singulas* (b) *respondere debemus.*

4

a *QVotics plures res &c.* Quoties plures res vna stipulatione comprehenduntur, ideſt, vna verborum conceptione in stipulationem deducuntur: veluti, Stichum, & Panphilum dare spondes? Si quidem promissor simpliciter respondeat, Dare spondeo: propter omnes tenetur. Quia res nominatæ in stipulatione, censentur tacitè repetitæ in responsione. Neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti,

repeti, quæ stipulator expresserit. §. *Præterea, hoc eodem titulo.* Et etiam sine dubio propter omnes tenetur promissor, si ad omnes specialiter ac nominatim respondeat, veluti si in proposito casu respondeat, Dabo Stichum, & Panphilum. Si verò vnam ex his, vel quasdam daturum se spondeat, veluti si in dicto casu respondeat, Dabo Stichum: obligatio in iis, pro quibus spoponderit, contrahitur: Quoties enim plures res specialiter ac nominatim in stipulationem deducuntur: tot sunt 1
stipulationes, quot sunt res, quæ specialiter ac nominatim stipulatione comprehensæ sunt, ideoque stipulationes rerum, de quibus responsum fuit, perfectæ sunt, & valent: stipulationes verò aliarum rerum, de quibus non fuit responsum, tamquam imperfectæ, inutiles sunt. *tex. hic, l. Inter stipulantem 83. §. Si stipulante, in fine ff. de Verb. oblig. l. Scire debemus 29. l. Quod dicitur 86. ff. eod.*

b *Et ad Singulas respondere debemus.* Si volumus, quòd in omnibus perfecta sit stipulatio. *Theoph. & Accurs. hic. H.* autem le- 2
gendum existimat: Non & ad singulas respondere debemus.

Ad §. Alteri stipulari.

Alteri (a) *stipulari* (*vt suprà* (b) *dictum est*) *nemo potest: inuentæ sunt enim huiusmodi obligationes ad hoc, vt vnusquisque sibi adquirat, quod sua interest: cæterùm vt alij detur, nihil interest* (c) *stipulatoris. Planè si quis velit hoc facere, pœnam* (d) *stipulari conueniet,* -
vt nisi ita factum sit, vt comprehensum est: committatur pœna stipulatio etiam ei, cuius nihil interest. Pœnam enim cum stipulatur 3
quis, non illud inspicitur, quod interfit eius, sed quæ sit quantitas (c) *in conditione stipulationis. Ergo si quis stipuletur Titio dari? Nihil agit. Sed si addiderit pœnam, Nisi dederis, tot aureos dare spondes? tunc committitur stipulatio.*

a *Alteri stipulari &c.* Alteri stipulari nemo potest. *l. stipulatio ista 38. §. Alteri ff. de verb. oblig.* Alteri, ideſt, extraneo: ei videlicet, cuius iuri subiectus non est, & quem suo iuri sub- 4
iectum non habet. §. *Si quis alij, hoc eod. tit.* Vbi vide scripta in penult. & vlt. nota.

b *Vt suprà dictum est. Suprà eod. tit. §. Si quis alij.*

c *Nihil interest stipulatoris.* Quandoque tamen stipulatoris interest alteri stipulari, & consequenter in his casibus valet stipulatio vt videbimus ad §. *Sed & si quis, hoc titulo.*

d *Pœnam stipulari conueniet.* Si quis velit alteri stipulari, pœnam stipulari conuenit. *l. Stipulatio ista 38. §. Alteri ff. de verb. oblig.* Hoc est, principali stipulationi, stipulationem pœnalem adijcere debet. v.g. hoc modo: Stichum Titio dabis? Si Stichum Titio non dederis, centum aureos pœnæ nomine mihi dabis? Tunc enim promissor tenetur, vel Stichum Titio dare, vel, si non dederit dare debet mihi centum aureos. Nàm mihi, non 1
alteri, talem pœnam stipulatus sum.

e *Sed quæ sit quantitas in conditione stipulationis.* Hoc est, sed quæ sit quantitas subiecta conditioni stipulationis: si videlicet non adimpleatur quod fuit promissum in stipulatione principali.

Ad §. Sed & si quis.

Sed & (a) *si quis stipuletur alij, cùm eius interest, placuit stipulationem valere. Nàm si is,* (b) *qui pupilli tutelam administrare cæperat, cessit administrationem contutori suo, & stipulatus est rem pupilli saluam fore: quoniam interest stipulatoris fieri, quod stipulatus est, cùm obligatus* (c) *futurus sit pupillo, si malè* (d) *gesserit, tenet obligatio. Ergo & si quis procuratori suo dari stipulatus sit, stipulatio* (e) *vires habebit. Et si* (f) *creditori suo dari stipulatus sit: quòd sua interest, ne fortè* (g) *vel pœna committatur, vel prædia distrahantur, quæ pignori data erant, valet* (h) *stipulatio.* 2

a SED *& si quis &c.* Si quis alteri stipuletur, cùm sua interfit, valet stipulatio. *l. Stipulatio ista 38. §. Si stipuler ff. de Verbor. oblig.* Ratio est: Quia tum sibi, non alteri obligationem, & actionem quærit. *l. liber homo 118. ff. de Verb. oblig.* 3

b *Nam si is, qui pupilli tutelam &c. dicta l. Stipulatio ista 38. §. Si stipuler ff. de Verb. oblig.*

c *Cùm obligatus futurus sit pupillo &c.* Et excussis prius facultatibus eius, qui gesserit, conuenitur. *l. 3. §. 1. ff. de adminis. & peric. tut.*

d *Si malè gesserit.* Aliàs (Si malè res cesserit) *In d. l. Stipulatio* 4
ista 38. §. Si stipuler, legitur (Si aliter res cesserit.)

e *Stipulatio vires habebit.* Quia sua interest procuratori suo dari. Fortè enim cùm procurator tuus alio loco rem gereret, opus habebat pecunia, siue vt in publicum solueret, siue vt ædificia repararet, siue vt fundos excultiores redderet. Et tu, cùm me scires in loca illa profecturum, in hunc modum à me stipulatus es: Procuratori meo centum aureos dare spondes? Ecce

enim

enim & hic mea interest, ne si pecuniam procuratori meo non dederis ego damnum patiar. *Theoph. hic.* Et etiam domini interest procuratori suo dari, nàm quidquid datur procuratori, potest dominus actione mandati à procuratore consequi *l. Idemque* 10. §. *Si cui, & §. Si mandauero ff. mandati, l. Iulianus* 131. §. *vlt. ff. de verb. oblig.*

f *Et si creditori &c. dicta l. Stipulatio ista* 38. §. *Si stipuler ff. de verb. oblig.* 1

g *Ne forte vel pœna.* Sub qua creditori obligatus est, si secundum legem in credendo dictam non soluat.

h *Valet stipulatio.* Et stipulatori promissor obligabitur, in quantum stipulatoris interest: quod damnum passus sit, aut distractis pignoribus, aut exacta pœna. *Theoph.*

Ad §. Versa vice.

Versa (a) *vice, qui ab alium* (b) *facturum promisit, videtur in ea esse causa, vt non* (c) *teneatur, nisi pœnam* (d) *ipse promiserit.* 2

a *Versa vice &c.* Qui alium facturum promisit, non obligatur, nisi pœnam ipse promiserit. *l. Stipulatio ista* 38. *in princ. ff. de Verb. oblig.*

b *Qui alium facturum.* Veluti, Gaium domum ædificaturum.

c *Vt non teneatur.* Nàm de se quenque promittere oportet, *l. Inter stipulantem* 83. *in princ. ff. de Verb. oblig.*

d *Nisi pœnam ipse promiserit.* Pœna adiecta ipsum promittentem concernit, ideoque stipulatio pœnalis valet, & ex ea agi potest. 3

Ad §. Item nemo.

Item (a) *nemo rem suam futuram, in eum casum, quo sua sit, vtiliter stipulatur.* 4

a *Item nemo &c.* Nemo rem suam futuram, in eum casum, quo sua sit, vtiliter stipulatur. *l. Nemo rem suam* 87. *ff. de Verb. oblig.* Paria enim sunt aliquid fieri tempore prohibito, vel conferri in tempus prohibitum. *l. Quod sponsæ* 4. *C. de donat. ante nupt.* Vide hoc eodem loco *Theoph.*

Ad §. Si de alia re.

Si de alia (a) *re stipulator senserit, de alia promissor: perinde nulla contrahitur obligatio, ac si ad interrogatum responsum non esset, veluti si hominem Stichum à te quis stipulatus fuerit, tu de Panphilo senseris, quem Stichum vocari credideris.* 1

a SI *de alia re &c.* Si de alia re stipulator senserit, de alia promissor: nulla contrahitur obligatio. Nàm stipulatio ex vtriusque consensu valet. *l. Inter stipulantem* 83. §. *Si Stichum, & l. continuus* 137. §. *Si hominem ff. de verb. oblig.* Non consentiunt autem, qui errant, *l. Si per errorem* 15. *ff. de Iurisdict. omn. Iud.* Atque hæc quidem de errore, qui in ipso corpore commissus est, intelligi oportet: veluti si hominem Stichum à te quis stipulatus fuerit, tu de Panphilo senseris, quem Stichum vocari 2
credideris, vt *hic in textu*. Nàm error in nomine, cùm in corpore consensum est, non vitiat stipulationem. v. g. Si in nomine serui, quem stipularemur dari, erratum fuisset, cùm de corpore constitissset: placet stipulationem valere *l. Si in nomine* 32. *ff. de Verb. oblig.* Similiter error in materia, cùm in corpore consensum est, stipulationem non vitiat. v.g. Si id, quod aurum putabam, cùm æs esset, stipulatus de te fuero: teneberis mihi huius æris nomine: quoniam in corpore consenserimus: sed ex doli mali clausula tecum agam, si sciens me fe- 3
felleris. *l. Si id, quod* 22. *ff. de Verb. oblig.*

Ad §. Quod turpi ex causa.

Quod turpi (a) *ex causa promissum est: veluti si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat, non valet.*

a QVod *turpi ex causa &c.* Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momenti: Veluti si quis homicidium, 4
vel sacrilegium se facturum promittat. *l. Generaliter* 26. *& l. seq. ff. de verb. oblig.* Et non modò si flagitij facendi, verùm etiam si facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet. *l. Si plagij* 123. *ff. de Verb. oblig.* Flagitij enim remuneratio bonis moribus aduersatur. Et omnia, quæ contra bonos mores in stipulationem deducuntur, nullius momenti sunt, *l. Ex eo* 4. *ff. de inutil. stipul.*

Ad

Ad §. Cùm quis sub aliqua.

Cùm quis (a) *sub aliqua conditione stipulatus fuerit, licet ante conditionem decesserit: posteà existente conditione, heres eius agere potest. Idem est & ex* (b) *promissoris parte.*

a CVM quis sub aliqua &c. Conditionalis stipulatio non extinguitur, si ante conditionem moriatur stipulator, vel promissor, sed heres defuncti, conditione posteà existente, agere, vel conueniri potest. Vide notata suprà ad §. *Sub conditione, de verb. oblig.* 1

b *Idem est, & ex promissoris parte. l. si quis* 57. *ff. de verb. oblig.*

Ad §. Qui hoc anno.

Qui hoc (a) *anno, aut hoc mense dari stipulatus est, nisi omnibus* (b) *partibus anni, vel mensis præteritis, non rectè petet.* 2

a QVI hoc anno &c. *l. Qui hoc anno* 42. *l. Eum, qui certarum* 138. *ff. de verb. oblig.* Vide notata suprà *in tit. de verb. oblig. ad* §. *omnis stipulatio.*

b *Nisi omnibus partibus anni &c.* Nam in stipulationibus promissoris gratia tempus adijcitur. *l. Cum tempus* 17. *ff. de reg. iur.*

Ad §. Si fundum.

3

Si fundum dari stipuleris, vel hominem, non poteris (a) *continuo agere, nisi tantum spatium præterierit, quo traditio fieri possit.*

a NON poteris continuò agere. Imò, quia stipulatio purè facta est, confestim petere poteris. §. *omnis stipulatio, de verb. oblig.* Sed hoc cum aliquo temporis spatio, quo traditio fieri possit, accipiendum est, vt in hoc nostro Paragrapho, *l. Quod dicimus* 105. *ff. de solut. & liber.* Quod tempus definiendū est arbitrio Iudicis, *arg. l.* 1. §. *vlt. ff. de Iur. delib.* 4

De fideiussoribus.

TITVLVS XXI.

Pro eo, (a) *qui promittit, solent alij obligari, qui fideiussores appellantur: quos homines accipere solent, dum curant*, (c) *vt diligentiùs sibi cautum sit.* 1

a PRO *eo, qui promittit &c.* Pro eo, qui principaliter obligatur, solent alij accessoriè obligari, qui fideiussores appellantur. Cum igitur suprà varij modi traditi sint, quibus quis principaliter obligatur: sequitur vt de fideiussoribus videamus. Et præsertim post præcedentes titulos, in quibus dictum est de verborum obligationibus, subijcitur præsens titulus de fideiussoribus: Nam fideiussores quoque verbis obligantur. *l. blanditus* 12. *C. de fideiuss. & mandat. l. stipulationum.* 5. §. *Satis acceptio, ff. de verb. oblig.* 2

b *Qui fideiussores appellantur.* Qui alieno nomine obligantur, fideiussores vocantur. *l.* 1. §. *verbis ff. de act. & oblig.* Seù fideiussores sunt, qui per stipulationem alienæ obligationi accedunt. *Text. hic, iuncto* §. *fideiussores, &* §. *vlt. h. t.* Vnde etiam ad promissores vocantur, *l. stipulationum* 5. §. *satis acceptio ff. de verb. oblig. l. In omnibus* 43. *ff. de solut. & liber.*

c *Dum curant, vt diligentiùs sibi cautum sit.* Dum curant, vt quod in obligationem deducunt, tutius ipsis debeatur. *l.* 1. §. *verbis ff. de act. & oblig.* Nam fieri potest, quod principalis debitor non sit soluendo, fideiussores autem sint soluendo. 3

Ad §. In omnibus autem.

In omnibus (a) *autem obligationibus adsumi possunt, ideſt, siue re, siue verbis, siue literis, siue consensu contractæ fuerint. Ac ne illud quidem interest, vtrum ciuilis*, (b) *an naturalis sit obligatio, cui adijciatur fideiussor: adeò quidem*, (c) *vt pro seruo quoque obligetur, siue extrancus sit, qui fideiussorem à seruo accipiat, siue ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur.* 4

a IN *omnibus &c.* Omni obligationi fideiussor accedere potest: ideſt, siue re, siue verbis, siue literis, siue consensu contracta

ttacta fuerit. *l.1. & l.Græcè 9.§.1. ff.de fideiuſſ. & mandat. Vbi Vlpianus addit*, Pro eo etiam, qui Iure honorario obligatus eſt, poſſe fideiuſſorem accipi, & in §. 2. ait fideiuſſorem teneri, etiamſi ex delicto oriatur actio.

b *Vtrum ciuilis, an naturalis.* Fideiuſſor accipi poteſt, quoties eſt aliqua obligatio ciuilis, vel naturalis, cui applicetur, *l.fideiuſſor obligari 17.§.Fideiuſſor ff.de fideiuſſ.& mandat.*

c *Adeò quidem, vt pro ſeruo quoque &c.* Cùm fideiubet aliquis 1
pro ſeruo, inſolidum tenetur, etiam ſi nihil in peculio ſit. *l.Cum fideiubeat 36.ff.de fideiuſſ. & mandat.* Et adeò à ſeruo poteſt fideiuſſor accipi, vt ipſe quoque dominus in id, quod ſibi debetur, fideiuſſorem ab eo rectè accipiat, *l. Si à reo 71. §. Adeò ff.eod.* Contrà, ſi ſeruus fideiuſſorem à domino accipiat, fideiuſſor acceptus non tenetur: quia non poteſt pro eodem, & eidem eſſe obligatus. *l.Si quis pro eo 57.§.Item ſi filius ff. de fideiuſſ.& mandat.*

Ad §. Fideiuſſor non tantùm. 2

Fideiuſſor (a) *non tantùm ipſe obligatur, ſed etiam heredem obligatum relinquit.*

a *Fideiuſſor non tantùm &c.* Fideiuſſor & ipſe obligatur, & heredem obligatum relinquit: cùm rei locum obtineat. *l.Poteſt accipi 4.ff.de fideiuſſ.& mandat.l.fideiuſſoris 24.C.eod.*

Ad §. Fideiuſſor & præcedere. 3

Fideiuſſor & præcedere (a) *obligationem, & ſequi* (b) *poteſt.*

a *Fideiuſſor & præcedere &c.* Fideiuſſor & præcedere obligationem, & ſequi poteſt. Hoc eſt, Adhiberi fideiuſſor tàm futuræ, quàm præcedenti obligationi poteſt. *l. Stipulatus ſum 7. ff.de fideiuſſ. & mandat.* Non tamen, quando futuræ obligationi adhibetur, ſtatim obligatur, ſed tùm demùm, cùm reus principalis obligabitur, quia obligatio acceſſoria, non conſiſtit ſine principali. *l.fideiuſſor 58.ff.de fideiuſſ.& mandat.* 4

b *Et ſequi poteſt.* Et nihil refert, confeſtim fideiuſſor adhibeatur, an interiecto tempore, *l.Amiſſi ruina 53. §. Fideiuſſores, ff.de fideiuſſ. & mandat.*

Ad

Ad §. Si plures.

Si plures sint fideiussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum (a) *tenentur. Itaque liberum est creditori, à quo velit solidum petere. Sed ex epistola* (b) *Diui Hadriani compellitur creditor à singulis, qui modo* (c) *soluendo sunt litis contestatæ tempore, partes petere. Ideoque si quis ex fideiussoribus eo tempore soluendo non sit, hoc cæteros* (d) *onerat. Sed si ab vno fideiussore creditor totum consecutus fuerit: huius solius* (e) *detrimentum erit, si is, pro quo fideiussit, soluendo non sit: & sibi imputare debet, cum potuerit adiuuari ex epistola Diui Hadriani, & desiderare, vt pro parte* (f) *in se detur actio.* 1

a *Singuli in solidum tenentur.* Plures fideiussores, etiamsi adiectum non sit in obligatione, vt singuli in solidum tenerentur, singuli tamen in solidum tenentur. *l. 3. C. de fideiuss.* 2 *& mandat.*

b *Sed ex epistola Diui Hadriani &c.* Si plures sint fideiussores, singuli quidem ipso iure in solidum tenentur, vt dictum est, & consequenter liberum est creditori, à quo velit solidum petere. Sed opposita exceptione epistolæ Diui Hadriani, compellitur creditor actionem suam diuidere, & à singulis, qui modò soluendo sint litis contestatæ tempore, partes petere. *Text. hic, l. Inter fideiussores 27. ff. de fideiuss. & mandat.* Et licet adiectum sit in obligatione, vt singuli in solidum tenerentur: 3 nihilominus tamen habent fideiussores hoc beneficium, vt pro parte se tueri possint. *l. 3. C. de fideiuss. & mandat.* Expressio enim eorum quæ tacitè insunt, nihil operatur. Ita demum tamen inter fideiussores diuiditur actio, si non inficiantur. Nam inficiantibus, auxilium diuisionis non est indulgendum. *l. si dubitet* 11. §. *Ita demum ff. de fideiuss. & mandat.* Item, si Epistolæ Diui Hadriani non renunciauerint, quod proculdubio facere possunt, cùm regula Iuris sit, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renunciare, *l. Si quis in conscribendo* 50. 4 *C. de Episcop. & Cler. l. penult. C. de pactis.* Cessat etiam Diui Hadriani beneficium, si plures fideiussores à tutore pupillo dati essent: Quod ideo est, ne ex vna tutelæ causa plures ac variæ quæstiones apud diuersos Iudices constituerentur. *l. vlt. ff. Rem pup. sal. fol.* Cæterùm fideiussor principalis, & fideiussor ab eo datus, con fideiussores non sunt; Et consequenter ad epistolam

Diui

Diui Hadriani non pertinent. *l. Si plures* 28. §. *vlt. ff. de fideiuss. & mandat.* Similiter, si à Titio stipulatus, fideiussorem acceperim, deinde eandem pecuniam ab alio stipulatus, alium fideiussorem accipiam: confideiussores non erunt: quia diuersarum stipulationum fideiussores sunt. *l. Si à Titio* 44. *ff. de fideiuss. & mandat.*

c *Qui modo soluendo sunt.* Et præsentes ipsi aut procuratores eorum. *Cuiac. hic.* Quod si dubitet creditor an fideiussores soluendo sint: & vnus ab eo electus, paratus sit offerre cautionem, vt suo periculo cæteri fideiussores conueniantur in partem: audiendus erit, ita tamen vt & satisdationem offerat, & omnes fideiussores, qui idonei esse dicuntur, præsto sint. *l. Si dubitet* 11. *ff. de fideiuss. & mandat.* 1

d *Hoc cæteros onerat.* Si quis ex fideiussoribus litis contestatæ tempore soluendo non sit, hoc cæteros onerat. Sin igitur vnus ex ijs post litis contestationem non soluendo fieri contingat: huius inopia, creditori tantùm, non etiam fideiussoribus fraudi erit, *Theoph. hic, l. Inter eos* 52. §. *Cùm inter ff. de fideiuss. & mandat.* 2

e *Huius solius detrimentum erit.* Ergo, vt fideiussor aduersus confideiussorem suum agat, danda actio non est. Ideoque si ex duobus fideiussoribus eiusdem quantitatis, cùm alter electus à creditore totum exoluerit, nec ei cessæ sint actiones: alter nec à creditore, nec à confideiussore conuenietur. *l. Vt fideiussor* 40. *ff. de fideiuss. & mandat. l. Cùm alter* 11. *C. eodem.* 3

f *Vt pro parte in se detur actio.* Vel etiam vt in se datæ actioni in solidum, subijciatur exceptio, Si non & cæteri soluendo sint. *l. Si contendant* 29. *ff. de fideiuss. & mandat.*

Ad §. Fideiussores ità obligari.

Fideiussores (a) *ita obligari non possunt, vt plus debeant, quàm debet is, pro quo obligantur. Nàm eorum* (b) *obligatio, accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione* (c) *potest esse, quàm in principali re. At ex diuerso, vt minus* (d) *debeant, obligari possunt. Itaque si reus* (c) *decem aureos promiserit, fideiussor in quinque rectè obligatur, contrà verò obligari non potest. Item si ille* (f) *purè promiserit, fideiussor sub conditione promittere potest: contrà verò non potest. Non solùm* (g) *enim in quantitate, sed etiam in* 4

tempore minùs & plus intelligitur. Plus est enim, statim aliquid dare, minùs post tempus dare.

a *Fideiussores &c.* Fideiussores ita obligari non possunt, vt plus debeant, quàm debet is, pro quo obligantur. *l.hi, qui 35. ff.de fideiuss. & mandat.* Potest tamen fideiussor esse magis obligatus, quàm reus principalis; Siquidem fieri potest, vt reus principalis tantùm naturaliter debeat, fideiussor autem sit ciuiliter obligatus. §. *In omnibus, hoc eodem tit.* 1

b *Nàm eorum obligatio &c.* Fideiussorum obligatio, accessio est principalis obligationis, *l.hi, qui 31.ff.de fideiuss. & mandat.*

c *Nec plus in accessione &c.* Non potest plus esse in accessione, quàm in re principali. Hoc est, Non potest plus esse in accessoria obligatione, quàm in principali. Ita hanc Iustiniani Regulam ad accessoriam obligationem restringit. *Mynsing. hic*, ne sit contra eandem Regulam suprà *de rer.diuis.§.si tamen alienam, & ff.de contrah.empt.l.si in emptione, in princ.* 2

d *Vt minus debeant.* Fideiussores ita obligari possunt, vt minùs debeant, quàm debet is, pro quo obligantur. *l.Græcè 9. §.Illud commune ff.de fideiuss. & mandat.*

e *Itaque si reus decem aureos &c.* Si reus decem aureos promiserit, fideiussor in quinque rectè obligatur, contrà verò, si reus quinque aureos promiserit, fideiussor in decem obligari non potest. Cœterùm magna quæstio est, An fideiussor, qui se in decem obligat pro eo, qui debet quinque, saltem teneatur in quinque. Respondendum videtur, quod teneatur in quinque 3 *per Text.in l. Græcè 9. §.Illud commune ff. de fideiuss. & mandat.* secundum lecturam Florentinam, & etiam arg. *l.si à reo 71.ff.eod.*

f *Item si ille purè &c.* Si reus purè promiserit, fideiussor sub conditione promittere potest: contrà verò, si reus sub conditione promiserit, fideiussor purè promittere non potest. *dicta l.Græcè 9.§.Illud commune ff.de fideiuss.& mandat.* Similiter dubitatur, An fideiussor, qui purè promisit pro eo, qui promisit sub conditione, obligetur saltem existente conditione. Respondendum videtur, quòd existente conditione obligetur per 4 *Text.in d.l.Græcè 9.§.Illud commune ff. de fideiuss. & mandat.* secundum lecturam Florentinam, *& per Text. in l. Id, quod sub conditione 19.ff.de constit.pecun.*

g *Non solùm enim &c.* Sic est legendum. Et facit ad hunc locum. §. *Si quis agens, verf.Plus autem, Inst.de actionibus.*

Ad

Ad §. Si quid autem.

Si quid (a) *autem fideiussor pro reo* (b) *soluerit, eius recuperandi causa habet cum eo mandati iudicium.*

a *Si quid autem &c.* Si quid fideiussor pro reo soluerit, eius recuperandi causa habet contra eum mandati actionem. 1
l. Idemque 10. *§. fideiussores ff. mandati.* Et hoc quidem verum est, si pro mandante fideiusserit, *l. ex mandato* 20. *in fine ff. mandati,* aut saltem pro præsente: Qui enim præsens patitur aliquem pro se fideiubere, mandare videtur, & sic mandati tenetur, *l. Si remunerandi* 6. *§. Si passus, l. qui fide* 53. *ff. mandati.* Si verò pro absente fideiusserit, negotiorum gestorum actionem habebit, *l. Ex mandato* 20. *ff. mandati.* Quòd si pro inuito, aut donandi animo fideiusserit, nullam habebit actionem. *d. l. si remunerandi* 6. *§. Si passus, l. si pro te* 40. *ff. mandati.* 2

b *Pro reo soluerit.* Sed & priùs, quàm soluat, interdum agere potest fideiussor, vt liberetur, puta, si condemnatus sit, si reus bona sua dilapidare postea cœpit, si ab initio ita fideiussor obligationem suscepit, vt reum posset & ante solutionem conuenire, si diu in solutione reus cessauit, *l. Si pro eo* 10. *C. mandati, & l. Lucius* 38. *ff. eod.*

Ad §. Græcè.

3

Græcè (a) *fideiussor ita accipitur, τῇ ἐμῇ φύσει κελεύω, λέγω, θέλω, siue βούλομαι: sed & si ἐμὶ dixerit, pro eo erit, ac si dixerit λέγω.*

a *Græcè &c.* Fideiussio, non tantùm latinis, sed etiam Græcis verbis fieri potest. *l. Græcè* 9. *ff. de fideiuss. ex qua hic. §. Est descriptus.* Imò & qualibet alia lingua. Nàm fideiussio per stipulationem fit, vt dixi ad princ. huius tituli, & stipulatio quacunque lingua fieri potest: dummodò contrahentes se inuicem intelligant. *§. In hac re, de verb. oblig.* 4

Ad §. In stipulationibus.

In stipulationibus (a) *fideiussorum sciendum est, generaliter hoc accipi, vt quodcumque scriptum sit, quasi actum, videatur etiam actum.*

Ideoque constat, si quis scripserit (b) *se fideiussisse, videri omnia solemniter acta.*

a IN *stipulationibus &c.* In stipulationibus fideiussorum quodcunque scriptum est quasi actum, videtur etiam actum. Ideoque si quis scripserit se fideiussisse, omnia solemniter acta iudicantur, *l. Sciendum 30. ff. de verb. oblig.* Hoc est, præsumitur solemnem stipulationem intercessisse. Nàm fideiussio non fit 1
sine stipulatione solemni.

b *Si quis scripserit se fideiussisse.* Est hæc scriptura priuata. Dicit enim textus: Si quis scripserit se fideiussisse. Idem tamen esset multo magis si scriptum esset in scriptura publica aliquem fideiussisse; Facit suprà, *de Inutil. stipul. §. Si scriptum.*

De literarum (a) obligationibus.

2

TITVLVS XXII.

Olim (b) *scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non sunt in vsu. Planè si quis* (c) *debere se scripserit, quod ei numeratum non est: de pecunia minimè numerata, post multum temporis exceptionem opponere non potest: hoc enim sæpissimè constitutum est, sic fit, vt hodie, dum quæri non potest, scriptura obligetur: & ex ea noscitur condictio, cessante scilicet* (d) *verborum obligatione. Multum autem tempus in hac exceptione antè* 3
quidem ex principalibus Constitutionibus vsque (e) *ad quinquennium procedebat, sed ne creditores diutiùs possint suis pecuniis forsitan defraudari, per Constitutionem* (f) *nostrum tempus coartatum est, vt vltra biennij* (g) *metas huiusmodi exceptio minimè extendatur.*

a DE *literarum obligationibus &c.* Obligationes, quæ ex contractu sunt, aut re contrahuntur, aut verbis, aut literis aut consensu. *§. vlt. Instit. de oblig.* Cùm igitur hactenus dictum sit de obligationibus, quæ re contrahuntur, & de obligatio- 4
nibus, quæ contrahuntur verbis: Sequitur vt in hoc titulo dicamus de obligationibus, quæ contrahuntur literis, & in titulo sequenti de obligationibus ex consensu.

b *Olim scriptura fiebat obligatio &c.* Passim iactatur ab interpretibus quoque doctissimis obligationes quondam, cum fides religiosius custodiretur apud veteres Romanos, aut ex priua-

tis

tis aduersarijs, seù rationibus, aut ex publicis argentariorum libris prodijsse. Sed aliter hoc eodem loco Theophilus eius scripturæ, qua fiebat olim obligatio, modum, ac ritum clarè describit, & quidem verè, vt demonstrat *Galuanus de vsufructu cap.17.num.8.*

c *Planè si quis debere se scripserit &c.* Hodie scriptura, seù literis efficaciter obligatur, qui debere se scripserit, quod ei numeratum non est, si intra biennium conquestus non sit, pecuniam non fuisse numeratam: & ex ea scriptura nascitur condictio, cessante scilicet verborum obligatione. 1

d *Cessante scilicet verborum obligatione.* Aliàs agitur ex stipulatu.

e *Vsque ad quinquennium. l.1. C. Hermog. de cauta, & non num.pec.*

f *Per Constitutionem nostram. l. In contractibus 14. C. de non numer. pecun.*

g *Vt vltra biennij metas &c.* Doctoribus tamen nostris vulgò placet debitorem etiam post biennium exceptionem opponere posse, si paratus sit probare pecuniam non esse numeratam. 2 Sed hæc sententia, quamuis in foro recepta, non placet *Pacio hic in Analy.* vbi affirmat eam esse falsam.

De obligationibus (a) ex consensu.

TITVLVS XXIII.

Consensu (b) *fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis. Ideò autem istis modis consensu dicitur obligatio contrahi: quia neque scriptura, neque præsentia omnimodo opus est, at nec dari quidquam necesse est, vt substantiam capiat obligatio: sed sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire. Vnde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuncium. Item* (c) *in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet: cum alioquin in verborum obligationibus alius stipulatur, alius promittat.* 3 4

a *De obligationibus ex consensu.* Huius tituli continuatio patet ex continuatione tituli præcedentis.

b *Consensu fiunt obligationes &c.* Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis. *l.2.ff.de obligat. & act.* ex qua totus hic titulus

tulus descriptus est. Pro intelligentia huius textus notate, quod omnes quidem contractus consensum requirunt. *l.1.§.conuentionis ff.de pactis*. Sed ideò istis modis obligatio dicitur consensu contrahi: quia neque scriptura, vt in literarum obligatione, neque presentia, contrahentium, vt in verborum obligatione, neque rei traditio sicut in obligatione, quæ re contrahitur, necessaria est, vt substantiam capiat obligatio: sed sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire. Vnde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur: veluti per epistolam, vel per nuntium, *tex.hic.d.l.2.ff. de oblig. & act.* In obligationibus igitur, quæ consensu contrahuntur, vt valeant solus consensus sufficit, in obligationibus vero quæ re, verbis, aut literis contrahuntur, vt subsistant, aut scriptura, aut præsentia contrahentium, aut rei interuentus, præter consensum, requiritur. 1

c *Item in his contractibus &c.* In his contractibus, qui consensu fiunt, alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono, & æquo præstare oportet etiam si lingua non sit nuncupatum: cum alioqui in verborum obligationibus, obligatio catenus tantùm nascatur, quatenus lingua nuncupatum est, *l.Sed Celsus 6.§. 1. vers.in emptis ff.de contrahen empt.l.quidquid 99. in princ.ff. de verb.oblig*: 2

De emptione, (a) & venditione. 3

TITVLVS XXIV.

Emptio, (b) *& venditio contrahitur simulatque de pretio conuenerit: quamuis non dum pretium numeratum sit, ac ne arra quidem data fuerit. Nam quod arræ* (c) *nomine datur, argumentum est emptionis & venditionis contractæ. Sed hæc quidem de emptionibus & venditionibus, quæ sine scriptura consistunt, obtinere oportet. Nam nihil à nobis in huiusmodi venditionibus innouatum est. In ijs autem, quæ scriptura conficiuntur, non aliter perfectam esse venditionem, & emptionem constituimus,* (d) *nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta, & si per tabelliones fiunt, nisi & completiones* (c) *acceperint, & fuerint partibus absoluta. Donec enim aliquid deest ex his, & pœnitentiæ locus est, & potest emptor vel venditor sine pœna recedere ab emptio-* 4

ne

ne & venditione. Ita tamen impunè eis recedere concedimus, nisi iam arrarum numine aliquid fuerit datum. hoc enim subsecuto, sine inscriptis, sine sine scripsis, venditio celebrata est: is, qui (f) *recusat adimplere contractum, si quidem est emptor, perdit quod dedit: si verò venditor, duplum restituere compellitur, licet super arris* (g) *nihil expressum est. Pretium autem constitui oportet: Nàm nulla emptio* (h) *sine prætio esse potest.*

1

a DE *emptione &c.* Diximus in titulo proximè præcedenti, quod consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis. Ideò de his contractibus ordinatè acturi, ab emptione, & venditione inchoamus. Emptio, & venditio non sunt duo contractus sed vnus tantùm, qui respectu emptoris vocatur emptio, respectu venditioris venditio. Emptor autem est, qui pretium soluit, & rem accipit: venditor, qui rem tradit, & pretium accipit. Emptio itaque, & venditio est conuentio 2
nuda, qua id agitur vt rei tradendæ dominium in accipientem transeat dato certo pretio. Contrahitur enim solo consensu re & prætio intercedente. Nec emprio, venditio intelligitur, si id agatur, ne dominium transeat ad emptorem *l. penul. §. vlt. ff. de contrahen. empt Cuiac. ad tit. ff. de contrahen. empt.*

b *Emptio, & venditio &c.* Emptio, & venditio contrahitur solo consensu *l. 1. in fine ff. de contrahen. empt.* Quamuis enim ad contrahendam emptionem, & venditionem tria requirantur: consensus, prætium, & merx, seù res, quæ venditur, non 3
tamen ad perficiendum contractum prætij numeratio exigitur, neque rei traditio, sed tantum conuentio de re, & pretio. Benè requiritur prætij numeratio, & rei traditio ad implendum contractum. Igitur emptio, & venditio nudo consensu de re, & pretio perficitur, traditione autem rei impletur ex parte venditoris, & solutione prætij impletur ex parte emptoris. Sed quod solus consensus de pretio sufficiat ad perficiendam emptionem, & venditionem, non obtinet in emptionibus, & venditionibus, quæ ex conuentione partium 4
scriptura conficiuntur: tunc enim non aliter perfectam esse venditionem, & emptionem constituit Iustinianus, nisi scriptura sit omninò perfecta, *l. Contractus 16. C. de fide Instrumentorum.* Neque obtinet si vendantur res, quæ pondere, numero, mensura constant, non vno quidem prætio, sed ad pondus, vel numerum, vel mensuram; tunc enim venditio non

prius

priùs perficitur, quam venditor eas appendat, vel numeret, vel admetiatur emptori. *l. Quod sæpè 35.§. In ijs, quæ ponderefſ. de contraben. empt, l.v. C.de pric. & commodo rei vend.* Neque locum habet in venditione conditionali. Nam conditionales venditiones tunc solùm perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. *l.hæc venditio 7. ff. de contraben. empt.*

c *Nàm quod arræ nomine &c. Gaius in l.quod sæpè 35. in princ.ff.de contraben.empt.* Quod sæpè arræ nomine pro emptione datur, non eo pertinet, quasi sine arra conuentio nihil proficiat: sed vt euidentiùsprobari possit conueniſſe de pretio. 1

d *Constituimus. Hæc Constitutio est l.Contractus 16. C. de fide Instrument.*

e *Nisi & completiones acceperint.* Nisi & perfecta, & partibus assentientibus recitata fuerint.

f *Is qui recusat àdimplere contractũ &c.* Siuè contractus sit imperfectus, siue perfectus DD. communiter putant, quòd is, qui recusat adimplere contractum, perdat tantùm arras, vel eas duplicatas restituat, non autem teneatur actione empti, aut venditi. Pacius tamen hic in Analysi tenet, quòd quando contractus est perfectus, is, qui recusat adimplere contractum, non liberetur arris amissis, aut in duplum restitutis, sed nihilominus teneatur actione empti, aut venditi. 2

g *Licet super arris nihil expressum est.* Hoc est, licet non sit specialiter adiectum quid super ijsdem arris non procedente contractu fieri opporteat. *d.l. Contractus 16. C.de fide Instrum.* 3

h *Nàm nulla emptio &c.* Emptio sine pretio esse non potest. *l.2. ff.de contraben. empt.l.Empti 9.C.eod-* Emptionis enim substantia consistit ex pretio. *l. Pacta conuenta 72. in fine princ. ff. de contraben. empt.* Non tamen pretij numeratio, sed conuentio perficit sine scriptis habitam emptionem, *d. l. 2.*

Ad §. Sed & certum.

Sed & certum (a) *pretium esse debet. alioquin si inter aliquos ita conuenerit, vt quanti Titius rem æstimauerit, tanti sit empta: inter veteres satis abundeque hoc dubitabatur, constaretne venditio, an non. Sed nostra* (b) *decisio ita hoc constituit, vt quoties sic composita sit venditio, Quanti ille æstimauerit, sub hac conditione staret contractus: vt si quidem ipse, qui nominatus est, pretium definierit: omnimodo* (c) *secundum eius æstimationem & pretium persoluatur, & res tradatur, & venditio ad effectum perducatur: emptore quidem* 4

dem ex empto actione, venditore ex vendito agente. Sin autem ille, qui nominatus est, vel noluerit, vel non potuerit pretium definire: tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. Quod ius, cùm in venditionibus nobis placuit: non est absurdum (d) *& in locationibus & conditionibus tracterc.*

a *SED & certum &c.* Certum debet esse pretium vt emptio & venditio consistat. *l. quod sæpè 35. §. Illud constat. ff. de contrahen. empt.* Est autem pretium certum, cuius quantitas taxata est, *l. 1. C. de rer. permut. l. 1. C. de sent. quæ pro eo, quod interest.* Huiusmodi autem emptio, quanti tu eum emisti: quantum pretij in arca habeo, valet. Nec enim incertum est prætium in tam euidenti venditione. Magis enim ignoratur, quanti emptus sit, quam in rei veritate incertum sit pretium *l. hæc venditio 7. §. huiusmodi ff. de contraben. empt.* 1

b *Sed nostra decisio.* Hæc est decisio *l. vlt. C. de contraben. empt.*

c *Omnimodò secundùm eius æstimationem &c.* Imò arbitrio Titij ita demum standum est, si boni viri arbitrio consentiat: alias, si immensum, & immodicum pretium Titius definiret, ad arbitrium boni viri per Iudicem esset redigendum *arg. l. Societatem 77. cum quatuor legibus sequent. ff. Pro socio.* 2

d *Non est absurdum & in locationibus &c.* Idem tamen ante Iustinianum Gaius tradiderat *in l. si merces 28. ff. locati.* Vel dicamus vna cum Cuiacio hic in Verbo, *Nostra decisio*, quod verba supradictæ decisionis Iustiniani Tribonianus ad Gaium appinxit.

3

Ad §. Item pretium.

Item pretium in numerata pecunia consistere debet. Nam in cæteris rebus an pretium esse possit, veluti, an homo, an fundus, aut toga alterius rei pretium esse possit, valdè (a) *quærebatur. Sabinus & Cassius etiam in alia re putant posse pretium consistere, vnde illud est, quod vulgo dicebatur: permutatione rerum emptionem & venditionem contrahi, eamque speciem emptionis & venditionis vetustissimam esse: argumentoque vtebantur Græco Poeta Homero, qui aliquam partem exercitus Achiuorum vinum sibi comparasse ait, permutatis quibusdam rebus, his verbis.* Εὐνῆσιν *&c.* (b) *Diuersæ* (c) *scholæ auctores contra sentiebant, aliùdque esse existimabant permutationem rerum aliud emptionem & venditionem, alioquin non posse rem expediri, permutatis rebus, quæ videatur res venisse, & quæ pretij nomine data esse: nam vtramque videri & venis-* 4

se, & pretij nomine datam esse, rationem non pati. Sed Proculi sententia, dicentis permutationem propriam esse (d) *speciem contractus à venditione separatam, meritò prævaluit: cum & ipse alijs Homericis versibus adiuuabatur, & validioribus rationibus argumentabatur: quod & anteriores* (f) *diui Principes admiserunt & in nostris Digestis* (g) *latius significatur.*

a VAlde quærebatur. De hac quæstione *vide tex. hic, & in l. 1. ff. de contraben. empt.* 1

b Εὖ δ' ἐν &c. Ideſt.

Hinc sibi certatim gentis de more comati
Vina parant Graij ære dato, fulgenteque ferro,
Tergoribusque, bobus sed & ipsis, mancipijsque.

Extant hi versus *lib. 7. Iliados circa finem.*

c *Diuersæ scholæ auctores.* Nerua, & Proculus. *d. l. 1. ff. de contraben. empt.*

d *Propriam esse speciem contractus.* Scilicet innominati.

e *Alijs Homericis versibus.* *Qui extant lib. 6.* Iliados, & latinè sic 2
redduntur.

Iupiter hic Glauco mentem abstulit, aureæ, vt amens,
Arma, boum centum, mutaret cum Diomede
Aerea tunc reddente, nouemque valentia bubus.

f *Quod & anteriores Diui Principes &c.* Diocletianus, & Maximianus, qui rescripserunt, *in l. Emptionem 7. C. de rer. permut.* Emptionem rebus fieri non posse, prædem placuisse.

g *Et in nostris Digestis. In l. 1. ff. de contraben. empt.* 3

Ad §. Cum autem emptio.

Cùm autem (a) *emptio, & venditio contracta sit, quod effici* (b) *diximus, simulatque de pretio conuenerit, cum sine scriptura res agitur: periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si homo mortuus sit, vel aliqua parte corporis læsus fuerit, aut ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint, aut fundus vi fluminis totus vel aliqua ex parte ablatus sit, siue etiam inundatione aquæ aut arboribus turbine deiectis longe minor aut deterior esse cœperit: emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium soluere. Quidquid enim sine dolo, & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sed & si* (c) *post emptionem fundo aliquid per alluuionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum* (d) *eius esse debet, cuius periculum est. Quod si fugerit* 4

gerit homo, qui venit, aut subreptus fuerit, ita ut neque dolus neque culpa venditoris interueniat, animaduertendum erit an custodiam eius vsque ad traditionem venditor susceperit, sanè enim si susceperit (c) *ad ipsius periculum is casus pertinet, si non* (f) *susceperit, securus est. Idem & in cæteris animalibus, cæterisque rebus intelligimus, vtique tamen vindicationem rei,* (g) *& condictionem exhibere debebit emptori: quia sanè qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse* (h) *dominus est. Idem etiam est de furti* (i) *& de damni iniuriæ* (k) *actione.* 1

a *CVm autem emptio &c.* Emptione, & venditione contracta, periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. *l. necessario 8. ff. de peric. & commodo rei vend. l. cum emptor 5. in fine ff. de rescind. vend.* Aduersus hanc regulam opponitur, Quia venditor, qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse dominus est, *vt in fine huius* §. Ergo venditori, non emptori res perire debet, quia 2
res domino perire in dubium non venit, *l. Pignus 8. C. de pignor. act.* Respondetur rem domino perire quoad ius in re, idest, quoad dominum; emptori autem perire ratione iuris ad rem, idest, ratione obligationis, quia venditor liberatur *d. l. cum emptor. 5. in fine* (secundum regulam illam Iuris, Interitu speciei debitor, qui dolo, & culpa caret, liberatur, *l. Si ex legati 23. ff. de verb. oblig.*) Et nihilominus emptori necesse est pretium soluere perinde ac si rem nactus fuisset *tex. hic, l. vlt. C. de peric. & com. rei vend. & d. l. cum emptor 5. in fine Pacius hic Analy.* 3
vbi etiam respondit ad obiectiones, quas facit Cuiacius contra eandem Regulam.

b *Quod effici diximus. An princ. huius tituli.*

c *Sed etsi post emptionem &c.* Id, quod post emptionem fundo accessit per alluuionem: ad emptoris commodum pertinet. *l. Id, quod 7. in princ. ff. de peric. & com. rei vend.*

d *Nam, & commodum &c.* Commodum eius esse debet, cuius periculum est *d. l. Id, quod 7. in princ.* Idque secundum naturam est, *l. Secundum naturam 10. ff. de reg. iur.* 4

e *Sane enim si susceperit &c.* Si venditor rei custodiam vsque ad traditionem susceperit, casus amissionis rei ad ipsius periculum pertinet. Est enim custodia, authore Theophilo hic, diligentissima & penè modum excedens conseruatio.

f *Si non susceperit.* Hoc casu talis custodia desideranda est à venditore, qualem bonus pater familias suis rebus adhibet,

quam si præstitit, & tamen rem perdidit: securus esse debet, vt tamen vindicationem rei, & condictionem exhibeat emptori, *l. Quod sæpe 35. §. Si res vendita ff. de contrahen. empt.*

g *Vtique tamen vindicationem rei &c. Vlpianus in l. Eum, qui emit 14. ff. de furtis.* Eum, qui emit, si non est tradita ei res, furti actionem non habere, sed adhuc venditoris esse hanc actionem, Celsus scripsit. Mandare eum planè oportebit emptori furti actionem, & condictionem, & vindicationem: & si quid ex 1
his actionibus fuerit consecutus, id præstare eum emptori oportebit, quæ sententia vera est.

h *Adhuc ipse dominus est.* Venditor, qui non dum rem emptori tradidit, adhuc ipse dominus est. *l. si vendidero 82. in princ. ff. de furtis.*

i *Idem etiam est de de furti. Papianus in d. l. Si vendidero 82. in princ.* Si vendidero, neque tradidero seruum, & is sine culpa mea surripiatur: magis est, vt furti mihi competat actio: & mea videtur interesse: quia dominium apud me fuit, vel quoniam 2
ad præstandas actiones teneor.

k *Et de damni iniuriæ actione.* Quæ constituitur per legem Aquiliam. *Princ. tit. Instit. de lege Aquilia.*

Ad §. Emptio.

Emptio (a) *tam sub conditione, quàm purè contrahi potest. Sub conditione, veluti, si Stichus* (b) *intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus aureis tot.* 3

à *Emptio &c.* Emptio tam sub conditione, quàm purè contrahi potest. Purè, veluti, vendo tibi Stichum pro decem aureis. Sub conditione, veluti, si nauis ex Asia venerit, Stichus erit tibi emptus aureis decem. Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. *l. Hæc venditio 7. in princ. ff. de contrahen. empt.* Circa venditiones conditionales plura videte *in l. neceſſariò 8. ff. de peric. & com. rei vendit.* 4

b *Si Stichus intra certum diem tibi placuerit &c.* Hæc autem venditio, si volueris, vel si voluero, Stichus erit tibi emptus aureis tot, nulla est *d. l. Hæc venditio 7. in princ. ff. de contrahen. empt. l. In vendentis 13. C. eod.* Nam longe aliud est, si voles: aliud, si res tibi placuerit. Illic differtur obligatio: hic præsens contrahitur, sed tamen sub conditione, si res placuerit.

Et

Et nota, quod inter has formulas, si tibi placuerit, empta res esto: & si tibi displicuerit, inempta esto: illud interest, quod in illa, subconditione emptio contrahitur, vt dictum est: in hac, sub conditione contracta emptio dissoluitur *l. 3. ff. de contraben. empt. H. hic.*

Ad §. Loca sacra. 1

Loca (a) *sacra, vel religiosa, item publica, veluti forum, basilicæ, frustrà quis sciens emit, quæ tamen si pro profanis, vel priuatis deceptus à venditore emerit, habebit actionem ex empto, quod non habere ei liceat, vt consequatur, quod sua interest deceptum non esse. Idem iuris est, si hominem liberum pro seruo emerit.*

a LOca *sacra &c.* Qui rem sacram vel religiosam, aut publicam, vel liberum hominem sciens emit, nihil agit. *l.* 2 *Sed Celsus 6. l. si in emptione 34. §. omnium rerum ff. de contraben. empt.* Qui verò ignorans à venditore deceptus dictas res emit: licet emptio non teneat, habet tamen ex bono, & æquo actionem ex empto aduersus venditorem, vt consequatur, quod sua interest deceptum non esse. *l. qui officij 62. §. Qui nesciens ff. de contraben. empt.*

De locatione (a) & conductione. 3

TITVLVS XXV.

Locatio (b) *& conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque iuris regulis consistit. Nam vt emptio* (c) *venditio ita contrahitur si de pretio conuenerit: sic & locatio & conductio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit, & competit* (d) *locatori quidem locati actio, conductori vero conducti.* 4

a DE *locatione &c.* Primus contractus, qui solo consensu perficitur, est emptio & venditio, de qua dictum fuit in titulo proximè præcedenti. Secundus est locatio, & conductio, de qua meritò nunc sequitur vt videamus, & præsertim post titulum de emptione & venditione subijcitur titulus de locatione, & conductione, quoniam locatio & conductio proxima

xima est emptioni & venditioni, ijsdemque iuris regulis consistit, *vt in princ. huius tituli*. Locatio & conductio non sunt duo contractus, sed vnus tantùm, qui respectu locatoris vocatur locatio, respectu conductoris conductio. Locator est, qui dat aliquid fruendum, vel faciendum: Conductor, qui accipit. Est igitur locatio & conductio, conuentio nuda fruendi, faciendiue aliquid certa mercede. *Cuiac. ad tit. ff. locati conducti.* 1

b *Locatio & conductio &c.* Locatio & conductio proxima est, idest, similis, & affinis, emptioni & venditioni, ijsdemque iuris regulis consistit *l. 2. ff. locati conducti*.

c *Nam vt emptio &c.* Vt emptio & venditio contrahitur sola conuentione de pretio: sic & locatio & conductio sola conuentione de mercede contrahi intelligitur *d. l. 2. ff. locati conducti* Quæ merces pretium quoque dicitur, *l. Si quis ante* 10. *in fine ff. de acquir. vel omitt. poss. l. vlt. §. vlt. ff. ad leg. Rhod. de iactu & in tit.* 2 locati conducti sæpe.

d *Et competit locatori &c.* Locatori aduersus conductorem competit locati actio, conductori verò contra locatorem actio conducti.

Ad §. Et quæ supra.

Et quæ suprà diximus, si alieno arbitrio pretium promissum fuerit, eadem & de locatione & conductione dicta esse intelligimus, si alieno arbitrio merces promissa fuerit. Qua de causa si fulloni (b) *polienda curandaue, aut sarcinatori sercienda vestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed posteà tantum daturus, quantum inter eos conuenerit: non propriè* (c) *locatio & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis verbis datur.* 3

a *Et quæ suprà &c.* Sicuti in emptione & venditione pretium debet esse certum, nec valet emptio & venditio, si alieno arbitrio, veluti si arbitrio Titij, pretium promissum fuerit, Titio pretium non definiente: ita in locatione & conductione merces debet esse certa, nec valet locatio & conductio si alieno arbitrio, veluti si arbitrio Titij, merces promissa fuerit, Titio mercedem non definiente. *tex. hic iuncto* §. Sed & certum *de empt. & vend.* Vbi de hac re plenè dictum fuit. 4

b *Si fulloni polienda &c. l. Si tibi polienda 24. ff. de præscriptis verbis.*

c *Non propriè locatio, & conductio.* Sed contractus innominatus.

Ad

Ad §. Prætereà.

Prætereà sicut vulgò (a) *quærebatur, an permutatis rebus emptio & venditio contraheretur, ita quæri solebat de locatione & conductione, si fortè rem aliquam tibi vtendam siue fruendam quis dederit, & invicem à te aliam rem vtendam siue fruendam acceperit. Et placuit,* (b) *non esse locationem & conductionem, sed proprium* (c) 1
genus esse contractus, veluti, si (d) *cùm vnum bouem quis haberet, & vicimus eius vnum, placuerit inter eos, vt per denos dies invicem boues commodarent, vt opus faccrent: & apud alterum bos pericrit: neque locati, neque conducti, neque commodati competit actio: quia non fuit gratuitum commodatum, verum præscriptis verbis* (e) *agendum est.*

a *Sicut vulgò quærebatur &c. Vt supra de empt. & vend. §. Item pretium.* Vbi fuit definitum, aliud esse permutationem rerum, 2
aliud emptionem & venditionem.

b *Et placuit, non esse locationem,* Quæ enim locatio est, cùm merces non intercesserit? *l. Si conuenerit 23 ff. commun. diuid.*

c *Sed proprium genus esse contractus.* Placuit scilicet propositum negotium esse contractum innominatum, facio vt facias.

d *Veluti, si cum vnum bouem &c. l. Si rem tibi* 19. *§. Si cum vnum bouem ff. de præscrip. verb.*

e *Præscriptis verbis agendum est.* Aduersus eum cuius culpa bos perijt. 3

Ad §. Adeò autem:

Adeò autem (a) *aliquam familiaritatem inter se habere videntur emptio & venditio, item locatio & conductio: vt in quibusdam causis quæri soleat, vtrum emptio & venditio contrahatur, an locatio & conductio, vt ecce de prædijs, quæ perpetuò* (b) *quibusdam fruenda traduntur, idest, vt quandiu* (c) *pensio siue redditus pro his domino præstetur, neque ipsi conductori, neque heredi eius, cuius* 4
conductor heresue eius id prædium vendiderit, (d) *aut donauerit, aut dotis nomine dederit, aliòue quoquo modo alienauerit, auferre liceat. Sed tales contractus: quia inter veteres dubitabatur, & à quibusdam locatio, à quibusdam venditio existimabatur: lex Zenoniana* (e) *lata est, quæ emphyteuseos* (f) *contractus propriam statuit naturam, neque ad locationem,* (g) *neque ad venditionem inclinan-*

clinantem, sed sulspactionibus fulciendam: & si quidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere, ac si natura (h) *talis esset contractus, sin autem* (i) *nihil de periculo rei fuerit pactum: tunc si quidem totius rei interitus accesserit, ad dominum super hoc redundare periculum: sin particularis, ad emphiteuticarium huiusmodi damnum venire: quo iure vtimur.*

a b A *Deò autem &c. l.2.§. Adeò auicm ff.locati & conducti.* 1
Quæ perpetuo. Potest tamen emphyteusis, non solùm in perpetuum, sed etiam ad tempus constitui: videlicet, si prædia fruenda tradantur ad non modicum tempus. *l. vlt.ff. Si ager vectigalis &c.iuncta l.1.§. Quod ait prætor ff.de superfic.*

c *Vt quandiu pensio &c.* Non tamen emphyteuta, si pensionem non soluat, statim expelli potest, sed trienni cessatio exigitur, nisi aliud conuenerit *l.2.C. de Iure emphyt.* Et hoc quidem verum est in emphyteusi priuata: in Ecclesiastica verò potest expelli empyteuta, si per biennium pensionem non intulerit, *cap.* 2
potuit emphytenta 4.§.emphyteuta, de locato & conducto. Et etiam expelli potest emphyteuta si faciat rem deteriorem. *Nouella de alien. & emphyt.cap.* 8.

d *Id prædium vendiderit, aut donauerit &c. Ex Iustiniani Constitutione inl.vlt.C.de Iur.emphyt.* Emphyteuta potest Ius suum vendere, vel non secundùm tenorem pactorum: cessante autem pacto super hoc: non potest emphyteuta ius suum vendere, nisi priùs illud domino obtulerit eodem prætio, quod alius offert: 3
post quam oblationem debet dominum expectare per duos menses, & si dominus non vult emere, sed consentire, debet pro consensu inuestituræ noui emphyteutæ habere quinquagesimam. Et si non vult emere, nec consentire, potest emphyteuta, post dictum tempus, ius suum vendere, personæ tamen non prohibitæ. Sin autem Iustiniani Constitutionem non obseruauerit emphyteuta, sua iura perdit. Donare autem ius suum, & legare, & dotis nomine dare, & pignorari absque domini consensu potest emphyteuta: omni tamen casu, quo res alienatur, quinquagesimam domino præstari plerique putant, 4
quæ sententia rationem habet,

e *Lex Zenoniana lata est &c.* Nota contractum emphyteuticum, ex communi Doctorum sententia, non esse Iuris gentium, sed Iuris Ciuilis. Nam Zeno Imperator, *vt in l.1.C. de Iur. emphyt.* primus constituit, vt emphyteusis proprius, & specialis esset contractus, & propriam naturam haberet.

f *Quæ*

f *Quæ emphyteuseos*. Emphyteusis est insitio, atque plantatio.

g *Neque ad locationem, neque ad venditionem*. Qui tradit prædium in emphyteusim, transfert in emphytheutam dominium vtile, directo retento, *l.* 1. §. *Qui in perpetuum*, & ibi *gl. ff. Si ager vectigalis &c.* Vnde in hoc differt emphyteusis à venditione, & à locatione. A venditione, quia venditor, qui directum, & vtile dominium habet, per traditionem, non tantùm vtile dominiũ, 1 sed etiam directum in emptorem transfert. §. *Venditæ*, *Inst. de rer. diuis.* A locatione, quia in ea, neque directum, neque vtile dominium ad conductorem transfertur. *l. Non solet* 42. *ff. locati & conducti*.

h *Ac si natura talis &c.* Pactiones contractui emphyteutico adiectæ, ità sunt seruandæ, ac si natura talis esset contractus. Ideſt, ac si contractus secundùm suam naturam tales pactiones in se contineret.

i *Sin autem nihil de periculo rei &c.* Emphyteusi contracta, si 2 nihil de periculo rei fuerit pactum, rei totius interitus ad dominum pertinet: partis verò ad emphyteuticarium, *dicta l.* 1. *C. de Iure emphyt.* Si igitur res pereat in totum, non potest amplius dominus ab emphyteuticario pensionem exigere: si vero pars rei pereat, debet nihilominùs emphyteuta integram pensionem domino soluere.

Ad §. Item quæritur.

3

Item (a) *quæritur, si cum aurifice Titius conuenerit, vt is ex auro suo certi ponderis certæque formæ anulos ei faceret, & acciperet, verbi gratia, decem aureos, vtrum emptio & venditio, an locatio & conductio contrahi videatur? Cassius ait, materiæ quidem emptionem & venditionem contrahi, operæ autem locationem & conductionem. Sed placuit, tantùm* (b) *emptionem & venditionem contrahi. Quòd si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constituta: dubium non est, quin locatio & conductio sit.*

4

a *ITem quæritur &c. l.* 2. §. *Adeò autem ff. locati & conducti, l. Sabinus* 20. *ff. de contraben. empt.*

b *Sed placuit tantùm emptionem & venditionem contrahi.* Nec enim potest vlla locatio esse, vbi corpus ipsum, seù materia non detur ab eo, cui id fieret. *dicta l. Sabinus* 20. *ff. de contraben. empt.* Obstare videtur *l. Item si pretio* 25. §. *Cùm insulam ff. locati & con-*

ducti. Vbi dicitur, quod locatio est, cùm insulam ædificandam loco, vt sua impensâ conductor omnia faciat. Respondetur, quod in dicto casu ego aream dedi, vbi insula erat ædificanda, ideoque locatio est: quoniam tunc à me substantia proficiscitur, *dicta l. Sabinus* 20. *ff. de contraben. empt.* Pars enim insulæ area est, & quidem maxima, cui etiam superficies cedit. *l. Qui res suas* 98. §. *Aream ff. de solut. & liber.*

1

Ad §. Conductor.

Conductor (a) *omnia secundùm legem conductionis facere debet, & si quid* (b) *in lege prætermissum fuerit, id ex bono & æquo debet præstare. Qui pro vsu aut vestimentorum, aut argenti, aut iumenti, mercedem aut dedit, aut promisit: ab eo custodia talis desideratur; qualem diligentissimus* (c) *paterfamilias suis rebus exhibet, quam si præstiterit, & aliquo casu eam rem amiserit, de restituenda ea re non* (d) *tenebitur.*

2

a *Conductor &c.* Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet. *l. Si merces* 28. §. *Conductor ff. locati & conducti.* Secundùm legem conductionis. Hoc est, secundùm conuentionem, siue pactum conductionis. Contractus enim ex conuentione legem accipiunt. *l. Contractus* 24. *ff. de reg. iur.* Et nihil magis congruum est fidei humanæ, quàm ea seruare, quæ placuerunt *l.* 1. *in princ. ff. de pactis.*

b *Et si quid in lege &c.* Si quid in lege conductionis prætermissum fuerit, id ex bono & æquo debet conductor præstare. Quoniam conductio est contractus bonæ fidei *l.* 2. *& l. præfcs Prouinciæ* 17. *C. de locato, & conducto.* 3

c *Qualem diligentissimus paterfamilias &c.* Idem est ac si dixisset Iustinianus, Qualem diligens paterfamilias &c. Nulla enim in hoc proposito inter diligentem, & diligentissimum patrem familias, constituenda est differentia. Tenetur igitur conductor de dolo, & culpa lata, & leui, non tamen de casu fortuito. Quid autem sit dolus, & quid culpa, tam lata, quàm leuis, diximus suprà in *tit. de suspect. tut. vel cur. ad* §. *Suspectus autem remotus*. Vide Dominum Bartholomæum Chesium *lib.* 1. *Interpret. Iur. cap.* 45. 4

d *Non tenebitur.* Nisi aliqua eius culpa casus contigerit. *l. Si vt certo* 5. §. *Quòd verò ff. commodati, vel contrà.* aùt nisi periculum in se receperit, *l. Item quæritur* 14. §. *Si gemma ff. locati & conducti, l.* 1. *C. de commodat.*

Ad

Ad §. Vltimum.

Mortuo (a) *conductore intra tempora conductionis, heres* (b) *eius eodem iure in conductione* (c) *succedit.*

a *Mortuo conductore &c. l. Viam veritatis* 10. *C. de locatio, & conducto.*

b *Heres eius.* Idem in locatoris herede dicendum est.

c *In conductione succedit.* Succedit enim heres in vniuersum ius, quod defunctus habuit. *l. hereditas* 63. *ff. de reg. iur.*

De (a) Societate.

TITVLVS XXVI.

Societatem coire solemus aut totorum (b) *bonorum, quam Græci specialiter κοινωνίαν appellant, aut vnius* (c) *alicuius negotiationis, veluti mancipiorum emendorum, vendendorumque, aut olei, vini, frumenti, emendi, vendendique.*

a *De societate.* Tertius contractus, qui solo consensu fit, de quo nunc sequitur vt videamus, est societas. Societas autem est damni & lucri ex consensu facta communicatio honesta & iusta. *Cuiac. ad tit. ff. Pro socio.*

b *Aut totorum bonorum.* In societate omnium bonorum, omnes res, quæ coeuntium sunt, continuò communicantur: itaque & hereditas, & legatum, & quod donatum est, aut quaqua-ratione adquisitum, communioni adquiritur. *l.* 1. 2. *&* 3. *ff. pro Socio.*

c *Aut vnius alicuius negotiationis.* Aut etiam rei vnius. *l. Societas* 5. *ff. Pro socio. Veluti, Gai serui.*

Ad §. Et quidem.

Et quidem (a) *si nihil de partibus lucri & damni nominatim conuenerit, æquales scilicet partes & in lucro & in damno spectantur. Quòd si expressæ* (b) *fuerint partes: hæ seruari debent. Nec enim vnquam dubitatum fuit, quin valeat conuentio, si duo inter se pacti sunt, vt*

ad vnum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant : ad alium tertia.

a *ET quidem &c.* Contracta societate, si nihil de partibus lucri, & damni nominatim conuenerint contrahentes: æquales partes, & in lucro, & in damno spectantur. *l. Si non fuerint 29. in princ. ff. Pro socio.* Intellige æqualitatem, non arithmeticam, qua singuli tantundem præcisè accipiunt, siuè plus, siuè minus in societatem contulerint: sed geometricam, quæ in proportione consistit, adeò, vt eadem sit ratio inter ea, quæ socij conferunt, & lucrum, vel damnum, quod ex societate sentiunt. Exemplum: Si Titius & Seius contraherent societatem, & Titus conferret ducentos aureos, Seius verò centum, eo casu spectarent ad Titium duæ partes lucri & damni, ad Seium vero pars tertia. *Pac. hic in Analy. & Mynsf. sub num. 5.* Quomodo autem lucrum, & damnum computari debat, videbimus in §. sequenti. 1 2

b *Quòd si expressæ fuerint partes &c.* Si lucri & damni partes in contrahenda societate expressæ fuerint: hæ seruari debent. Nec enim vnquam dubium fuit, quin valeat conuentio, si duo inter se pacti sint, vt ad vnum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alium tertia: si modò is, qui duas partes habet, aliquid plus contulit societati, vel pecuniæ, vel operæ, vel cuiuscunque alterius rei. *tex. hic iuncta dicta l. Si non fuerint 29. in princ. ff. Pro socio.* 3

Ad §. De illa.

De illa (a) *sanè conuentione quæsitum est, si Titius & Seius inter se pacti sunt, vt ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia: ad Seium duæ partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conuentio? Quintus Mucius contra naturam societatis talem pactionem esse existimauit, & ob id non esse ratam habendam. Seruius Sulpitius, cuius sententia præualuit, contrà sensit: quia sæpe quorumdam ita pretiosa est opera in societate, vt eos iustum sit conditione meliore* 4 *in societatem admitti. Ndm & ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpe opera* (b) *alicuius pro pecunia valet. Et adeò contra Quinti Mucij sententiam obtinuit, vt illud quoque constiterit posse conuenire, vt quis lucri* (c) *partem ferat, de damno non teneatur, quod & ipsum Seruius conuenienter sibi existima-*

ſtimauit. Quod tamen ita (d) *intelligi oportet, vt ſi in aliqua re lucrum, in aliqua damnum allatum ſit: compenſetione facta, ſolum quod ſupereſt, inielligatur lucri eſſe.*

a *De illa ſanè conuentione &c.* Ex hoc §. Notate, quod inter ſocios valent hæ conuentiones. Prima, vt ad vnum lucri duæ partes pertineant, damni tertia: ad alium duæ partes damni, lucri tertia. Secunda, vt alter pecuniam conferat, alter 1
non conferat, & tamen lucrum inter eos commune ſit. Tertia, vt quis lucri partem ferat, de damno non teneatur. Sanè, ſocietas ità coiri non poteſt, vt alter lucrum tantùm, alter damnum ſentiat: talis enim ſocietas dicitur eſſe leonina, *l. Si non fuerint* 29. §. *Ariſto ff. Pro ſocio*. Quod tamen de lucro, & damno dictum eſt, ita intelligi oportet, vt ſi in alia re lucrum, in alia damnum illatum ſit: compenſatione facta, lucrum intelligatur, quod ſupereſt, omni damno deducto: vel damnum, quod ſupereſt, omni lucro deducto. *text. hic, l. Mutius* 30. 2
ff. Pro Socio.

b *Quia ſæpè opera alicuius pro pecunia valet.* Imò plerumque tanta eſt induſtria ſocij, vt plus ſocietati conferat, quàm pecunia, *dicta l. Si non fuerint* 29. §. 1. *ff. Pro ſocio*. Societatem igitur, vno pecuniam conferente, alio operam, poſſe contrahi, magis obtinuit, *l.* 1. *C. Pro ſocio*.

c *Vt quis lucri partem ferat, de damno non teneatur.* Hæc conuentio ita demum valebit, ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt, *d. l. Si non fuerint* 29. §. 1. 3

d *Quod tamen ita intelligi oportet.* Hoc fuit explicatum ſuprà, in Verbo, *De illa ſanè conuentione &c.*

Ad §. Illud expeditum eſt.

Illud (a) *expeditum eſt, ſi in vna cauſa pars fuerit expreſſa: veluti in ſolo lucro, vel in ſolo damno, in altera verò omiſſa: in eo quoque quod prætermiſſum eſt, eandem partem ſeruari.*

4

a *Illvd expeditum eſt &c.* Quæ pars in vna cauſa, veluti in lucro, damnoue tantùm, inter ſocios fuit expreſſa, eadem in altera cenſetur tacitè repetita.

Ad §. Manet.

Manet autem societas eò vsque donec (a) *in eodem consensu perseuerauerint. At cum* (b) *aliquis renunciauerit societati, soluitur societas. Sed planè si quis* (c) *callidè in hoc renunciauerit societati, vt obueniens aliquod lucrum solus habeat: veluti si totorum bonorum socius, cùm ab aliquo heres esset relictus, in hoc renunciauerit societati, vt hereditatem solus lucrifaceret, cogitur hoc lucrum communicare. Si quid verò aliud lucrifaciat, quod non captauerit, ad ipsum solum pertinet. Ei verò cui renunciatum est, quidquid omnino post renunciatam societatem adquiritur, soli conceditur.* 1

a *Donec in eodem consensu &c.* Non solùm dissensu expresso, sed etiam tacito soluitur societas. Si enim separatim socij agere cœperint, & vnusquisque eorum sibi negotietur: sine dubio ius societatis dissoluitur. *l. Itaque 65. ff. Pro socio.* 2

b *At cùm aliquis renunciauerit &c.* Renunciatione vnius ex socijs soluitur societas. Nemo enim compellitur inuitus in communione manere. *l. vlt. C. commun. diuid.* Cùm discordias communio soleat excitare. *l. Cùm pater 79. §. Dulcissimis ff. de legat. 2.* Si tamen intempestiuè renuncietur societati: datur contra renunciantem actio pro socio. *l. Si conuenerit 14. l. Sed & Socius 17. in fine ff. Pro socio.* Item, si absenti renunciata societas sit, socium liberat qui renunciat, ipse non liberatur, *dicta l. Sed & socius 17. §. Si absenti ff. Pro socio.* Quod si procuratori meo socius meus renunciauerit, erit in potestate mea, an velim ratam habere renunciationem. *l. Actione 66. §. Item scriptum est ff. Pro socio.* 3

c *Sed planè si quis callidè &c.* Cassius scribit: eum, qui dolo malo renunciauerit societati, à se quidem liberare socios suos: se autem ab illis non liberare. Veluti si cùm omnium bonorum societatem iniissemus, deinde cùm obuenisset vni hereditas, propter hoc renunciauit. Ideoque si quidem damnum attulerit hereditas, hoc ad eum, qui renunciauit, pertinebit: Commodum autem communicare cogetur actione pro socio. Quòd si quid post renunciationem adquisierit, non erit communicandum: quia nec dolus admissus in eo est. *l. Actione 66. §. Diximus ff. Pro socio* Ei verò, cui renunciatum est, quidquid omninò post renunciatam societatem adquiritur, soli conceditur. *tex. hic.* Si quid autem detrimenti societati acciderit, eius pars ad eum quoque, qui renunciauit, pertinebit, quia, 4

vt

vt suprà dictum est, qui dolo malo renunciat societati, à se quidem liberat socios suos: se autem ab illis non liberat.

Ad §. Soluitur abhuc.

Soluitur (a) *adhuc societas etiam morte socij: quia qui societatem contrahit, certam personam sibi elegit. Sed & si consensu plurium societas contracta sit: morte vnius socij soluitur, & si plures supersint: nisi in coeunda societate aliter* (b) *conuenerit.* 1

a *Soluitur adhuc societas &c.* Morte vnius socij societas dissoluitur, etsi consensu omnium coita sit, plures verò supersint: nisi in coeunda societate aliter conuenerint: nec heres socij succedit. *l. Actione 66. §. Morte ff. pro socio.* Et adeò morte socij soluitur societas, vt nec ab initio pacisci possimus, vt heres etiam succedat societati, nisi sit societas vectigalium. *leg. Adeò 60. in princ. ff. pro socio.* 2

b *Aliter conuenerit.* Scilicet vt inter superstites firma remaneant.

Ad §. Item si alicuius.

Item, (a) si alicuius rei contracta societas sit, & finis negotio impositus est, finitur societas.

a *Item si alicuius &c.* Si alicuius rei contracta societas sit, finito negotio, finitur societas. *l. Actione 66. §. Item si alicuius ff. Pro socio.* 3

Ad §. Publicatione.

Publicatione (a) *quoque distrahi societatem, manifestum est: scilicet si vniuersa bona socij publicentur. Nàm cùm in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur.*

a *Vblicatione &c.* Finitur societas, si vniuersa bona socij publicentur. Nàm cùm in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur. *d. l. Actione 66. §. Publicatione ff. pro socio.* 4

Ad §. Item si quis.

Item, si quis (a) *ex socijs mole debiti prægranatus, bonis suis cesserit, & ideò propter publica, aut priuata debita, substantia eius væneat, soluti-*

soluitur societas, sed hoc casu, (b) *si adhuc consentiant in societatem, noua videtur incipere societas.*

a *ITem si quis ex socijs &c.* Bonis à creditoribus venditis vnius socij, soluitur societas. *d.l. Actione 66. in princ. ff. Pro socio.*

b *Sed hoc casu &c.* Si post factam bonorum cessionem ab vno ex socijs, consentiant socij in societatem, noua videtur incipere societas: & poterit ille conferre bona post cessionem acquisita Si enim is, qui bonis suis cessit, modicum aliquid post bona sua vendita acquisiuit, iterum eius bona non veneunt, *l. Qui bonis 6. ff. de cess. bon.* 1

Ad §. Socius socio.

Socius (a) *socio vtrum eo nomine tantùm teneatur, pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is, qui deponi apud se passus est: an* 2 *etiam culpæ, ideſt, desidiæ, atque negligentiæ nomine, quæsitum est. Præualuit tamen* (b) *etiam culpæ nomine teneri enm. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam in communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nàm qui parùm diligentem socium sibi adsumit, de se queri, hoc est, sibi imputare debet.*

a *SOcius socio &c.* Socius socio dolum, & culpam præstat: sic tamen, vt sufficiat talem diligentiam in communibus 3 rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nàm qui parùm diligentem socium sibi adsumit, de se queri, hoc est, sibi imputare debet. *l. Socius socio 73. ff. Pro socio.* Ergo si in rebus suis socius sit aliquo modò negligens, & eadem negligentia tractet res communes, de hac leui culpa non tenetur. Quod si negligentior esset in rebus communibus, quàm in suis, non leuem, sed latam culpam committeret. Tenetur igitur socius de dolo, & culpa lata, non etiam de leui. Quid autem sit dolus, & quid culpa, tàm lata, quàm leuis, diximus suprà 4 *in tit. de suspect. tut. vel curat. ad §. Suspectus autem remotus.* Vide *Dominum Chesium lib. 1. Interpret. Iur. cap. 45. num. 24. & seq.*

b *Præualuit tamen etiam culpæ nomine teneri eum. l. Cum duobus 52. §. Venit autem, & d. l. Socius socio 73. ff. Pro socio.*

De

De (a) Mandato.

TITVLVS XXVII.

Mandatum (b) *contrahitur quinque* (c) *modis, siue sua tantùm gratia aliquis tibi mandet, siue sua & tua, siue aliena tantùm, siue sua & aliena, siue tua & aliena. At si tua tantùm gratia mandatum sit, superuacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur.* 1

a DE *mandato &c.* Quartus & vltimus contractus, qui solo consensu fit, est mandatum, de quo nunc restat vt videamus. Mandatum autem est conuentio, qua roganti fides datur procurandi aliquid siue mercede. *Cuiac. ad tit. ff. mandati, vel contra.* 2

b *Mandatum contrahitur &c. l. 2. in princ. ff. mandat. vel contra.*

c *Quinque modis.* Addi potest sextus modus, videlicèt si aliquis tibi mandet sua, & tua, & aliena gratia.

Ad §. Mandantis.

Mandantis tantùm gratia interuenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, vt negotia eius gereres, vel vt fundum ei emeres, vel vt pro eo sponderes. (a) §

a SPonderes. Idest, fideiuberes, *d. l. 2. §. Mea tantum ff. mandati, vel contrà.*

Ad §. Tua gratia.

Tua gratia & mandantis: veluti si mandet tibi (a) *vt pecuniam sub vsuris crederes ei, qui in rem* (b) *ipsius mutuaretur: aut si volente* (c) *te agere cum eo ex fideiussoria causa, tibi mandet, vt cum reo agas, periculo mandantis, vel vt ipsius periculo* (d) *stipuleris ab eo, quem tibi delegет in id, quod tibi debuerat.* 4

a VEluti, *si mandet tibi, vt pecuniam sub vsuris &c.* Hoc casu & tibi prodest id quod agitur, propter vsurarum præstationem, & mandanti, in cuius rem pecunia vertenda est.

b *In rem ipſius* : In rem ipſius mandantis.

c *Aut ſi volente te agere cum eo &c.* Erat enim in electioue creditoris ante Nouellam quartam Iuſtiniani, quem priùs conueniret, fideiuſſorem, an reum principalem, *l.3.& 5.C.de fideiuſſ.& mandat.* Sed ex dicta Nouella 4.fideiuſſor conueniri non poteſt ante reum principalem excuſſum, ſi modò reus principalis præſens ſit, & ſoluendo. Si ergo, ſecundum ius, quod obtinuit ante dictam Nouellam, Titius, volente te agere cum eo 1
ex fideiuſſoria cauſa, tibi mandet, vt cum reo agas periculo ipſius mandantis, Tua gratia, & mandantis interuenit mandatum: Tua inquam gratia, quoniam, agendo cum principali,quod tibi debitum eſt conſequi poteris, mandantis verò, quoniam is præſentem euitat actionem.

d *Vel vt ipſius periculo ſtipuleris ab eo &c.* Hoc caſu tua gratia interuenit mandatum, quoniam ex ſtipulatione agendo cum eo, quem mandans debitor tuus tibi delegauit, quod tibi debitum eſt conſequi poteris, mandantis verò, quoniam in præ- 2
ſens moleſtia liberabitur.

Ad §. Aliena.

Aliena autem cauſa interuenit mandatum: veluti ſi tibi mandet, vt Titij negotiagereres, vel vt Titio fundum emeres, vel vt pro Titio ſponderes. (a)

a *Ponderes*. Ideſt, fideiuberes, *d.l.2.§.Aliena, ff. Mandati, vel contra*. 3

Ad §. Sua & aliena.

Sua & aliena, veluti ſi de communibus ſuis, & Titij negotijs gerendis tibi (a) *mandet, vel vt ſibi & Titio fundum emeres, vel vt pro eo, & Titio ſponderes.*

a *Tibi mandet*. Hoc caſu, tàm tibi, quàm Titio inuicem 4
negotiorum geſtorum competit actio. Ipſi ſanè,qui mandauit, aduerſus te mandati actio eſt: ſed & tibi aduerſus eum contraria, ſi quid fortè ſupererogaſti, *l.Si mandatum 14. C.de negot.geſt.*

Ad

Ad §. Tua & aliena.

Tua, & aliena: veluti si tibi mandet, vt Titio (a) *sub vsuris crederes: quòd si vt sine vsuris crederes, aliena tantùm gratia intercedit mandatum.*

a VT *Titio sub vsuris crederes.* Hic enim & tibi res proderit, propter vsuras: & illi, cuius necessitati succursum erit. *Theoph.* 1

Ad §. Tua gratia.

Tua (a) *gratia interuenit mandatum: veluti si tibi mandet, vt pecunias tuas in emptiones potiùs prædiorum colloces, quàm feneres: vel ex diuersò, vt feneres potiùs, quàm in emptiones prædiorum colloces. Cuius generis mandatum, magis consilium, quàm mandatum est, & ob id non est obligatorium: quia nemo* (b) *ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei cui dabitur: cum liberum cuique sit, apud se explorare, an sibi expediat consilium. Itaque si otiosam* (c) *pecuniam domi te habentem hortatus* (d) *fuerit aliquis, vt rem aliquam emeres, vel eam* (e) *crederes: quamuis non expediat tibi eam emisse, vel credidisse, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeò hæc ita sunt, vt quæsitum sit, an mandati teneatur, qui mandauit tibi, vt pecuniam Titio fenerares. Sed obtinuit Sabini sententia, obligatorium esse in hoc casu mandatum: quia non aliter Titio* (f) *credidisses, quàm si tibi mandatum esset.* 2 3

a TVA *gratia &c. d. l. 2. §. vlt. ff. mandati, vel contrà.*

b *Quia nemo ex consilio &c. Vlpianus in l. Consilij 48. ff. de reg. iur.* Consilij non fraudulenti nulla obligatio est. Cæterum si dolus, & calliditas interceserit: de dolo actio competit.

c *Otiosam pecuniam.* Otiosa pecunia dicitur à Iuris Consultis, quæ in arca iacet, nullum suo domino fructum afferens: eique respondet Occupata. Nam occupare pecuniam alicui, est fœnori apud eum collocare, & quasi exercere, ne otio, & inertia langueseat. *H. hic.* 4

d *Hortatus fuerit aliquis &c.* Hoc casu, etiam si aliter facturus non esses, mandati actio cessat. Non enim qui exhortatur, mandatoris opera fungitur. *l. Ob hæc verba 20. ff. de ijs, qui not. infam.*

e *Vel eam crederes.* Si indefinitè dixerit, Crede pecuniam tuam:

tuam: est consilium. Quòd si certam personam iniecerit: est mandatum, vt sequitur hic in textu.

f *Quia non aliter Titio credidisses.* Videtur ergo, quod hoc casu mandati ita demum actio competat si aliter facturus non esses, *l.Si remunerandi 6.§.Planè, l.Si hereditatem 32. ff.mandati, vel contrà.*

Ad §. Illud quoque. 1

Illud quoque mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est: veluti si Titius de furto, aut de damno faciendo, aut de iniuria facienda tibi mandet. Licet enim pœnam istius facti nomine præstiteris, non tamen (a) *vllam habes aduersus Titium actionem.*

a NON tamen vllam habes &c. Qui verò furtum, aut damnum, aut iniuriam passus est, non solùm mandatarium, sed etiam mandantem furti nomine, aut damni, aut iniuriæ conuenire potest. *l.Si quis vxori 52.§.Neque verbo ff. de furtis, l.damni 18.§.Si pupillus ff.de damno infecto, l.Non solùm 11.in princ.& in §.Si mandatu meo ff.de Iniurijs.* 2

Ad §. Is, qui exequitur.

Is, qui (a) *exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati, vt ecce si quis vsque ad centum aureos mandauerit tibi, vt fundum emeres, vel vt pro Titio sponderes: neque pluris emere debes, neque in ampliorem pecuniam fideiubere: alioquin non habebis cum eo mandati actionem. Adeò quidem vt Sabino & Cassio placuerit, etiam si vsque ad centum aureos cum eo agere volueris, inutiliter* (b) *te acturum. Diuersæ scholæ* (c) *auctores rectè vsque ad centum aureos te acturum existimant, quæ sententia sanè benignior est: quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo mandati actionem: quoniam qui mandat, vt sibi centum aureorum fundus emeretur, is vtique mandasse intelligitur, vt minoris, si posset, emeretur.* 3

4

a IS, qui exequitur &c. Diligenter fines mandati custodiendi sunt. *l.Diligenter 5.ff.mandati, vel contrà.*

b *Inutiliter te acturum.* Paulus in *l.3. ff. eod.* Si mandaui tibi, vt rem aliquam mihi emeres, & pretium statui, tuque pluris emisti: quidam negauerunt, mandati te habere actionem, etiamsi paratus esses id, quod excedit, remittere: namque ini-

iniquum est, non esse mihi cum illo actionem, si nolit: illi verò, si velit, mecum esse. Hoc emendatur *in l.4.ff.eod.* & vt sequitur hic in textu nostro.

c *Diuersæ scholæ auctores. Proculiani l.Sed Proculus 4. ff.mandati, vel contrà.*

Ad §. Rectè quoque.

1

Rectè (a) *quoque mandatum contractum, si dum adhuc integra res sit, reuocatum fuerit, euanescit.*

a *Rectè quoque &c.* Mandatum, si, re adhuc integra, fuerit reuocatum, euanescit. Si ergo mandauero exigendam pecuniam, deinde, re integra, voluntatem mutauero, extinctum est mandatum, finita voluntate. *l.Si verò 12. §. Si mandauero ff.mandati, vel contra l.3. C.eod.* Quod si mandassem tibi, vt fundum emeres, postea scripsissem, ne emeres: & tu, antequam scias me vetuisse, emisset: mandati tibi obligatus ero, ne tu damno afficiaris, qui mandatum suscepisti. *l.si mandassem 15.ff.mandati, vel contra.* 2

Ad §. Item si adhuc.

Item, (a) *si adhuc integro mandato mors alterius interueniat, ideſt, vel eius, qui mandauerit, vel illius, qui mandatum susceperit, soluitur mandatum. Sed vtilitatis* (b) *causa receptum est, si eo mortuo,* 3
qui tibi mandauerat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione: alioquin iusta & probabilis ignorantia tibi damnum adferet. Et huic simile est, quod placuit, si debitores manumisso dispensatore (c) *Titij, per ignorantiam liberto soluerint, liberari* (d) *eos: cum alioquin stricta iuris ratione non possent liberari; quia alij soluissent, quàm cui soluere debuerint.*

a *Item si adhuc &c.* Soluitur mandatum si adhuc integro mandato interueniat mors mandantis, vel mandatarij. *l. Inter* 4
causas 26. in princ.l.Si quis alicui 27.§.Morte, ff.Mandati, vel contrà. Mandatum tamen, quod refertur post mortem, non finitur morte, veluti, si vt post mortem, sibi monumentum fieret, quis mandauit. *l.Si verò 12. §. vlt. ff.mandati, vel contrà.* Vel si mandaui tibi vt post mortem meam heredibus meis emeres fundum, *l.Idem est 13.ff.eod.*

b *Sed*

b *Sed vtilitatis causa &c.* Si mortuo mandante, mandatarius, ignorans eum decessisse, executus fuerit mandatum, vtilitatis causa receptum est mandati actionem competere: ne iusta & probabilis ignorantia mandatario damnum adferat, *Text. hic, l. Inter causas 26. in princ. ff. mandati, vel contrà.*

c *Dispensatore.* Iustinianus hic dispensatorem appellat seruum, qui præerat pecunijs domini sui fœnerandis, & exigendis.

d *Liberari eos. l. Dispensatori 51. ff. de solut. & liber.* 1

Ad §. Mandatum non suscipere.

Mandatum (a) *non suscipere, cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum est, aut quamprimum renunciandum, vt per semetipsum, aut per alium eamdem rem mandator exequatur. Nàm nisi ita renuncietur, vt integra causa mandatori reseruetur, eamdem rem explicandi, nihilominùs mandati actio* (b) *locum habet: nisi iusta causa intercesserit, aut non renunciandi, aut intempestiuè renunciandi.* 2

a *Mandatum non suscipere &c.* Mandatum non suscipere cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum est, aut ita renunciandum, vt integrum ius mandatori reseruetur, vel per se, vel per alium eandem rem commodè explicandi, alioquin mandati actio locum habebit: Nisi iusta causa intercesserit, aut non renunciandi, aut intempestiuè renunciandi. *Text. hic, l. Si mandauero tibi 22. §. vlt. ff. mandati, vel contrà.* Sanè si valetudinis aduersæ, vel capitalium inimicitiarum, seu ob inanes rei actiones, seu ob aliam iustam causam excusationes alleget qui non renunciauit, aut renunciauit intempestiuè: audiendus est. *l. Sanè 23. cum duab. seq ff. eod.* 3

b *Mandati actio locum habet.* Et quanti mandatoris interfit damnabitur qui susceptit mandatum. *l. Si quis alicui 27. §. qui susceptit, ff. mandati, vel contrà.*

Ad §. Mandatum & in diem. 4

Mandatum (a) *& in diem differri, & sub conditione fieri potest.*

a *Mandatum &c.* Mandatum & in diem differri, & sub conditione fieri potest. *l. 1. §. Item mandatum ff. mandati, vel contrà.* In diem differtur: veluti, mando tibi, vt post biennium

nium hoc agas. Sub conditione fit: veluti, Mando tibi, vt si nauis ex Asia venerit, hoc facias. *Theoph.hic.*

Ad §. Vltimum.

In summa sciendum est, mandatum, (a) *nisi gratuitum sit, in aliam formam negotij cadere. Nàm mercede constituta, incipit locatio, & conductio esse. Et vt generaliter dicamus, quibus casibus* (b) *sine* 1
mercede suscepto officio, mandati, aut depositi contrahitur negotium: ijs casibus interueniente mercede, locatio & conductio contrahi intelligitur. Et ideò, si fulloni polienda curandaue vestimenta quis dederit, aut sarcinatori sarcienda, nulla mercede constituta, neque promissa, mandati competit actio.

a Mandatum nisi gratuitum &c. Mandatum gratuitum esse debet, aliàs transit in aliam speciem contractus: mercede enim constituta, incipit locatio, & conductio esse. *l.* 1. §. *vlt.* 2
ff. mandati, vel contra. Honor tamen, seù honorarium, quòd remunerandi gratia datur, non impedit actionem mandati. *l. Si remunerandi* 6. *in princ. ff. mandati, vel contrà.* Sic depositum mercedem non recipit, vt sequitur hic in textu. Pretium tamen depositionis recipere potest, beneficij remunerandi causa. *l.* 2. §. *& generaliter ff. de vi bon. rapt.*

b *Quibus casibus sine mercede &c.* Quibus casibus sine mercede suscepto officio, mandatum, aut depositum contrahitur: ijs casibus interueniente mercede locatio, & conductio contrahi 3
intelligitur. Et ideò si fullòni polienda, curandaue quis dederit vestimenta, aut sarcinatori sarcienda, nulla mercede constituta, neque promissa, erit mandatum. *Text. hic.* Certa verò mercede constituta: erit locatio, & conductio. *l. Si tibi polienda* 24. *ff. de præscript. verb.* Quod si nulla statim mercede constituta dictum fuerit, vt posteà tantum quis daret, quantum inter eos conuenerit: nec locatio, & conductio erit, nec mandatum, sed contractus innominatus. §. *Et quæ supra diximus, Instit. de locat. & conduct. dicta l. si tibi polienda* 24. *ff. de præscrip. Verb.* 4

De

De obligationibus quasi ex contractu.

TITVLVS XXVIII.

Posi genera contractuum enumerata, dispiciamus etiam de ijs obligationibus, quæ non propriè (b) *quidem ex contractu nasci intelliguntur: sed tamen quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur.* 1

a *De obligationibus &c.* Obligationes, aut ex contractu sunt, aut quasi ex contractu, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. §. *Sequens, de obligat.* Cum igitur hucusque dictum sit de obligationibus, quæ ex contractu sunt, sequitur vt dispiciamus de obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur. 2 Obligationes itaque ille, quæ neque ex contractu propriè nascuntur, neque ex maleficio, vel quasi maleficio, quasi ex contractu nasci videntur. *Tex. in princ. huius tituli iuncto dicto §. sequens, de obligat.*

b *Non propriè quidem ex contractu.* Quia non habent conuentionem, sine qua verus contractus esse nequit. *l.* 1. §. *Conuentionis, ff. de Pactis.*

Ad §. Igitur cum quis. 3

Igitur (a) *cùm quis absentis* (b) *negotia* (c) *gesserit, vltrò citròque inter eos nascuntur actiones, quæ appellantur negotiorum gestorum, sed domino quidem rei gestæ aduersus eum, qui gessit, directa* (d) *competit actio: negotiorum autem gestori, contraria: quas ex nullo* (e) *contractu propriè nasci, manifestum est: quippè ita nascuntur istæ actiones, si sine* (f) *mandato quisque alienis negotijs gerendis se obtulerit, ex qua causa ij, quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque vtilitatis causa receptum est, ne absentium,* 4 *qui subita festinatione coacti, nulli de mandata negotiorum suorum administratione, peregrè profecti essent, desererentur negotia: quæ sanè nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Sicut autem is, qui vtiliter gessit negotia, habet obligatum dominum negotiorum: ità & contra iste quoque tenetur, vt administrationis rationem reddat. Quo casu ad exactissimam* (g) *quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec*

sussi-

sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere soleret: si modo alius diligentior eo, commodiùs administraturus esset negotia.

a *Igitur cum quis &c. l. Ex maleficijs 4. §. Si quis absentis ff. de oblig. & act. l. 2. ff. de neg. gest.*

b *Absentis.* Requiritur enim hic absentia. Nam si quis præsens patiatur negotia sua ab alio geri, censetur tacitè mandare, 1
l. Si remunerandi 6. §. Si passus ff. mandati, vel contrà. Adde, & ignorantis. In toto enim hoc tractatu de negotijs gestis, & cùm dicimus agi negotiorum gestorum, semper intelligendum est negotia ab alio gesta, domino non solùm absente, sed etiam ignorante, vt hac ratione sit quasi contractus, non mandatum. *Pac. hic in Analy.*

c *Negotia.* Siue sint negotia extraiudicialia, siue iudicialia.

d *Directa competit actio.* Actio directa negotiorum gestorum competit domino rei gestæ aduersus eum, qui gessit, vt admi- 2
nistrationis rationem reddat. Contraria datur negotiorum gestori aduersus dominum negotiorum, vt præstet ei, qui vtiliter gessit, quidquid eo nomine vel abest ei, vel abfuturum est. *Text. hic iuncta d. l. 2. ff. de neg. gest.* Directa, idest, principalis; Contraria, idest, quæ principalis non est, sed ex contrario in eum datur, cui principalis actio competit. *Cuiac. hic,* in verbo, *Vltrò citròque.*

e *Quas ex nullo contractu &c.* Neque ex contractu, neque ex maleficio hæ actiones nascuntur. Neque enim is, qui gessit, 3
cum absente creditur ante contraxisse: neque vllum maleficium est, sine mandato susципere negotiorum administrationem. Longè minus is, cuius negotia gesta sunt, ignorans, aut contraxisse, aut deliquisse intelligi potest. *d. l. Ex Maleficijs 4. §. Si quis absentis ff. de oblig. & act.*

f *Si sine mandato.* Si enim quis absentis negotia gesserit ex mandato: palàm est, ex contractu nasci inter eos actiones mandati. *d. l. ex maleficijs 4. §. Si quis absentis.*

g *Ad exactissimam quisque diligentiam &c.* Idem est ac si dixisset 4
Iustinianus, Ad exactam quisque diligentiam &c. Nulla enim in hoc proposito, secundum aliquos, constituenda est differentia inter diligentem, & diligentissimum patrem familias, seù, quod idem est, inter diligentiam exactam, & exactissimam. Alij verò, constituendo differentiam inter diligentem, & diligentissimum patremfamilias, dicunt, Regula-

riter negotiorum gestorem præstare diligentiam exactam, *l. Tutori* 20. *C. de neg. gest.* Sed quando alius diligentior eo commodius administraturus erat negotia, præstare exactissimam, vt hoc loco. Vide D. Bartholomæum Chesium *lib.* 1. *Interpret. Iur. cap.* 45.

Ad §. Tutores quoque.

Tutores (a) *quoque, qui tutelæ iudicio tenentur, non propriè ex contractu obligati intelliguntur (nullum enim negotium inter tutorem, & pupillum contrahitur) sed quia sanè non ex maleficio* (b) *tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Et hoc autem casu mutuæ sunt* (c) *actiones. Non solùm enim pupillus cum tutore habet tutelæ actionem, sed ex contrario tutor cum pupillo habet contrariam* (d) *tutelæ, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligauerit.*

a TVtores quoque &c. *l. Ex maleficijs* 4. §. *Tutelæ quoque, ff. de oblig. & act.*

b *Non ex maleficio.* Nec quasi ex maleficio.

c *Mutuæ sunt actiones &c.* Ex hoc quasi contractu duæ nascuntur actiones: Actio tutelæ directa, & actio tutelæ contraria. Directa competit pupillo contra tutorem, finita tutela, vt administrationis rationem reddat. *tex. hic. iuncto* §. *vlt. de Attil. tut. & l. Nisi finita* 4. *ff. de tut. & rat. dist.* Contraria datur tutori contra pupillum, finita tutela, si fortè tutor vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligauerit. *Tex. hic, iuncta l.* 1. §. *finito ff. de cont. tut.* Directa, ideſt, principalis: Contraria, ideſt, quæ principalis non est, sed ex contrario in eum datur, cui principalis actio competit, vt paulò ante dixi de actione directa, & contraria negotiorum gestorum.

d *Tutor cum pupillo habet contrariam tutelæ.* Quanquam enim sine tutoris authoritate pupilli non obligentur, nec in rem suam tutor obligare pupillum possit: attamen receptum est, vt tutori suo pupillus sine tutoris authoritate ciuiliter obligetur, ex administratione scilicet. Etenim prouocandi erant tutores, vt promptius de suo aliquid pro pupillis impendant: dum sciunt se recepturos id, quod impenderint, *l.* 1. *ff. de cont. tut.*

Ad

Ad §. Item si inter aliquos.

Item si inter aliquos communis sit res sine (a) *societate : veluti quod pariter eis legata donataue esset, & alter eorum alteri ideò teneatur communi diuidundo iudicio, quod solus fructus ex ea perceperit, aut quod socius* (b) *eius solus in eam rem necessarias impensas fecerit, non intelligitur propriè ex contractu obligatus, quippe nihil inter se contraxerunt. Sed quia ex maleficio non tenetur:* (c) *quasi ex contractu teneri videtur.* 1

a *Sine societate*. Alioquin obligatio esset ex vero contractu societatis.

b *Socius eius*. Impropriè.

c *Ex maleficio non tenetur*. Nec quasi ex maleficio.

Ad §. Idem iuris. 2

Idem iuris (a) *est de eo, qui coheredi familiæ* (b) *erciscundæ iudicio ex his causis obligatus est.*

a *Idem iuris est &c.* Si igitur v.g. duo sint coheredes, & alter eorum alteri ideò teneatur familiæ erciscundæ Iudicio, quod solus fructus ex re hereditaria perceperit, aut quod alter solus in rem hereditariam necessarias impensas fecerit: non intelligitur propriè ex contractu obligatus quoniam coheredes nihil inter se contraxerunt. Sed quia non ex maleficio, nec quasi ex maleficio tenetur: quasi ex contractu teneri videtur. *tex. hic iuncto §. proximè præcedenti*. 3

b *Familiæ erciscundæ*. Ideſt, hereditatis diuidendæ. Nam antiqui familiam pro hereditate accipiebant: *vt in lege 12. tab. his verbis*: Agnatus proximus familiam habeto. *l. Pronunciatio 195. §. Familiæ ff. de verb. sig.* Erciscere autem est antiquum verbum, quod significat diuidere. 4

Ad §. Heres quoque.

Heres (a) *quaque legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus intelligitur (neque enim cum herede, neque cum defuncto, vllum negotium legatarius gessisse propriè dici potest) & tamen quia*

ex maleficio (b) *non est obligatus heres, quasi ex contractu* (c) *debere intelligitur.*

a HEres quoque &c. l. Ex maleficijs 4. §. heres quoque ff. de oblig. & act.

b *Ex maleficio non est obligatus.* Nec quasi ex maleficio.

c *Quasi ex contractu debere intelligitur.* Etenim videtur heres contrahere, cùm adit hereditatem. *l. 3. in fine ff. Quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* Hoc est, tactiè seſe obligare indicatur ad ſolutionem legatorum, & æris alieni, & propterea legatarius ab herede, quasi cum eo contraxisset, legatum petit actione in perſonam. Possunt tamen peti legata etiam per actionem in rem, & per hypotecariam, vt plenè dixi supra *in penult. & vlt. nota ad §. Sed olim quidem, de legatis.* 1

Ad §. Item is, cui.

Item is, (a) *cui quis per errorem* (b) *non debitum ſoluit, quasi* (c) *ex contractu debere videtur. Adeò enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus, vt ſi certiorem rationem ſequamur, magis* (*vt ſupra* (d) *diximus*) *ex diſtractu, quàm ex contractu poſſit dici obligatus eſſe. Nàm qui ſoluendi animo pecuniam dat: in hoc dare videtur, vt diſtrahat potius negotium, quam contrahat. Sed tamen perinde* (e) *is, qui accepit, obligatur, ac ſi mutuum illi daretur, & idcò condictione* (f) *tenetur.* 2

a ITem is, cui &c. l. Ex maleficijs 4. §. Is quoque ff. de oblig. & act. 3

b *Per errorem.* Per errorem facti. *Vide notata ſupra ad §. Is quoque, Quib. mod. re cont. oblig.* In verbo, *Per errorem.*

c *Quasi ex contractu debere videtur.* Nam is, qui non debitam pecuniam ſoluit, hoc ipſo aliquid negotij geſſit. *l. Si in area 33. ff. de condic. indeb.*

d *Vt ſuprà diximus. In d. §. Is quoquè, Quib. mod. re contr. oblig.*

e *Sed tamen perinde is, qui accepit &c.* Is, qui non debitum accipit, per errorem ſoluentibus obligatur quasi ex mutui datione: & eadem actione tenetur: qua debitores creditoribus, 4
d. l. Ex maleficijs 4. §. Is quoque ff. de oblig. & act. Perinde igitur ei condici poteſt, ſi appatet eum dare oportere, ac ſi mutuum accepiſſet. *d. §. Is quoquè, Quib. mod. re contr. oblig.*

f *Condictione tenetur.* Hæc condictio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum ſine cauſa deprehenditur, reuocare conſueuit. *l. Hæc condictio 66. ff. de condic. indeb.*

Ad

Ad §. Vltimum.

Ex quibusdam tamen causis repeti non potest, quod per errorem non debitum solutum sit. Sic namque definierunt (a) *veteres, ex quibus causis* (b) *inficiando lis crescit, ex his causis non debitum solutum, repeti* (c) *non posse: veluti ex lege* (d) *Aquilia, item ex legato. Quod veteres quidem in ijs legatis locum habere voluerunt, quæ certa constituta* (e) *per damnationem cuicumque legata fuerant, Nostra autem constitutio* (f) *cùm vnam naturam omnibus legatis & fideicommissis indulsit, huiusmodi* (g) *augumentum in omnibus* (h) *legatis, & fideicommissis extendi voluit: sed non omnibus legatarijs hoc præbuit, sed tantummodo in ijs legatis & fideicommissis quæ sacrosanctis* (i) *Ecclesijs, & ceteris venerabilibus locis quæ religionis,* (k) *vel pietatis* (l) *intuitu honorificantur, derelicta sunt: quæ si indebita soluantur, non repetuntur.* (m) 1

2

a *Definierunt veteres.* Pro regula tradiderunt veteres.

b *Ex quibus causis inficiando lis crescit.* Idest, ex quibus causis inficiatio debitoris auget condemnationem.

c *Repeti non posse.* Ratio esse videtur, quia, qui ex his causis soluit, dum vult vitare dupli periculum, cum aduersario transegisse præsumitur. *Cuiac. hic.*

d *Veluti ex l. Aquilia.* Nam si quis damnum mihi dederit, habeo aduersus eum actionem ex lege Aquilia. Sin verò cum poscerem vt damnum mihi resarciret, inficiatus fuerit se quidquam 3
debere, deinde fuerit conuictus, duplum soluere cogetur. Si quis ergo cum mihi damnum non dedisset, sed dedisse se putaret, id quod non debebat mihi soluerit, non repetet quod dederit. *Theoph. hic.*

e *Quæ certa constituta, per damnationem &c.* Certum legatum est, si dixero: Damno te heres, illi dare centum aureos. Nam si dixero, Damno te dare ea, quæ in arca sunt, quoniam quantitas eorum non apparet, incertum legatum est. In certis igitur legatis, quæ cuicunque personæ per damnatio- 4
nem relicta erant, heres, qui debitum inficiabatur, conuictus, duplum soluebat. Quod si cum non deberet tibi, per errorem tamen quasi deberet, soluisset: repetitionem eius non habebat. *Ex eodem Theoph.*

f *Nostra autem Constitutio.* Hæc Constitutio in Codice, quo nunc vtimur, desideratur.

g *Huius-*

g *Huiusmodi augumentum*. Quod ex inficiatione descendit.

h *In omnibus legatis*. Siue per vindicationem, siue per damnationem, vel alio modo relictis.

i *Quæ sacrosanctis Ecclesijs &c.* Actio, quæ de ijs comperit, quæ relicta venerabilibus locis sunt: non solùm inficiatione duplicatur, sed etiam si heres distulerit relicti solutionem, vsque quo iussu magistratuum conueniatur. §. *Sed furti quidem, Instit. de actionibus.* 1

k *Religionis*. Veluti Ecclesijs, aut Monasterijs.

l *Pietatis*. Veluti Xenodochijs, Orphanotrophijs.

m *Non repetuntur*. Propterea, quod heres, qui ea verè deberet, per inficiationem ad duplum soluendum cogendus esset. Dum igitur, ea soluendo, vult vitare dupli periculum, cum ecclesia transegisse præsumitur, vt suprà dixi.

Per quas (a) personas nobis obligatio adquiritur. 2

TITVLVS XXIX.

Expositis generibus obligationũ: quæ ex contractu vel quasi ex contractu nascuntur: admonendi sumus adquiri nobis non solùm (b) *per nos met ipsos, Sed etiam per eas personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per seruos & filios nostros: vt tamen, quod per seruos quidem nobis adquiritur, totum* (c) *nostrum fiat: quod autem* (d) *per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit adquisitum, hoc diuidatur secundum imaginem rerum proprietatis & vsusfructus, quam nostra discrenit Constitutio* (e) *vt quod ab actione commodum perueniat, huius vsumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio seruetur, scilicet parte actionem mouente secundùm nouellæ nostræ* (f) *Constitutionis diuisionem.* 3

a *Per quas personas &c.* Obligatio, non solùm per nos met ipsos, sed etiam per alias quasdam personas nobis adquiritur. Expositis igitur generibus obligationum, quæ ex contractu, vel quasi ex contractu nascuntur: videamus per quas personas nobis obligatio adquiritur. 4

b *Non solum per nos met ipsos &c.* Obligatio, non solùm per nos met ipsos, sed etiam per eas personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per seruos & filios nostros, nobis adquiritur.

c *Totum nostrum fiat.* Quod per seruos nostros nobis ex obligatione adquiritur totum nostrum fit. Itaque, cum seruo nostro quid debetur, nos soli agimus, propterea quod seruus legitimam personam standi in iudicio non habet, vt pote, qui iure Ciuili pro nullo habetur, *l. quod attinet 33. ff. de reg. Iur.*

d *Quod autem per liberos &c.* Quod per liberos, quos in potestate habemus ex obligatione fuerit adquisitum, hoc ita debet diuidi, vt quod ab actione commodum proueniat, huius vsus 1
fructus quidem nobis debeatur, proprietas autem filijs seruetur *l. Cum oportet 6. C. de bon. quæ liber.* Et hoc obtinet in aduentitijs. In profectitijs, ea, quæ per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione adquiruntur, tota nostra fiunt, & Castrensia, vel quasi castrensia peculia pleno iure ad filios familias pertinent. Itaque ex causis castrensibus, vel quasi castrensibus filius familias pleno iure sibi actiones adquirit: ex profectitijs, actiones pleno iure adquirit patri, filio tamen vtiles actiones dantur absente patre: ex aduentitijs verò, si pater 2
vsumfructum respuat, filius agit consensu patris: si amplectatur, ipse agit consensu filij. *l. vlt. §. Et filius & §. Vbi autem in vnum C. de bonis, quæ liber.* vel etiam agit filius absente, aut permittente patre. Vide ea, quæ circa adquisitionem dominij notata sunt suprà ad *§. Igitur liberi, Per quas person. nob. adquir.* Eadem enim est ratio dominij & obligatinis, quantùm ad acquisitionem.

c *Constitutio.* *Dicta l. Cum oportet. 6. C. de bon. quæ liber.*

f *Nostræ Constitutionis.* Intelligit Iustinianus, *d. l. vlt. C. de bon.* 3
quæ lib.

Ad §. Item per liberos homines.

Item per liberos (a) *homines, & alienos seruos, quos bona fide possidemus, adquiritur nobis: sed tantum ex duabus causis, ideſt, si quid ex operibus suis, vel ex re nostra adquirant.*

a *Item per liberos homines &c.* Per liberos homines, & alienos 4
seruos, quos bona fide possidemus, obligatio nobis adquiritur ex operibus suis, vel ex re nostra. Extra verò eas causas ij: qui à nobis bona fide possidentur, vel sibi, si liberi sunt: vel domino, si serui sunt, obligationem adquirunt, *tex. hic iuncto.* §. de ijs autem seruis, *Per quas person. nob. adquir.*

Ad

Ad §. Per eum quoque.

Per eum quoque (a) *seruum, in quo vsumfructum, vel vsum* (b) *habemus, similiter ex duabus istis causis nobis adquiritur.*

a PEr eum quoque &c. Seruus, in quo vsumfructum habemus, nobis obligationem adquirit ex operibus suis, vel ex re nostra. Sed extra eas causas, eam adquirit domino proprietatis: *tex. hic, iuncto dict. §. de ijs autem seruis, Per quas person. nob. adquir.* 1

b *Vel vsum.* Quidam Codices non agnoscunt hæc verba (vel vsum.)

Ad §. Communem seruum.

Communem (a) *seruum pro dominica* (b) *parte dominis adquirere certum est, excepto eo, quod vni nominatim stipulando, aut per traditionem accipiendo, illi soli adquirit: veluti cùm ita stipulatur, Titio domino meo dare spondes? Sed si vnius* (c) *domini iussu seruus fuerit stipulatus, licet antea dubitabatur: tamen post nostram* (d) *decisionem res expedita est, vt illi tantùm adquirat, qui hoc ei facere iussit, vt suprà* (e) *dictum est.* 2

a COmmunem seruum &c. *l. Seruus communis 5. ff. de stipul. serv.* 3

b *Pro dominica parte.* Pro parte, qua dominium in eo habent. *d. l. seruus communis.* Vide notata supra *ad §. vlt. de stipul. serv.* In verbo, *Pro portione dominij.*

c *Sed si vnius domini iussu &c.* Cùm seruum communem vnus ex dominis suo nomine iubet stipulari, plus valet iussum quàm nomen. Cum verò seruum communem simpliciter iubet stipulari, plus valet nomen, quam iussum. Atque ita rectè Azo accipiendam censet. *l. vlt. C. Per quas pers. nob. adquir. Cuiac. ad §. vlt. Instit. de stipul. serv.* Quòd si communis seruus iussus simpliciter ab vno ex dominis stipulationem facere, simpliciter stipulatus sit: tunc ei soli acquirit, qui iussit. *d. l. vlt.* 4

d *Post nostram decisionem. Hæc est decisio d. l. vlt. C. per quas person. nob. adquir.*

e *Vt suprà dictum est. Ind. §. vlt. de stipul. serv.*

Qui-

Quibus modis (a) obligatio tollitur.

TITVLVS XXX.

Tollitur (b) *autem omnis obligatio solutione eius, quod debetur: vel si quis, consentiente* (c) *creditore, aliud pro alio soluerit. Nec tamen* 1
interest, quis soluat: vtrum ipse qui debet, an alius pro eo. liberatur (d) *enim & alio soluente: siue sciente, siue ignorante debitore, vel inuito solutio fiat. Item si reus solucrit, etiam ij,* (e) *qui pro eo interuenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fideiussor* (f) *soluerit: non enim solus ipse liberatur sed etiam reus.*

a *Quibus modis &c.* Hactenùs dictum est quomodo obligatio per contractum vel quasi contractum constituatur: nunc 2
sequitur vt videamus quomodo ea dissoluatur. Quidquid enim ligatur solubile est. *A. de Nupt. c. 1. collat. 4.* Tollitur autem obligatio, vel ipso iure, veluti modis illis, de quibus in hoc titulo, vel ope exceptionis, de qua infrà in *tit. de exceptionibus*. Ipso iure dicitur tolli obligatio, quando ea omninò extinguitur, ita vt nullæ reliquiæ, vel naturalis, vel ciuilis obligationis durent. Ope verò exceptionis, quando naturalis obligatio sublata est, remanente ciuili, ex qua adhuc competit actio, quæ tamen per exceptionem eliditur: vt si creditor faciat debitori 3
suo pactum de non petendo. *Mynsinger. ad hanc rubricam sub num 5. 6. & 10.*

b *Tollitur autem &c.* Solutione eius, quod debetur tollitur omnis obligatio. Tollitur, inquam, omnis obligatio ipso iure, ita vt nullæ reliquiæ, vel naturalis, vel ciuilis obligationis durent, vt suprà dixi.

c *Vel si quis consentiente &c.* Si quis, consentiente creditore, aliud pro alio soluerit, tollitur omnis obligatio. Igitur aliud pro alio inuito creditori solui non potest, *l. 2. §. 1. ff. de rebus credi-* 4
tis. Sic pars eius, quod debetur, solui non potest inuito creditori, quod satis constat ex principio nostri textus dum dicit: Solutione eius, quod debetur tollitur omnis obligatio: Et ratio est, quia particularis solutio sæpè non minima incommoda habet. *l. 3. ff. famil. ercis.*

d *Liberatur enim &c.* Debitor liberatur & alio pro eo soluente:

siue sciente, siue ignorante debitore, vel inuito solutio fiat. Est enim Iure Ciuili constitutum, licete etiam ignorantis, inuitique meliorem conditionem facere. *l. Soluendo 41. ff. de negotijs gestis, l. solutionem 23. l. Soluere pro ignorante 53. ff. de solutionibus.* Neque aduersatur illa regula, qua traditur, inuito beneficium non dari, *l. Inuito 70. ff. de reg. Iur.* Nàm ea de illis beneficijs intelligenda est, quæ à legibus conceduntur, Cuius rei exempla extant in *l. Pactum 46. ff. de pactis, & in l. Si quis 29. C. eod. H. hic.* 1
Multum tamen interest, an quis vltrò soluat ignorante debitore, an verò eo inuito: quia soluens pro inuito, non potest vlla actione solutum repetere *l. vlt. C. de negot. gest.* Soluens autem vtiliter pro ignorante, habet contra eum negotiorum gestorum actionem. *l. Si ex duobus 9. l. Qui seruum 43. ff. de neg. gest.*

c *Etiam ij, qui pro eo &c.* Si reus soluerit: etiam ij, qui pro eo interuenerunt, liberantur. *l. Cum quis 38. §. De peculio, l. In omnibus 43. ff. de solut.* Et etiam liberantur hypothecæ, & pignora. *dicta l. In omnibus.* 2

f *Si fideiussor soluerit &c.* Si fideiussor soluerit: non ipse solus liberatur, sed etiam reus. Habet tamen fideiussor contra reum Mandati, vel Negotiorum gestorum actionem eius recuperandi causa, quod pro eo soluerit. Vide notata suprà ad §. *Si quid autem, de fideiussoribus.*

Ad §. Item per acceptilationem.

Item per (a) *acceptilationem tollitur obligatio. Est autem acceptilatio,* 3
(b) *imaginaria solutio. Quod enim* (c) *ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri, vt patiatur hæc verba debitorem dicere: Quod ego* (d) *tibi promisi, habes ne acceptum? & Titius respondeat: habeo. Sed & Græcè* (c) *potest acceptum fieri: dummodo sic fiat, vt latinis verbis solet: ἔχεις λαβὼν ὁσαῦτα τόσα ἔχω λαβών. Quo genere* (f) *vt diximus) tantùm eæ soluuntur obligationes, quæ ex verbis consistunt, non etiam cæteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, alijs posse verbis dissolui. Sed & id,* (g) *quod alia* 4
ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolui. Sicut autem (h) *quod debetur, pro parte* (i) *recte soluitur, ita in partem debiti acceptilatio fieri potest. Est autem prodita* (k) *stipulatio, quæ vulgò Aquiliana appellatur, per quam stipulationem contingit, vt omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur. Stipulatio enim Aquiliana

liana nouat omnes obligationes, & à Gallo Aquilio ita composita est. Quidquid (l) *te mihi ex quacunque* (m) *causa dare* (n) *facere oportet,* (o) *oportebitue, præsens, in diemue, quarumque rerum* (p) *mihi tecum actio, quæque aduersus te petitio, vel aduersus te persecutio est,* (q) *eritue: quodue tu mecum habes,* (r) *tenes, possideue, doloue* (s) *malo fecisti, quò minùs possideas: quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuiam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Nigidius. Quod Numerius* (t) *Nigidius Aulo Agerio spopondit, id haberetne à se acceptum Numerius Nigidius Aulum Agerium rogauit. Aulus Agerius Numero Nigidio acceptum fecit.* 1

a *Item per acceptilationem &c.* Per acceptilationem tollitur obligatio. *l. 1. ff. de acceptil.* Tollitur, inquam, obligatio ipso iure, vt suprà dixi ad hanc rubricam.

b *Est autem acceptilatio &c.* Acceptilatio est imaginaria solutio. Est igitur acceptilatio modus ciuilis tollendæ obligationis, so- 2
lutio verò est modus naturalis, *l. penult. ff. de solut.* Nàm in vera & naturali solutione debitor aliquid re ipsa & actu præstat: in acceptilatione verò nihil præstat, sed perinde quasi præstiterit, liberatur. H.

c *Quod enim ex verborum obligatione &c.* Per acceptilationem remitti potest, quod ex verborum obligatione debetur. *l. An inutulis 8. §. Acceptum fieri ff. de acceptil.*

d *Quod ego tibi promisi &c.* Acceptilatio fit per interrogationem debitoris, & congruam creditoris responsionem, veluti: 3
Quod ego tibi promisi, habes ne acceptum? Habeo.

e *Sed & Græcè &c.* Etiam Græcè potest acceptilatio fieri: dummodò sic fiat, vt latinis verbis solet. Quanuis enim acceptilatio verè sit Iuris Ciuilis, vt in *l. penult. ff. de solut.* & ea, quæ Iuris Ciuilis sunt, ciuilibus tantùm, & latinis verbis fieri possint, tamen, vt *Vlpianus ait in l. An inutilis 8. §. vlt. ff. de acceptil.* hoc Iure vtimur, vt iuris gentium sit acceptilatio. Ex Quibus verbis optimè infertur, vtilitatis causa receptum fuisse, vt contra Iuris Ciuilis regulas, non tantùm latinè, sed & Græcè fie- 4
ret acceptilatio.

f *Quo genere &c.* Per acceptilationem soluuntur tantùm verborum obligationes, non etiam cæteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, alijs posse verbis dissolui. *tex. hic, d. l. An inutilis 8. §. Acceptum fieri ff. de acceptil.* Cùm nihil sit tam naturale, quàm eo genere quòdque dissoluere, quo

colligatum est. *l. Nihil tàm naturale 36. ff. de reg. iur.* Si ergo accepto latum fuerit ei, qui non verbis, sed re obligatus est: non liberabitur. Poterit tamen exceptione doli mali, vel pacti conuenti se tueri. *l. Si accepto latum 19. ff. de acceptil.*

g *Sed & id, quod ex alia causa &c.* Id, quod ex alia causa, quàm ex verborum obligatione debetur: veluti ex obligatione contracta re, literis, aut consensu: potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolui. 1

h *Sicut autem quod debetur &c.* Sicut autem quod debetur, pro parte rectè soluitur: ità in partem debiti acceptilatio fieri potest. *l. Si stipulatus 9. §. Qui decem ff. de solut. iuncta l. pars stipulationis 9. ff. de acceptil.*

i *Pro parte rectè soluitur.* Creditori volenti. Non enim cogitur creditor pro parte debitum accipere, *l. Tutor 41. §. 1. ff. de vsuris, l. Obsignatione 9. C. de solut.* Nisi cum de alia parte dubitatur, & debitor paratus est litigare, *l. Quidam 21. ff. de reb. cred.* Vide *Pacium Legum Conciliatar. Centur. 3. quæst. 70.* 2

k *Est autem prodita stipulatio &c.* Per Aquilianam stipulationem generaliter omnes obligationes, quæ sunt ex alia causa, quàm ex verborum obligatione, possunt simul in stipulationem deduci, nouarique, & per acceptilationem dissolui. *l. Et vno 18. ff. de acceptil. l. Aquiliana 4. ff. de transact.*

l *Quidquid te mihi &c.* Verba huius formulæ Aquilianæ habemus etiam apud Florentinum in *l. Et vno 18. §. 1. ff. de acceptil.* Constat autem hæc formula ex duabus partibus: ex nouatione per stipulationem vsque ad *vers. Quod Numerius Nigidius: & ex* 3
acceptilatione in dicto vers.

m *Ex quacunque causa.* Siue ex contractu, vel quasi ex contractu, siue ex maleficio, vel quasi ex maleficio.

n *Dare facere.* Obligationum aliæ in dando, aliæ in faciendo consistunt. *princ. tit. Instit. de Verb. oblig. l. 2. in princ. ff. eod.* Quod vtrunque genus hac formula ita comprehenditur, vt tamen coniuncta etiam pro disiunctis accipi possint: & satis sit alterutrum probari. *l. sæpè 53. ff. de Verb. sig. H. hic.* Imò quanquam multa in Aquilianæ stipulationis formula verba exprimantur, 4
non tamen opus est creditorem omnibus verbis in ea comprehensis sic vti, vt in eadem referuntur, sed satis est debitorem interrogari de sua obligatione. Quid enim, si tantùm facere, vel date tenearis? Vtrunque sanè frustra comprehenderetur. *Mynsi. hic sub num. 21.*

o *Oportet, oportebitue, præsens, in diemue.* His verbis comprehen-

hendit Aquilius omnem obligationem, puram, in diem, vel sub conditione. Addere quidam in textu (aut sub conditione) Sed & quæ sub conditione debentur postremo verbo (in diemue) comprehendi possunt, perinde ac si dictum fuisset, vel in præsentia, vel in posterum.

p *Quarumque rerum mihi tecum actio &c.* Actio, propriè loquendo, in personam infertur, petitio in rem, persecutio in rem, vel in personam, rei persequendæ gratia, *l. Actio in personam 27. ff. de oblig. & act.* vide *l. Pecuniæ verbum* 178. §. *Actionis verbum ff. de Verb. sig.* 1

q *Est, eritue.* Propter obligationem puram, in diem, vel conditionalem, de qua suprà mentio facta est.

r *Habes, tenes, possidesne.* Habere, est verbum generale: Tenere, est facti: Possidere, etiam iuris est, *l. Stipulatio ista 38. ff. de Verb. oblig. Mynsi. & Baro hic.*

s *Dolove malo &c.* Etenim parem esse conditionem oportet eius, qui quid possideat, vel habeat: atque eius, cuius dolo malo factum sit, quò minus possideret, vel haberet. *l. 2. §. Hoc interdictum, penult. ff. Ne quid in loco pub. l. Parem esse 193. ff. de reg. iur.* 2

t *Quod Numerius Nigidius &c.* In antiquis libris, quorum etiam auctoritatem Theophilus adiuuat, hic locus sic scriptus est: Item ex diuerso, Numerius Nigidius interrogauit Aulum Agerium: Quidquid tibi hodierno die per Aquilianam stipulationem spopondi, id omne habesne acceptum? Respondit Aulus Agerius: Habeo, acceptumque tuli. Sed ego moderniorum lecturam sequutus sum, tum quia concordat cum Florentino in *l. Et vno 18. ff. de acceptil.* tum etiam quia non est verisimile, quod tam ineptus Aquilius fuerit, vt suum nomen in publicam formulam insertum voluerit. *H. hic.* 3

Ad §. Præterea.

Præterea (a) *nouatione tollitur obligatio: veluti* (b) *si id quod tu Scio debeas à Titio dari stipulatus sit. Nàm interuentu nouæ personæ, noua nascitur obligatio, & prima tollitur translata in posteriorem: adeò vt interdum, licet posterior stipulatio inutilis* (c) *sit, tamen prima nouationis iure tollatur: veluti si id quod tu Titio debeas, à pupillo sine tutoris auctoritate stipulatus fuerit, quo casu* (d) *res amittitur. nàm & prior debitor* (e) *liberatur, & posterior obligatio* (f) *nulla est. Non idem iuris est,* (g) *si à seruo quis fuerit stipulatus. nàm* 4

nàm tunc prior perinde obligatus manet, ac si postea nullus stipulatus fuisset. Sed si eadem persona sit, à qua postea stipuleris: ita demum nouatio fit, si quid in posteriore stipulatione noui sit: fortè si conditio, (h) *aut dies, aut fideiussor adiiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, si conditio* (i) *adiiciatur, nouationem fieri: sic intelligi oportet, vt ita dicamus factam nouationem, si conditio extiterit, alioquin si defecerit, durat prior obligatio. Sed cùm hoc quidem inter veteres constabat, tunc fieri nouationem, cùm nouandi animo in secundam obligationem itum fuerat: per hoc autem dubium erat, quando nouandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc presumptiones alij in alijs casibus introducebant, ideò nostra processit* (k) *Constitutio, quæ apertissimè definiuit, tunc solùm nouationem fieri, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quòd propter nouationem prioris obligationis conuenerunt, alioquin manere & pristinam obligationem, & secundam* (l) *ei accedere: vt maneat ex vtraque causa obligatio secundum nostræ Constitutionis definitionem, quam licet ex ipsius lectione apertiùs cognoscere.* 1 2

a *Præterea nouatione &c.* Nouatione tollitur obligatio. Cùm enim obligatio nouatur, prima obligatio tollitur, & noua constituitur. Vnde in *l. 1. ff. de nouat. & deleg.* definitur nouatio, quod sit prioris debiti in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfusio, atque translatio. Fit autem nouatio dupliciter, aùt enim debitoris persona mutatur, de qua nouatione agitur in principio huius §. aùt eadem persona retinetur, de qua nouatione agitur in hoc eodem §. in *verf. Sed si eadem persona sit.* 3

b *Veluti si id quod &c.* In quibusdam libris legitur: Veluti si id, quod tu Seio debeas, à Titio dari stipulatus sit. In alijs: Veluti si id, quod tibi Seius debebat, à Titio dari stipulatus sis.

c *Inutilis sit.* Quia scilicet obligationem ciuilem non constituat.

d *Quo casu res amittitur.* Hoc est, debitum Tito perit. *Theophilus.* 4

e *Prior debitor liberatur.* Hoc est, Tu, qui Titio debebas, liberaris.

f *Et posterior obligatio nulla est.* Hoc est, inutilis, vt suprà. Pupillus enim qui promisit sine tutoris auctoritate id, quod tu Titio debebas, non obligatur ciuiliter, sed naturaliter tantùm *l. 1. in fine, ff. de nouat. & deleg.*

g *Non*

g *Non idem iuris est, si à seruo &c.* Cuius dissimilitudinis ratio, secundum aliquos, hæc est, quoniam seruus, qui promittit, quod alius debet, naturaliter non obligatur. Sed, secundum alios, dicendum est, non id nouationi sufficere, quod vel naturalis obligatio nascatur, sed etiam persona vt aliqua sit, requiri. At seruus in Iure Ciuili personam non habet, *l. quod attinet 33. ff. de reg. Iur.* Et huius sententiæ auctor est *Theophilus*. 1

h *Fortè si conditio, aut dies &c.* Si nouandi animo stipulor à te, qui ex obligatione, quæ re contrahitur, aut literis, aut consensu mihi debebas, aut aliqua actione, quæ ex quasi contractu descendit, tenebaris, dubium non est, quin nouatio contingat, etiam si conditio, aut dies, aut fideiussor non adijciatur, neque detrahatur primæ obligationi. *Ex eod. Theoph. hic.*

i *Si conditio adijcitur.* Quoties quod purè debetur, nouandi causa sub conditione promittitur: non statim fit nouatio, sed tunc demum cùm conditio extiterit. Sed si quod sub conditione debetur, purè quis nouandi causa stipuletur: nec nunc quidem statim nouat, licet pura stipulatio aliquid egisse videatur: sed tunc nouabit, cùm conditio extiterit. Etenim existens conditio primam stipulationem committit, commissamque in secundam transfert. *l. Quoties 14. ff. de Nouat. & deleg.* 2

k *Ideò nostra processit Constitutio.* Ex hac Iustiniani Constitutione, quæ est *l. Vlt. C. de nouat. & deleg.* Tunc solùm nouatio fit, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quòd fieret nouatio. Alioquin & pristina obligatio manet, & secunda ei accedit. 3

l *Et secundam ei accedere.* Ità tamen vt semel tantùm petatur. *l. Qui bis 18. ff. de verb. oblig.* Nàm bona fides non patitur, vt bis idem exigatur. *l. Bona fides 58. ff. de reg. Iur.*

Ad §. Hoc ampliùs.

4

Hoc ampliùs, (a) *eæ obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluuntur. Nàm si Titius & Seius inter se consenserint, vt fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureis: deinde re nondum secuta, ideſt, neque pretio soluto, neque fundo tradito, placuerit inter eos, vt discederetur ab ea emptione & venditione: inuicem* (b) *liberantur. Idem est in conductione,*

&

(c) *& locatione, & in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt.*

a HOC *amplius, eæ obligationes &c.* Obligationes, quæ nudo consensu contrahuntur, dissensu contrario dissolunntur. *l.Prout* 80. *ff.de solut. l.ab emptione* 58. *ff.de pactis . l.3. ff.de rescind. vend. l.1. C.Quando liceat ab empt.disced.* Nihil enim tam naturale est, quàm eo genere quidquid dissoluere, quo colligatum est. *l.Nihil tam naturale* 36. *ff.de reg.Iur.* 1

b *Inuicem liberantur*. Nàm nec Seius Titio centum aureos soluere tenetur, nec Titius compellitur Seio fundum Tusculanum tradere, sed obligatio, qua inuicem obstricti erant, contrario consensu dissoluitur.

c *Idem est in conductione &c. dicta l.ab emptione* 58. *ff.de pactis*.

Finis Libri Tertij Institutionum.

AVRELII

AVRELII AVGVSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Publici Bartoli Interpretis 1

AD LIBRVM QVARTVM INSTITVTIONVM FL. IVSTINIANI CÆSARIS

Notæ, seù Breues Commentarij. 2

De Obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.

TITVLVS PRIMVS.

Cum expositum (a) *sit superiore libro de obligationibus ex contractu, & quasi ex contractu: sequitur, vt de obligationibus ex maleficio* 3
dispiciamus. Sed illæ (b) *quidem (vt suo loco tradidimus) in quatuor genera diuiduntur, hæ* (c) *verò vnius generis sunt, nam omnes* (d) *ex re nascuntur, ideſt, ex ipso maleficio; veluti ex furto, aut rapina, aut damno, aut iniuria.*

a 

VM expositum sit &c. Obligationes aùt ex contractu sunt, aùt quasi ex contractu, aùt ex maleficio, aùt quasi ex maleficio. §. *Sequens, de obligat.* Cùm igitur sit expositum libro superiore de obligationibus ex contractu, & quasi ex contractu: sequitur, vt de obligationibus ex maleficio dispiciamus: & subsequenter de obligationibus, quæ sunt quasi ex maleficio. 4

b *Sed illæ quidem &c.* Obligationes, quæ ex contractu sunt in quatuor genera diuiduntur. Aùt enim re contrahuntur, aùt

verbis, aùt literis, aùt consensu, *d. §. sequens, de oblig.*

c *Hæ verò vnius generi sunt &c.* Obligationes ex maleficio vnius generis sunt, nam omnes ex re nascuntur, ideſt, ex ipso maleficio: veluti ex furto, aùt rapina, aùt damno, aut iniuria, *tex. hic, l. ex maleficijs 4. ff. de oblig. & act.* Hæc verò sunt priuata maleficia quatuor. Alia sunt delicta publica, de quibus videbimus infrà in *tit. de public. Iudic.*

d *Nàm omnes ex re nascuntur.* Sed iniuria, inquis, fit etiam verbis: veluti si cui conuicium factum fuerit, *l. 1. §. Contumeliam ff. de Iniurijs*: fit etiam literis: veluti famosis libellis, *l. lex Cornelia 5. §. Si quis librum ff. de Iniurijs.* Ita est, sed verba, & literæ, non pro solemnibus verbis, aut literis, vt cùm de verborum, aut literarum obligationibus loquimur, sed pro conuicio, & famoso libello in tractatu iniuriarum vsurpantur: & res sunt, ideſt maleficia. *Baro hic.* 1

Ad §. Furtum. 2

Furtum (a) *est contrectatio rei fraudulosa*, (b) *lucri faciendi gratia, vel ipsius* (c) *rei, vel etiam vsus eius, possessionisue, quod lege naturali* (d) *prohibitum est admittere.*

a *Furtum est contrectatio rei. l. 1. §. vlt. ff. de furtis.* Rem contrectare nihil aliud est, quàm rem loco mouere, *l. 3. §. Si rem, ff. de acquir. vel omit. possess.* Vnde sequitur, Primo quod sola cogitatio furti faciendi non facit furem, *l. 1. §. Inde sola ff. de furtis.* Quare qui furti faciendi causa conclaue intrauit: nondum fur est, quanuis furandi causa intrauerit: iniuriarum tamen, aut de vi accusabitur, si per vim introiuit, *l. Vulgaris 21. §. Qui furti ff. de furtis.* Sequitur Secundo furtum rei mobilis tantùm fieri, non etiam immobilis. §. *Quod autem, il 2. de Vsucap.* Solæ enim res mobiles possunt contrectari, non etiam immobiles. Sequitur Tertio furtum in rebus tantùm corporalibus fieri, non etiam in rebus incorporalibus: Solæ enim res corporales, non etiam incorporales contrectari possunt. 3 4
Animaduertendum tamen est aliud esse furtum fieri tantùm in re corporali, quod omnino verum est, aliud fieri tantùm rei corporalis, quod est falsum. Vsus enim & possessionis, quæ incorporalis est, furtum admittitur: Sed hoc fit propter contrectationem, quæ in re corporali versatur.

b *Fraudulosa.* Non enim quæuis contrectatio furem facit, sed ea

ea demum, quæ fraudandi causa facta est: & fraudandi causa, quis dicitur contrectare, cùm lucri faciendi gratia rem contrectat, *l. Qui ea mente 67. ff. de furtis. l. Si mulier 21. §. Si seruus ff. rer. amot.* Et sic verba, quæ sequuntur in definitione, videlicet, lucri faciendi gratia &c. addita sunt pro interpretatione verbi Fraudulosa.

c *Vel ipsius rei, vel etiam usus eius, possessionisue.* Hæc verba reguntur ab antecedentibus verbis, lucri faciendi gratia, & sensus est: Furtum est contrectatio rei, causa lucrandi, vel ipsam rem, vel eius vsum, possessionemue. 1

d *Quod lege naturali prohibitum est admittere.* Furtum enim natura turpe est, *l. probrum 42. ff. de verb. sig.*

Ad §. Furtum autem.

Furtum (a) *autem, vel à furuo, ideſt, nigro, dictum est, quòd clàm* (b) *& obscurè fiat, & plerumque nocte: vel à fraude, vel à ferendo, ideſt, auferendo, vel à Græco sermone, qui φῶρας appellan fures. Imò & Græci ἀπὸ τῦ φέρειν, φῶρας, dixerunt.* 2

a FVrtum autem &c. *l. 1. ff. de furtis.*

b *Quòd clàm, & obscurè fiat.* Furtum clàm, & obscurè fit, & plerunque nocte, *d. l. 1.* Vnde in hoc distinguitur furtum à rapina, quæ fit palàm.

Ad §. Furtorum autem. 3

Furtorum (a) *autem genera duo sunt: manifeſtum, & nec manifeſtum. Nàm conceptum* (b) *& oblatum, species potiùs actionis sunt, furto cohærentes, quàm genera furtorum, sicut inferiùs apparebit. Manifeſtus* (c) *fur est, quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant: nec solùm is, qui in furto deprehenditur, sed etiam is, qui in eo loco deprehenditur, quo furtum fit: veluti qui in domo furtum fecit, & nondum egreſſus ianuam deprehensus fuerit: & qui in oliueto oliuarum, aut in vineto vuarum furtum fecit, quamdiu in eo oliueto, aut vineto fur deprehensus sit. Imò vlterius furtum manifeſtum extendendum est, quamdiu eam rem fur tenens, visus,* (d) *vel deprehensus fuerit, siue in publico, siue in priuato, vel à domino, vel ab alio,* (e) *antequam eò peruenerit, quò perferre ac deponere rem deſtinasset. Sed si pertulit* (f) *quò deſtinauit, tametsi deprehendatur cum re furtiua, non est manifeſtus fur. Nec* (g) *manifeſtum furtum quid sit, ex* 4

ijs, quæ diximus, intelligitur; nam quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est.

a *Furtorum autem &c.* Furtorum genera duo sunt, manifestum, & nec manifestum, *l.2. ff. de furtis.*

b *Nàm conceptum &c.* Conceptum, & oblatum species potiùs actionis sunt furto cohærentes, quàm genera furtorum. Idem dicendum de prohibito, & non exhibito. De istis actionibus 1
vide *Caluan. de vsufr. cap.15. num.6.*

c *Manifestus fur est &c.* Manifestus fur est is, qui in ipso furto deprehenditur, aut in eo loco, vbi furtum fecit. Imò etiam fur manifestus est is, qui cum re furtiua visus, vel deprehensus fuit: siue in publico, siue in priuato, vel à domino, vel ab alio, antequam eo peruenirent, quò rem perferre, ac deponere destinauerat, idest, quò destinauerat eo die manere cum eo furto. *tex. hic, l.3.4.& 5. ff. de Furtis.*

d *Visus.* Et fugatus: nec enim satis est furem videre, nisi ad 2
comprehendendum eum accurramus, *l. Si quis 7. ff. de furtis. Et Cuiacus obseruat. lib.11. cap.38.* existimat visum furem non aliter pro manifesto haberi, quàm si dominus qui vidit viso acclamauerit.

e *Vel ab alio.* Gerente negotium domini, non à quolibet alio. *Idem Cuiac hic.*

f *Sed si pertulit &c.* Si rem fur pertulerit, quò destinauit: tametsi deprehendatur cum re furtiua, non tamen est manifestus fur. *l. Sine igitur 5. ff. de furtis* 3

g *Nec manifestum &c.* Nec manifestum furtum quid sit, ex ijs, quæ diximus, intelligitur. Nàm quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est. *l. Nec manifestum 8. ff. de furtis.* Igitur nec manifestum furtum qid sit, ex supradicta manifesti furti definitione, apparet: Contrarium enim ex contrarij sui definitione intelligitur, *dicta l.8. ff. de furtis.*

Ad §. Conceptum. 4

Conceptum (a) *furtum dicitur, cùm apud aliquem testibus præsentibus furtiua res quæsita & inuenta sit: nam in eum propria actio constituta est, quamuis fur non sit, quæ appellatur conceptí. Oblatum* (b) *furtum dicitur, cùm res furtiua ab aliquo tibi oblata sit, eaque apud te concepta sit: vtique si ea mente tibi data fuerit, vt apud te potiùs, quàm apud eum, qui dedit, conciperetur. Nàm tibi, apud*

quem

quem conceptasit, propria aduersus eum, qui obtulit, quamuis fur non sit, constituta est actio, quæ appellatur oblati. Est etiam (c) *prohibiti furti actio aduersus eum, qui furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit. Pratered pœna constituitur edicto prætoris per actionem* (d) *furti non exhibiti, aduersus eum, qui furtiuam rem apud se quæsitam & inuentam non exhibuit. Sed hæ* (e) *actiones, ideſt, concepti & oblati, & furti prohibiti, necnon furti non exhibiti, in desuetudinem abierunt. Cùm enim requisitio* (f) *rei furtiuæ hodie secundum veterem obseruationem non fiat: meritò ex consequentia etiam præfatæ actiones ab vsu communi recesserunt: cùm manifestissimum sit, quòd omnes,* (g) *qui scientes rem furtiuam susceperint, & celauerint, furti nec manifesti obnoxij sunt.* 1

a *Conceptum furtum &c.* Concepti actione is tenetur, apud quem furtum quæsitum, & inuentum est. *Paulus Recept. Sent. lib. 2. tit. de furtis.*

b *Oblatum furtum &c.* Oblati actione is tenetur, qui rem furtiuam alij obtulit, ne apud se inuenirerur, *Paul. vbi supra.* 2

c *Est & prohibiti furti &c.* Prohibiti furti actio aduersus eum datur, qui furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit.

d *Per actionem furti non exhibiti &c.* Actio furti non exhibiti aduersus eum datur, qui furtiuam rem apud se quæsitam & inuentam non exhibuit.

e *Sed hæ actiones &c.* Actiones concepti, & oblati, prohibiti, & non exhibiti, in desuetudinem abierunt. 3

f *Cum enim requisitio rei furtiuæ &c.* Requisitio rei furtiuæ hodie secundum veterem obseruationem non fit. Fiebat autem olim ea requisitio per lancem liciumque. *Gellius lib. 11. cap. vlt. & lib. 16. cap. 10.* de qua Festus in verbo, *Lance*, sic scribit. Lance, inquit, & licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrum familias, aut virginum præsentiam. Aliter tamen hanc rem explicat *Galuan. de vsufruct. cap. 15. num. 6.* 4

g *Omnes, qui scientes &c.* Omnes, qui scientes rem furtiuam suscipiunt, & celant, furti nec manifesti obnoxij sunt.

Ad §. Pœna manifesti.

Pœna (a) *manifesti furti, quadrupli est, tam ex* (b) *serui, quàm ex liberi persona: nec manifesti, dupli.*

a *Pœna manifesti &c.* Pœna manifesti furti, quadrupli est, tàm ex serui, quàm ex liberi persona: nec manifesti, dupli. & pœna furti manifesti prætoria est. §. *Furti, Instit. de perpet. & temp. act.* Nec manifesti, ciuilis, *ex l. 12. Tab. descendens. Gellius lib. 11. cap. 18. vers. Alijs deinde furtis.* Et siuè in duplum, siuè in quadruplum fur condemnetur, hæc est mera pœna, præter quam dominus etiam rem suam surreptam, aut vindicando, aut condicendo, potest recuperare. §. *vlt. h. t.* Et animaduertite, quod hæc pœna dupli, vel quadrupli, est pœna, quæ iudicio ordinario, ideſt, priuato, seù ciuili, irrogatur: nam de furto etiam extra ordinem, ideſt, criminaliter, agi potest, *l. vltima, ff. de furtis.* 1 2

b *Tam ex serui.* Domino tamen damnato permittitur ipsum hominem dare pro noxa. *princ. tit. Instit. de noxal. act.*

Ad §. Furtum autem fit.

Furtum (a) *autem fit, non solùm cùm quis intercipiendi causa rem alienam amouet: sed generaliter, cùm quis alienam rem inuito domino contrectat. Itaque siue* (b) *creditor pignore, siue is, apud quem res deposita est, ea re vtatur: siue is, qui rem* (c) *vtendam accepit, in alium vsum eam transferat, quàm cuius gratia ei data est, furtum committit: veluti si quis* (d) *argentum vtendum acceperit, quasi amicos ad cœnam inuitaturus, & id peregrè secum tulerit: aut si quis equum gestandi* (e) *causa commodatum sibi, longiùs aliquò duxerit: quod veteres scripserunt de eo, qui in* (f) *aciem equum perduxisset.* 3

a *Furtum autem &c.* Furtum autem fit, non solùm cum quis interuertendi causa rem alienam amouet: sed generaliter, cùm quis alienam rem non ex voluntate domini contrectat. 4

b *Itaque siue creditor &c.* Siue creditor pignore vtatur, siue depositarius re deposita, furtum vsus pignoris, seù vsus rei depositæ committit.

c *Siue is, qui rem vtendam &c.* Commodatarius, si rem commodatam in alium vsum transferat, quàm cuius gratia ei data est, fur-

furtum vsus ipsius rei committit : veluti si argentum vtendum acceperit, quasi amicos ad cœnam inuitaturus, & id peregrè secum tulerit: aut si iumenta sibi commodata longiùs duxerit. *Text. hic, l.qui iumenta* 41. *ff.de furtis*. Aut aliorsum,quàm quo vtenda acceperat. *Gellius lib.*7. *cap.*15.

d *Veluti si quis argentum &c. l.*2.§.*Is verò ff.de oblig.& act.*

e *Gestandi causa*. Iurisconsulti gestationis verbo eam intelligunt, quæ valetudinis tantùm,aut voluptatis causa in amœno 1
& propinquo rure suscipitur. *H.*

f *Qui in aciem &c.* Videtur hoc loco ex Valerio Maximo *lib.*8. *cap.*2. Legendum, qui in Ariciam acceptum equum longiùs perduxisset. *Cuiac.hic.*

Ad §. Placuit tamen.

Placuit (a) *tamen, eos qui rebus commodatis aliter vterentur, quàm vtendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant, id* 2
inuito domino facere : eumque si intellexisset, non permissurum. At si permissurum credant, extra crimen videri, optima sanè distinctione, quia (b) *furtum sine affectu furandi non committitur.*

a *Placuit tamen &c.* Qui re sibi commodata vsus est aliter, atque accepit, si existimauit, se non inuito domino id facere, furti non tenebitur. *l. Qui re* 78.*in princ. ff. de furtis*. Quid enim dolo fecit, qui putat dominum consensurum fuisse : siue falsò id, siuè verè putet? *l.Inter omnes* 47.§.*Rectè ff.eod.* Et existi- 3
masse hoc commodatarium dicemus, si in similibus sæpè expertus fuerit animum domini, vel etiam, si magna familiaritate, amicitia, vel consanguinitate, domino fuerit coniunctus. *B.hic sub num.*3.

b *Quia furtum &c.* Furtum sine affectu furandi non committitur. *l.Furtum* 37.*ff.de Vsucap.* Vide notata suprà *ad* §. *Item si is, ad quem, de vsucap.*

Ad §. Sed & si credat. 4

Sed & si (a) *credat aliquis inuito domino se rem commodatam sibi contrectare, domino autem volente id fiat? dicitur furtum non fieri. Vnde illud* (b) *quæsitum est, cùm Titius seruum Mœuij sollicitauerit vt quasdam res domino subriperet, & ad eum perferret, & seruus id ad Mœuium pertulerit, Mœuius dum vult Titium in ipso delicto*

depre-

deprehendere, permiserit seruo quasdas res ad eum perferre : vtrum furti , an serui corrupti iudicio teneatur Titius , an neutro ? Et cùm nobis super hac dubitatione suggestum est,& antiquorum prudentium super hoc altercationes perspeximus , quibusdam neque furti , neque serui corrupti actionem præstantibus , quibusdam furti tantummodò, nos huiusmodi calliditati obuiam euntes , per nostram decisionem sanximus , non solùm furti actionem , sed & serui corrupti contra 1
eum dari . Licet enim is seruus deterior à sollicitatore minimè factus est , & ideò non concurrant regulæ , quæ serui corrupti actionem introducerent : tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis serui introductum est , vt sit ei pœnalis actio imposita , tamquam (c) *si re ipsa fuisset seruus corruptus : ne ex huiusmodi impunitate & in alium seruum, qui facilè possit corrumpi, tale facinus à quibusdam perpetretur.*

a SED *& si credat &c.* Si ego me , inuito domino , rem commodatam mihi contrectare putarem, cùm dominus vellet, furto non sum obligatus, *l.Inter omnes* 47.*§.vlt.ff.de furtis.* 2

b *Vnde illud quæsitum est &c.* Illud quæsitum est , Si Titius seruo Mæuij suaserit , vt quasdam res domino surriperet , & ad se deferret , seruus autem id Mæuio manifestauerit, ac Mæuius, dum vult Titium in ipso delicto deprehendere , permiserit seruo quasdam res ad eum perferre : vtrum furti, an verò serui corrupti iudicio teneatur Titius, an neutro ? In proposita facti specie altercationes erant inter antiquos prudentes , quidam enim neque furti , neque serui corrupti actionem præstabant , 3
quidam furti tantummodò . Iustinianus verò sua decisione , quæ est *l.Si quis seruo* 20. *C.de furtis,* & seruo corrupto , sanxit , non solùm furti actionem , sed & serui corrupti contra Titium sollicitatorem dari propter rationes positas hic in textu , & in *d.l.si quis seruo* .

c *Tanquam si re ipsa &c.* Hoc igitur iudicio tantundem postulabitur, quantum deberetur, si re vera corruptus seruus fuisset. De actione serui corrupti , vide notata infrà *in tit.de act.ad §.In duplum,* in verbo, *Item serui corrupti* . 4

Ad §. Interdum etiam .

Interdum etiam liberorum hominum furtum fit : veluti si quis (a) *liberorum nostrorum , qui in potestate* (b) *nostra sit , subreptus fuerit .*

a VEluti *si quis liberorum &c.* Si filiusfamilias surreptus sit : patrem furti actionem habere , palàm est, *l.Eum, qui* 14. *§.Si*

§. *Si filius familias ff. de furtis*. Et actione furti duplatur, vel quadruplatur id quod interest filium, aut nepotem non fuisse surreptum, vel abductum, veluti lucra acquisitionum amissarum. *Cuiac. & Mynſ. hic.* Quamuis enim regulariter in furti actione non quod interest quadrupletur, vel dupletur: sed rei verum pretium, *l. In furti actione* 51. *in prine. ff. de furtis*. Tamen, quia liber homo non recipit æstimationem, necesse est, vt id, quod interest, hoc casu dupletur, vel quadrupletur. Et notate, quod 1
filiorum familias nomine licèt furti actio sit, vt suprà, condictio tamen nusquam est, *l. mater 39. ff. de furtis*. Possumus tamen liberos, qui sunt in potestate nostra, adiecta causa ex lege Quiritium, vindicare, *l.* 1. §. *Per hanc autem ff. de rei vindic.*

b *Qui in potestate nostra sit*. Ergo mater filij surrepti furti actionem non habet. *l. Mater 39. ff. de furtis.*

Ad §. Aliquando.

2

Aliquando (a) *& suæ rei furtum quis committit · veluti si debitor rem, quam creditori pignoris causa dedit, subtraxerit.*

a *Aliquando &c.* Aliquando & in re sua furtum quis committit: veluti si debitor rem, quam creditori pignoris causa dedit, subtraxerit. Et hoc casu debitor furtum committit, quoniam in eo creditorem lædit, quia commodo eum spoliet, quod in causa pignoris est, *Tex. & Theoph. hic.* Res tamen ipsa non fit furtiua, ideoque, si debitor eam vendiderit, vsu- 3
capi poterit, *l. sequitur* 4. §. *Si rem ff. de vsucap.*

Ad §. Interdum quoque.

Interdum (a) *quoque furti tenetur, qui ipse furtum non fecit: qualis est is, cuius ope consilio furtum factum est. In quo numero est, qui tibi nummos* (b) *excussit, vt alius eos raperet: aut tibi obstiterit,* (c) *vt alius rem tuam exciperet, aut oues tuas, vel boues fugauerit vt alius eas exciperet. Et hoc veteres scripserunt de eo, qui panno* 4
(d) *rubro fugauit armentum. Sed si quid eorum* (e) *per lasciuiam, & non data opera, vt furtum admitteretur, factum est: in factum actio* (f) *dari debet. At vbi ope* (g) *Mœuij Titius furtum fecerit, ambo furti tenentur. Ope consilio* (h) *eius quoque furtum admitti videtur, qui scalas forte fenestris supponit, aut ipsas fenestras, vel ostium effringit, vt alius furtum faceret, quive* (i) *ferramenta ad*

effringendum, aut scalas, vt fenestris supponerentur, commodauerit, scies cuius gratia commodauerit. Certè qui nullam (k) opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantùm consilium dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.

a *Interdum quoque &c.* Is, cuius ope consilio furtum factum est, furti tenetur. Tenetur, inquam, furti nec manifesti, aut propria actionis specie, ope consilio tuo furtum factum esse aio, in duplum, *l.Is, qui opem 34.ff.de furtis, l.vlt.C.de noxal. act.* Consilium autem dare videtur, qui persuadet, & impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum: Opem fert, qui ministerium, atque adiutorium ad furripiendas res præbet, *l.In furti 51.§.Consilium autem ff.de furtis.* t

b *Qui tibi nummos excussit &c.* Si quis de manu mihi numos excussit, vt ad aliquem peruenirent, & peruenerint, ope consilio furti agendum. *Tex.hic, iuncta l.Si seruus 27.§.Si quis de manu, ff.ad leg.Aquil.* 2

c *Aut tibi obstiterit &c.* In numero eorum, quorum ope consilio furtum factum dicitur, est ille, qui obtentu togæ, corporisue obiectu aspectui tuo obstitit, vt alius rem tuam furriperet: aut oues tuas, vel boues fugauit, vt alius eas caperet.

d *Qui panno rubro &c. Vlpianus in l.In furti 51. §.vlt. ff.de furtis.* Cum eo, qui pannum rubrum ostendit, fugauitque pecus, vt in fures incideret: siquidem dolo malo fecit, furti actio est. Sed & si non furti faciendi causa hoc fecit: non debet impunitus esse lusus tam perniciosus. Idcirco Labeo scribit, in factum dandam actionem. Et quod Taurum color rubicundus excitet, *Seneca lib.3.de Ira*, testatur. 3

e *Sed si quid eorum per lasciuiam &c.* Qui per lasciuiam, furandi causam alijs præbet, non furti, sed in factum actione tenetur. *d.l.In furti 51.§.vlt.ff.de furtis.*

f *In factum actio dari debet.* Aduersus eum, qui eorum quid fecerit: & furti aduersus eum, qui abduxerit, aut furripuerit. *Theoph.*

g *At vbi ope Mæuij &c.* Vbi ope Mænij Titius furtum fecit: ambo furti tenentur. Et singuli quidem in solidum: adeò vt alter soluendo, alterum non liberet. *l.Adeò quidem 8.ff.de Iurisdictione omnium iudicium.* 4

h *Ope consilio eius quoque &c.* Ope consilio eius quoque furtum admitti videtur, qui scalas fortè fenestris supponit: aut ipsas fenestras, vel ostium effringit, vt alius furtum faceret.

i *Quiue ferramenta &c.* Qui ferramenta sciens commodauerit ad effringendum ostium, vel armarium, vel scalam sciens commodauerit ad ascendendum: licet nullum eius consilium principaliter ad furtum faciendum interuenerit: tamen furti actione tenetur. *l. Si pignore* 56. §. *Qui ferramenta ff. de furtis.*

k *Certè qui nullam opem &c.* Qui tantùm consilium dedit ad furtum faciendum, non tenetur furti. Nisi consilium etiam effectum habuerit, ideſt, nisi furtum factum fuerit, *l. sæpè* 53. §. *vlt.* 1 *ff. de verb. sign. l. Qui seruo* 36. §. 1. *& §. Idem Pomponius, & l. Si quis vxori* 53. §. *Neque verbo ff. de furtis.*

Ad §. Hi, qui in parentum.

Hi, qui in parentum, (a) *vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem* (b) *illis faciunt, & res in furtiuam causam cadit, nec ob id ab vllo* (c) *vsucapi potest, antequam in domini potestatem reuertatur, sed furti actio* (d) *non nascitur: quia nec ex alia* 2 (e) *vlla causa potest inter eos actio nasci. Si verò ope* (f) *consilio alterius furtum factum fuerit, quia vtique furtum committitur, conuenienter ille furti tenetur: quia verum est, ope consilio eius furtum factum esse.*

a *Hi, qui in parentum &c.* Filijfamilias, vel serui, si rem parentibus, vel dominis subripiunt, furtum quidem illis faciunt, & res in furtiuam causam cadit, sed furti actio non nascitur: quia nec ex alia vlla causa potest inter patrem & filiũ 3 familias, dominumue & seruum actio nasci. Si verò ope consilio alterius furtum patri, vel domino factum fuerit ab ijs, qui iuri eorum subiecti sunt, ille, cuius ope consilio furtum factum fuerit, furti tenetur. *Tex. hic.*

b *Furtum quidem illis faciunt. l. Serui* 17. *in princ. ff. de furtis.*

c *Nec ob id ab vllo vsucapi &c.* Res furtiua, nisi ad dominum redierit, vsucapi non potest. *l. Quamuis* 86. *ff. de furtis.* Quando autem res furtiua dicatur in potestatem domini reuersa, latè explicat *Paulus in l. sequitur* 4. §. *Quod autem, & 4. seq. ff. de vsucap.* 4

d *Sed furti actio non nascitur. l. Nẽ cum filiofamilias* 16. *& l. seq. in princ. ff. de furtis.* Vtilis tamen in factum nascitur aduersus filiumfamilias militem: hoc est, non furti, sed rerum amotarum. Eadem pater tenetur filiofamilias militi, mater filio, filius matri, frater ftatri. *Cuiac. hic.*

e *Quia nec ex alia vlla causa &c.* Inter patrem, & filium famili-

lias, dominumue & seruum non potest ex vlla causa actio nasci, *l. lis nulla 4. ff. de Iudicijs*. Nisi ex castrensi, vel quasi castrensi peculio filijfamilias. *d. l. 4. & ibi gloss. vlt.*

f *Si vero ope consilio alterius &c. l. Qui seruo 36. §. Item placuit, ff. de furtis.*

Ad §. Furti autem actio.

1

Furti autem (a) *actio ei competit, cuius interest rem saluam esse, licet dominus non sit. Itaque nec domino* (b) *aliter competit, quàm si eius interfit rem non perire.*

a *Furti autem actio &c.* Actio furti ei competit, cuius interest rem saluam esse, licet dominus non sit. *l. Cuius interfuit 10. & l. cum qui emit 14. §. Prætereà ff. de furtis.* Si modo ex honesta causa interfit, non si interfit ex causa inhonesta, *l. Is, cuius interest 11. ff. de furtis.* Vnde furti actio malæ fidei possessori non datur, quamuis interfit eius rem non furripi, *l. Itaque fullo 12. §. Sed furti ff. de furtis.* Neque datur depositario, quia non potest ex causa honesta eius interesse, cùm dolum dumtaxat præstet. §. *Sed is, apud quem, Instit. h. t. l. Eum, qui emit 14. §. Is autem ff. de furtis.* 2

b *Itaque nec domino &c.* Actio furti nec domino quidem rei surreptæ aliter competit, quàm si eius interfit rem non perire, §. *Item si fullo, Instit. h. t. l. Itaque fullo 12. in principio, ff. de furtis.* 3

Ad §. Vnde constat.

Vnde constat, (a) *creditorem de pignore subrepto furti agere* (b) *posse, etiamsi idoneum* (c) *debitorem habeat: quia expedit ei pignori potius incumbere, quam in personam agere, adeò quidem, vt quamuis ipse* (d) *debitor eam rem subripuerit, nihilominus creditori competat* (e) *actio furti.*

4

a *Vnde constat &c.* Ex Regula data in §. *Proxime præcedenti*, videlicet: Furti actionem ei competere, cuius interest rem saluam esse, licet dominus non sit: constat creditorem de pignore subrepto furti agere posse, etiam si idoneum debitorem habeat: quia expedit ei pignori potiùs incumbere, quam in personam agere. Plus enim cautionis est in re, quam

in

in persona. *l.Pluscautionis 25.ff.de reg. Iur.* Et hæc adeò verà sunt, vt procedant, etiamsi debitor ipse rem creditori pignori datam subripuerit: etenim hoc quoque casu creditori aduersus debitorem competit actio furti. *tex.hic §. Aliquando, hoc eodem tit.* Vbi hac de re pleniùs dixi.

b *Furti agere potest.* Debet tamen creditor totum, quidquid percepit furti actione, debito imputare, *l.si pignire 22.in princ. ff. de pignor. act.* Et nota, quod creditor cui pignus subreptum est, non tantum credito tenus, sed omnimodo insolidum furti agere potest. Sed pignoratitia actione id, quod debitum excedit, debitori præstabit, *l. Creditoris 15. ff.de furtis. Atque ità hanc l.intelligit H.hic.* Alij verò alitèr eam interpretantur. 1

c *Etiamsi idoneum debitorem habeat.* Etiam si habeat debitorem qui soluendo sit.

d *Vt quamuis ipse debitor &c.* Qui rem pignori dat, eamque surripit, furti actione tenetur. Furtum autem rei pignoratæ dominus non tantùm tunc facere videtur, cùm possidenti, siue tenenti credirori aufert: verùm & si eo tempore abstulerit, quo non possidebat: vt puta si rem pignoratam vendiderit: nã & hic furtum eum facere constat, & ita Iulianus scribit. *l.In actione 19. §. vlt. ff. de furtis.* 2

e *Creditori competat actio furti.* Et quod ipse debitor furti actione præstitit creditori, debito non est imputandum, *d. l. Si pignore 22.in princ.ff.de pignor.act.*

Ad §. Item si fullo. 3

Item si fullo (a) *polienda curandaue, aut sarcinator sarcienda vestimenta mercede certa acceperit, eaque furto amiserit: ipse furti habet* (b) *actionem, non dominus: quia domini nihil interest eam rem non perire, cum iudicio locati à fullone, aut sarcinatore rem suam persequi possit. Sed & bonæ fidei emptori* (c) *subrepta re, quam emerit, quamuis dominus non sit, omnimodò competit furti actio, quemadmodum & creditori. Fulloni verò & sarcinatori non aliter furti actionem competere placuit, quam si soluendo sint, hoc est, si domino rei æstimationem soluere possint. Nam si soluendo* (d) *non sint, tunc, quia ab eis suum dominus consequi non possit, ipsi domino furti competit actio, quia hoc casu ipsius interest, rem saluam esse. Idem est, & si in partem* (e) *soluendo sint fullo aut sarcinator.* 4

a ITem si fullo &c. Fullo, qui curanda, polienda vestimenta accepit, furti semper agit: præstare enim custodiam debet.

Si

Si autem soluendo non est: ad dominum actio redit. Nam qui non habet, quod reddat, eius periculo nihil est *l. Itaque fullo 12. in princ. ff. de furtis*.

b *Ipse furti habet actionem.* Sublatis vestimentis sine fullonis culpa, furti actio soli domino datur, quia nihil fullonis, interest, quod si adest culpa fullonis, ac soluendo ipse par existat, sibi, sin minùs, soli domino furti actio datur. *Ex Cuiac.*

c *Sed & bonæ fidei emptori &c.* Furti actio competit bonæ fidei emptori, si res à non domino empta, ei surripiatur: eius enim interest rem saluam esse, vt eum possit vsucapere, & fructus ex ea percipere. Facit *d. l. Itaque fullo 12. §. Sed furti ff. de furtis*. Vbi Vlpianus ait, quod bonæ fidei possessori, non etiam malæ fidei, furti actio datur. 1

d *Nam si soluendo non sint &c.* Dic vt supra notaui *ad princ. huius §.*

e *Et si in partem soluendo &c.* Nam soluendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum potest soluere, *l. Soluendo 114. ff. de verb. sig.* 2

Ad §. Quæ de fullone.

Quæ de fullone, (a) *& sarcinatore diximus, eadem: & ad eum, cui commodata res est, transferenda veteres existimabant. Nam vt ille fullo mercedem accipiendo, custodiam* (b) *præstat: ita is quoque, qui commodatum vtendum percipit, similiter necesse habet* (c) *custodiam præstare. Sed nostra prouidentia etiam hoc in nostris decisionibus emendauit, vt in domini voluntate sit, siue commodati actionem aduersus eum, qui rem commodatam accepit, mouere desiderat, siue furti aduersus eum, qui rem subripuit: & alterutra earum electa, dominum non posse ex pœnitentia ad alteram venire actionem. Sed si quidem furem elegerit, illum, qui rem vtendam accepit, penitùs liberari, sin autem commodator veniat aduersus eum, qui rem vtendam accepit: ipsi quidem nullo modo competere posse aduersus furem furti actionem: eum autem, qui pro re commodata conuenitur, posse aduersus furem furti habere actionem: ita tamen, si dominus sciens rem esse subreptam, aduersus eum, cui res commodata fuerit, peruenit. Sin autem nescius & dubitans* (d) *rem non esse subreptam apud eum, commodati actionem instituit, postea autem re comperta voluit remittere quidem commodati actionem, ad furti autem peruenire: tunc licentia ei concedatur, & aduersus furem venire, nullo obstaculo ei opponendo, quoniam incertus constitutus monit aduersus eum, qui rem vtendam accepit, commodati actionem, nisi domino ab eo satisfactum est. tunc enim omnimodò* 3 4

furem

furem à domino quidem furti actione liberari: suppositum autem esse ei, qui pro re sibi commodata domino satisfecit: cùm manifestissimum sit, etiam si ab initio dominus actionem commodati instituit, ignarus rem esse subreptam: postea autem hoc ei cognito, aduersus furem transiuit: omnimodò liberari eum, qui rem commodatam accepit, quemcunque causæ exitum dominus aduersus furem habuerit. eadem definitione obtinente, siue in partem, siue in solidum soluendo sit is, qui rem commodatam accepit. 1

a QVæ de fullone &c. Si commodatarius rem commodatam furto amittebat, & soluendo erat, veteres commodatario, non autem rei domino, furti actionem dabant. Sed Iustinianus sua decisione, quam habemus *in l. vlt. C. de furtis*, hoc emendauit. Hodie igitur si commodatarius rem commodadam furto amiserit, in domini electione est, vtrùm malit commodati actionem aduersus commodatarium mouere, an furti contra furem: sic tamen vt alterutra earum electa, variare 2 non possit. Sed si quidem furem elegerit, penitùs commodatarius liberatur. Sin autem agat aduersus commodatarium: non poterit quidem ipse dominus vllo modo agere furti contra furem: sed commodatarius furti actionem habebit: dummodò tamen dominus sciens rem esse subreptam, aduersus commodatarium agat. Sin autem nescius, & dubitans rem non esse subreptam, id faciat, postea autem, re comperta, voluerit, omisso commodatario, furem conuenire: hoc ei conceditur, nisi fuerit ipsi à commodatario satisfactum: tunc 3 enim omnimodo fur à domino, furti actione liberatur: suppositus autem est commodatario: & si ab initio dominus actionem commodati instituit, ignarus rem esse subreptam: postea autem, hoc ei cognito, aduersus furem transiuit: omnimodo liberatur commodatarius, quemcunque causæ exitum dominus aduersus furem habuerit. Et hæc Iustiniani definitio locum habet, siuè in partem, siue in solidum soluendo sit commodatarius: est enim semper in domini electione, vtrùm malit agere commodati contra commodatarium, 4 an furti contra furem vt supra.

b *Custodiam præstat l. Itaque fullo 12. in princ. ff. de furtis.*

c *Necesse habet custodiam præstare. §. Item is, cui, Instit. Quib. mod. re contrahitur oblig.*

d *Et dubitans.* Dubitans pro ignorante habetur, *l. 2. ff. quis ord. in bon. poss. ser. l. vlt. C. de condic. indeb.*

Ad

Ad §. Sed is, apud quem.

Sed is, (a) *apud quem res deposita est, custodiam, non præstat: sed tantum in eo obnoxius est, si quid ipse dolo malo fecerit, qua de causa si res ei subrepta fuerit: quia restituendæ eius rei nomine depositi non tenetur, nec ob id eius interest rem saluam esse: furti agere* (b) *non potest, sed furti actio domino competit.* 1

a SED *is, apud quem &c.* Is, apud quem res aliqua deponitur, ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit, §. *præterea, quib.mod.re contrab. oblig.* Vbi copiosè istud explicatum fuit.

b *Furti agere non potest.* Is, apud quem res deposita est, videamus, an habeat furti actionem. Et cum dolum duntaxat præstet, meritò placet, eum non habere furti actionem. Quid enim eius interest, si dolo careat? Quod si dolo fecit, iam 2
quidem periculum ipsius est: sed non debet ex dolo suo furti quærere actionem. *l.Eum qui emit.14. §.Is autem ff.de furtis.* Furti igitur actio domino rei depositæ competit, vt hic in textu. Quandoque tamen is, apud quem res deposita est, culpæ nomine tenetur, vt notaui supra ad dictum §. *præterea, Quib.mod. re contrahit.oblig.* In verbo, *Culpæ autem nomine.* Quoniam igitur ijs casibus ipsius interest rem saluam esse, meritò ei furti actio concedenda erit.

Ad §. In summa. 3

In summa, sciendum est, quæsitum esse, an (a) *impubes rem alienam amouendo, furtum faciat? Et placuit, quia furtum* (b) *ex affectu consistit, ita demùm obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere.*

a AN *impubes &c.* Impubes rem alienam amouendo, ita demum furtum facit, si proximus pubertati sit, & ob id 4
intelligat se delinquere. Ille verò pupillus dicitur proximus pubertati, qui nondum ingressus est pubertatem, sed propè eam est tamen, ità vt annale tantummodo, vel semestre tempus reliquum sit, vt notaui suprà ad §. *Sed quod diximus, de Inutil, stipul.* Vel dicamus Iudicis arbitrio, ac prudentia æstimandum esse quis in delictis pubertati proximus dicendus sit, neque tam facilè, quàm in contractibus definiendum.

b *Fur-*

b *Furtum ex affectu &c.* Furtum ex affectu furandi consistit, *l. verum est 40.ff. de furtis. Seù, vt loquitur Vlpianus in l. In furti actione 51.§.1.ff.eod.* Nemo furtum facit sine dolo malo.

Ad §. Furti actio.

Furti actio, siue dupli, siue quadrupli, tantùm (a) *ad pœnæ persecutionem pertinet. Nam ipsius rei persecutionem extrinsecus habet dominus, quam aut vindicando, aut condicendo potest auferre. Sed rei* (b) *vindicatio quidem aduersus possessorem est: siue fur ipse possideat, siue alius quilibet, condictio autem aduersus* (c) *furem ipsum heredemue eius, licèt non possideat, competit.* 1

a *Tantùm ad pœnæ persecutionem &c.* Cum furti actio ad pœnæ persecutionem pertineat, condictio verò, & vendicatio ad rei recuperationem; apparet recepta re, nihilominus saluam esse furti actionem, condictionem verò & vendicationem tolli: sicut ex diuerso post solutam dupli, aut quadrupli pœnam, salua est vindicatio, & condictio. *l.Si pignore 56. §.Cum furti ff.de furtis, l.Si pro fure 7.§. furti actio ff. de condict. furt.* 2

b *Sed rei vindicatio &c.* Rei furtiuæ vindicatio aduersus possessorem est: siue fur ipse possideat, siue alius quilibet, condictio autem aduersus furem ipsum, hæredemue eius licèt non possideat, competit, *tex.hic.* Et condictio rei furtiuæ heredem quoque furis obligat quia rei habet persecutionem, *l. si pro fure 7.§.Condictio ff.de condic.furt.* 3

c *Aduersus furem ipsum &c.* Nunquam enim ea condictione alius, quam qui fecit, tenetur, aùt heres eius. *l. Ex causa furtiua 5.ff.de condic.furt.*

De Vi (a) bonorum raptorum.

TITVLVS II.

Qui res alienas (b) *rapit, tenetur quidem etiam furti: quis enim magis alienam rem inuito domino contrectat, quam qui vi rapit? Ideòque rectè dictum est, eum improbum* (c) *furem esse, sed tamen propriam* (d) *actionem eius delicti nomine prætor introduxit, quæ appellatur vi bonorum raptorum: & est intra annum quadrupli, post annum simpli: quæ actio vtilis est,* (e) *etiam si quis vnam rem, licèt mini-* 4

mam, rapuerit. Quadruplum (f) *autem non totum pœna est, & extra pœnam rei persecutio, sicut in actione* (g) *furti manifesti diximus, sed in quadruplo inest & rei persecutio: vt pœna tripli sit, siue comprehendatur* (h) *raptor in ipso delicto: siue non. Ridiculum est enim leuioris* (i) *conditionis esse eum, qui vi rapit, quam qui clam amouet.*

a *De vi &c.* In titulo præcedenti expositum fuit primum delictum priuatum, ideſt, furtum. Sequitur vt de secundo, ideſt, de rapina, videamus. Rapina potest definiri violenta, & dolosa rei contrectatio. Dicitur violenta rei contrectatio, quia rapina fit per vim, vnde in hoc distat à furto, quod fit clam, & verbum, contrectatio, satis ostendit rapinam rei mobilis tantùm fieri, non etiam immobilis, solæ enim res mobiles possunt contrectari, non etiam immobiles: Ideòque superfluum est addere in definitione verbum, mobilis, vt quidam faciunt. Et in hoc rapina cum furto conuenit: quia & furtum fit rei mobilis tantùm, non etiam immobilis §. *quod autem, il 2. de Vſucap.* Additur in definitione, & dolosa, quoniam, vt rapina facta dicatur, non satis est rem per vim contrectatam esse, sed hoc amplius etiam exigitur, vt id factum sit dolo malo. §. *Quia tamen, hoc titulo.* Et in hoc pariter conuenit rapina cum furto: quia nec quæuis contrectatio furem facit, sed ea demum, quæ dolo malo facta est. *l. In furti* 51. §. *Rectè Pædius ff. de furtis.* 1 2

b *Qui res alienas &c.* Qui res alienas rapit, tenetur etiam furti. *l. 2. §. Rerum raptarum ff. de vi bonorum raptorum.* An autem raptor teneatur furti manifesti, vel nec manifesti à DD. controuertitur. Videtur dicendum quod si raptor manifestus est, furti manifesti teneatur: sin minus, nec manifesti. Raptor manifestus est, si in ipso delicto comprehendatur: nec manifestus è contra: veluti si rapiendi animo quis domum, in qua homines esse putabat, ingrediatur, & nomine inuento, quædam rapiat. *l. si quis ex domo* 54. *ff. de furtis.* Datur itaque aduersus raptorem non solùm actio vi bonorum raptorum, sed etiam actio furti. Et licet vnà ex dictis actionibus aduersus eum mota fuerit: potest nihilominùs etiam alia moueri, si posterior actio plus contineat, quàm ea, quæ priùs mota fuit, & per posteriorem actionem id quod amplius in ea est, actor consequitur. *l. 1. ff. de vi bon rapt. l. si quis egerit* 90. *ff. de furtis.* 3 4

c *Improbum furem esse.* Imò Iulianus scribit, cum qui rapit vi, furem

furem esse improbiorem, *l.* 2. §. *cæterum*, *ff. de vi bon. rap.*

d *Sed tamen propriam actionem &c.* Qui res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti, vt dictum est, sed tamen propriam actionem eius delicti nomine prætor introduxit, quæ appellatut, vi bonorum raptorum: & est intra annum quadrupli, post annùm verò simpli, *tex. hic l.* 2. *in princ. ff. de vi bon. rap.* Annus verò, intra quem actio vi bonorum raptorum quadrupli est, vtilis est, *d.l.* 2. §. *In hac actione intra annum*, hoc est, non currit, nisi postquam ea de re cum raptore experiundi potestas fuerit. 1

c *Quæ actio vtilis est &c.* Actio vi bonorum raptorum conceditur, etiam si vna res, licet minima, rapta sit. *l.* 2. §. *vel cuius*, & §. *Si quis igitur ff. de vi bon. rapt.*

f *Quadruplum autem &c.* Quadruplum in actione vi bonorum raptorum non totum pœna est, sed in quadruplo inest & rei persecutio: vt pœna tripli sit, siue comprehendatur raptor in ipso delicto, siue non. *tex. hic.* §. *vi autem bonorum raptorum, de actionibus.* 2

g *Sicut in actione furti manifesti.* Quadruplum in actione furti manifesti totum pœna est sicut diximus *ad* §. *vltimum tituli proximè præcedentis.*

h *Comprehendatur.* Ideſt, inueniatur, & præsentibus testibus conuincatur. *Mynsig. hic.*

i *Leuioris conditionis esse &c.* Non leuioris conditionis esse videtur is, qui vi rapit, quàm qui clam amouet, quia in furto nec manifesto duplum, in manifesto quadruplum, in rapina verò indistinctè triplum in pœna est. *Theoph. in fine huius nostri textus. & ait Cuiacius ibid.* quod actio Vi bonorum raptorum propriè comparata est in casum quando raptor in ipso delicto non comprehenditur: namque alio casu sufficit actio furti manifesti: quæ perpetuò competit in quadruplum. 3

Ad §. Quia tamen ita.

Quia tamen (a) *ita competit hæc actio, si dolo malo quisque rapuerit, qui aliquo errore inductus, suam rem esse existimans, & imprudens* 4
(b) *iuris, eo animo rapuit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre possessoribus, absolui debet. Cui scilicet conuenienſ est, nec furti teneri cum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne, dum talia excogitentur, inueniatur via, per quam raptores impunè suam exerceant auaritiam, meliùs diualibus* (c) *Constitutionibus pro hac parte prospectum est, vt nemini liceat vi rapere rem mobilem, vel se-*

mouentem, licet suam eamdem rem existimet. sed si quis contra statuta fecerit: rei quidem suæ dominio (d) *cadere. Sin autem aliena sit: post restitutionem eius, etiam æstimationem eiusdem rei præstare.* (e) *Quod non solùm in mobilibus rebus, quæ rapi possunt, Constitutiones obtinere censuerunt: sed etiam in inuasionibus, quæ circa res soli fiunt, vt ex hac causa omni rapina homines abstineant.*

a *QVIA tamen &c.* Actione tamen Vi bonorum raptorum is demum tenetur, qui dolo malo rapuerit. Ideoque si quis aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens iuris, eo animo rapuit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre possessoribus, Vi bonorum raptorum non tenebitur, sed aliter multabitur, *l.2. §. Hac actione is demum ff. de Vi bon. rapt.* Et ne quidem in proposito casu is, qui rapuit, furti tenetur. Furtum enim sine affectu furandi non committitur. *§. Placuit tamen, de oblig. quæ ex del. nasc.* Sed ex Principum Constitutionibus, qui rem suam vi rapit, eius dominio cadit. qui verò alienam, quam suam esse existimabat, & rem restituere, & eius æstimationem præstare cogitur. Quod ius nonsolùm obtinet in mobilibus rebus, quæ rapi possunt: sed etiam in inuasionibus, quæ circa res soli fiunt. *tex. hic, l. Si quis in tantam 7. C. Vnde vi.* 1 2

b *Imprudens iuris.* Nota, quod Ignorantia Iuris Ciuilis excusat à dolo. Concordat *tex. in §. Item is, ad quem, de Vsucap.*

c *Dialibus Constitutionibus.* Valentiniani, Theodosij, & Arcadij. *d.l. Si quis in tantam 7. C. Vnde vi.* 3

d *Dominio cadere.* Idque transire in fiscum, *arg. l. 3. in fine C. Theod. ad leg. Iul. de vi. Cuiac. hic.*

e *Præstare.* Rei domino. Idem *Cuiac. hic*, In Verbo, *Dialibus Constitutionibus, circa medium.*

Ad §. Sanè in hac actione.

Sanè in hac actione (a) *no vtique expectatur* (b) *rem in bonis actoris esse. nam siue in bonis sit, siue non sit, si tamen ex bonis sit, locum hæc actio habebit. Quare siue locata,* (c) *siue commodata, siue etiam pignorata, siue deposita sit apud Titium, sic vt interfit eius eam rem non auferri, veluti si depositare, culpam* (d) *quoque promisit, siue bona fide possideat, siue vsumfructum in ea quis habeat, vel quod aliud ius, vt interfit eius non rapi: dicendum est competere ei hanc actionem, non vt dominium accipiat, sed illud* (e) *solùm, quod* 4

ex

ex bonis eius, qui rapinam passus est, ideſt, quod ex substantia eius ablatum esse proponatur. Et generalitter (f) *dicendum est, ex quibus causis furti actio competit in re clàm facta, ex ijsdem causis omnes habere hanc actionem.*

a *Sanè in hac actione &c.* In actione Vi bonorum raptorum non vtique spectatur, rem in dominio actoris esse: nàm siuè in dominio sit, siuè non sit, si tamen sit penes actorem quocumque titulo sic vt eius interſit rem non rapi, locum hæc actio habebit. 1

b *Expectatur.* Legendum est, Spectatur, vt in *l.* 2. §. *In hac actione ff. de Vi bon. rapt.* Vnde hic locus descriptus est.

c *Quare siue locata &c.* Conductori, commodatario, creditori, depositario, qui in re deposita culpam quoque promisit, bonæ fidei possessori, vsufructuario, vel habenti quod aliud ius in re, vt interſit eius non rapi, competit actio Vi bonorum raptorum, non vt dominium accipiat: sed illud solùm, quod ex substantia eius ablatum est. 2

d *Culpam quoque promisit.* Vel pretium depositionis non quasi mercedem accepit, *d. l.* 2. §. *In hac actione ff. de Vi bon. rapt.*

e *Sed illud solùm &c.* Hoc non excludit pœnam tripli vsque ad annum, sed dominij æstimationem. *gl. in d. l.* 2. §. *In hac actione*, In Verbo, *Illud solùm.*

f *Et generaliter &c.* Generaliter dicendum est, ex quibus causis in re clàm surrepta furti actio competit, ex eisdem causis in re vi rapta omnes habere actionem Vi bonorum raptorum. 3

De Lege (*a*) Aquilia.

TITVLVS III.

Damni iniuriæ actio constituitur per Legem Aquiliam: cuius primo (b) *capite cautum est, vt si quis alienum hominem, alienamue quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuria occiderit: quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur.* 4

a *De Lege Aquilia.* Suprà fuit expositum primum, & secundum maleficium priuatum, ideſt, furtum, & rapina. Sequitur tertium, ideſt, damnum. Damnum ab ademptione, & quasi deminutione patrimonij dictum est, *l.* 3. *ff. de damno infecto*

fecto, Et vel sine iniuria datur, vel cum iniuria. De damno, quod datur sine iniuria, videbimus infrà in *tit. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, de damno verò, quod datur cum iniuria, agitur in hoc titulo, qui de Lege Aquilia inscribitur, propterea, quòd Damni iniuriæ actio constituitur per Legem Aquiliam, vt in principio huius tituli. Lex autem Aquilia tria habuit capita. Sed duo tantùm sub hoc titulo nostro referuntur, primum, & vltimum, propterea, quòd Secundum in vsu non est. §. *Caput secundum, hoc eod. tit.* 1

b *Cuius primo capite &c.* Primo capite legis Aquiliæ cautum est, vt si quis alienum hominem, alienamue quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuria occiderit: quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. *tex. hic l. 2. ff. Ad legem Aquiliam.* Quomodo autem verba huius primi Capitis sint accipienda, explicabitur in sequentibus §§.

Ad §. Quòd autem. 2

Quod autem (a) *non præcisè* (b) *de quadrupede, sed de ea tantùm, quæ pecudum numero dst, cauetur: cò pertinet, vt neque de feris* (c) *bestijs, neque de canibus cautum esse intelligamus, sed de ijs tantùm quæ gregatim* (d) *propriè pasci dicuntur: quales sunt equi, muli, asini, oues, boues, capræ. De suibus quoque idem* (e) *placuit. Nam & sues pecudum appellatione continentur; quia & hi gregatim pascuntur. Sic denique & Homerus* (f) *in Odyssea ait, sicut Ælius Marcianus in suis* (g) *Institutionibus refert: Δῦες* (h) *&c.* 3

a *Quod autem &c.* Pecudum autem numero non sunt feræ bestiæ, neque canes, sed eæ tantùm quadrupedes, quæ gregatim propriè pasci dicuntur: quales sunt equi, muli, asini, oues, boues, capræ, & etiam sues. *tex. hic, l. 2. ff. ad legem Aquiliam.* Vbi etiam additur, quod Elephanti & Cameli, quasi misti sunt: nàm & iumentorum operam præstant, & natura eorum fera est, ideò primo capite contineri 4 eos oportet.

b *Non præcisè.* Ideſt, non simpliciter, non indefinitè.

c *Neque de feris bestijs.* Feræ bestiæ sunt. v. g. Vrsi, Leones, Pantheræ. *dicta l. 2.*

d *Quæ gregatim &c.* Hoc est, in grege pastoris imperio subiecto. H.

Idem placuit. Labeoni, *vt in l. 2. ff. ad legem Aquiliam.* & Gaio, qui

qui in eadem lege, Labeonis sententiam sequitur. Item Ælio Martiano, vt *hic in textu, & in l. legatis seruis 63. §. Pecoribus ff. de legatis 3.*

f *Et Homerus in Odyssea.* Libro XIII.

g *Martianus in suis Institutionibus.* Lib. VII. vt constat ex inscriptione *d. l. legatis seruis 63. ff. de legat. 3.*

h Ἀνεὺς *&c.* Idest.

Sectantem videas, qui errant per pascua porcos 1
Ad Coracis saxum, iuxta fontemque Arethusam.

Ad §. Iniuria autem.

Iniuria (a) *autem occidere intelligitur, qui nullo iure occidit. Itaque latronem* (b) *qui occidit, non tenetur: vtique si aliter* (c) *periculum effugere non potest.*

a *Iniuria autem &c.* Iniuria autem occidere, intelligitur, qui nullo iure occidit. Itaque si seruum tuum latronem insidiantem mihi occidero, cùm aliter non possem periculum effugere, securus ero. Nàm aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere, *tex. hic iuncta l. 4. ff. ad l. Aquil.* Iniuriam igitur hic accipere nos oportet: non quemadmodum circa iniuriarum actionem, contumeliam quandam: sed quod non iure factum est, hoc est, contra ius, idest, si culpa quis occiderit. *l. Sed etsi 5. §. Iniuriam, ff. ad legem Aquiliam.* In summa, Iniuria in lege Aquilia est, non cauere, quod caueri & debuit & potuit. 2 3

b *Latronem.* Latrones sunt qui prædæ causa vitæ hominum insidiantur. *Cuiac. hic.*

c *Si aliter periculum &c. Paulus in l. Scientiam 46: §. Qui cùm aliter ff. Ad leg. Aquil.* Qui cùm aliter tueri se non possent, damnum dederunt: innoxij sunt. Vim enim vi defendere, omnes leges omniaque iura permittunt.

Ad §. Ac ne is quidem.

4

Ac ne is (a) *quidem hac lege tenetur, qui casu occidit: si modò culpa eius nulla inueniatur. Nam alioquin, non minùs quàm ex dolo, ex culpa quisque hac lege tenetur.*

a *Ac ne is &c.* Pariter lege Aquilia non tenetur is, qui casu occidit; Si modò culpa eius nulla inueniatur. Nàm alio-

alioquin ex culpa quisque hac lege tenetur, non minùs quàm ex dolo. Vide notata infrà ad §. *Illud palàm est, hoc eod. titulo.*

Ad §. Itaque si quis.

Itaque (a) *si quis dum iaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem seruum tuum transiecerit, distinguitur. Nàm si id à milite in campo, eòue vbi solitum est exercitari, admissum est: nulla culpa* (b) *eius intelligitur, si alius tale quid admisit, culpæ reus est. Idem iuris est de milite, si in alio loco, quàm qui exercendis militibus destinatus est, id admisit.* 1

a *Itaque &c.* Itaque si quis dum iaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem seruum tuum traiecerit, distinguitur. Nàm si miles in campo, aut eo loco vbi se milites exercitare solent, id fecit, non est in culpa, & consequenter lege Aquilia non tenetur. Si verò non miles, etiam in eodem loco, tale quid admisit, culpæ reus est, & lege Aquilia tenetur: cum ab hoc exercitio, quod militibus tantùm conuenit, abstinere omninò debuerit. Et etiam miles in legem Aquiliam incidit si in alio loco, quàm qui exercendis militibus destinatus est, tale aliquid admisit. 2

b *Nulla culpa eius intelligitur.* Et consequenter lex Aquilia cessat: Quia non debuit seruus per campum iaculatorium iter intempestiuè facere. Qui tamen data opera in eum iaculatus est, vtique Aquilia tenetur. Nàm lusus quoque noxius in culpa est. *l. Item si obstetrix 9. §. vlt. & l. seq. ff. ad legem Aquiliam.* 3

Ad §. Item si putator.

Item si putator (a) *ex arbore deiecto ramo, seruum tuum transeuntem occiderit, si propè* (b) *viam publicam, aut vicinalem id factum est, neque proclamauit, vt casus euitari posset, culpæ reus est. si proclamauit, nec ille curauit cauere: extra culpam est putator. Æquè extra culpam* (c) *esse intelligitur, si seorsum à via fortè, vel in medio fundo cædebat, licet non proclamauit, quia in eo loco nulli extraneo ius fuerat versandi.* 4

a *Item si putator &c.* Item si putatur ex arbore deiecto ramo, seruum tuum transeuntem occiderit, distinguitur, vtrùm propè viam publicam, aut vicinalem, an seorsum à via id fecerit.

cerit. & primo casu, si non proclamauit, vt casus euitari posposset, culpæ reus est, & lege Aquilia tenetur: secus si proclamauit. Secundo casu, quando scilicet seorsum à via cædebat, extra culpam esse intelligitur, licèt non proclamauit, ac propterea lege Aquilia non tenetur. *tex. hic, l. Si putator 31. ff. ad legem Aquiliam.*

b *Si propè viam &c.* Quòd si nullum iter erit: dolum duntaxat præstare debet, ne immittat in eum, quem viderit transeuntem. *d. l. Si putator 31. §. vlt.* 1

c *Æquè extra culpam &c.* Culpa ab eo exigenda non est: cùm diuinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit. *d. l. Si putator, in fine.*

Ad §. Prætereà.

Prætereà (a) *si medicus, qui seruum tuum secuit, derelinquerit curationem, atque ob id mortuus fuerit seruus, culpæ reus est.* 2

a PRætereà &c. Prætereà medicus, si curationem serui tui, quem secuit, dereliquerit, atque ob id mortuus fuerit seruus, culpæ reus erit, & lege Aquilia tenebitur. *l. Idem iuris 8. in princ. ff. Ad legem Aquiliam.* Et hoc procederet, siue gratis ipsum ab initio curandum susceperit, siue non gratis. Neque hoc casu ob defectum solutionis potest curationem deserere, sed curare debet, & postea agere pro suo salario. *Faber hic.* 3

Ad §. Imperitia quoque.

Imperitia (a) *quoque culpæ adnumeratur, veluti si medicus ideò seruum tuum occiderit, quòd eum malè secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit.*

a IMperitia quoque &c. Imperitia quoque culpæ adnumeratur, *l. Imperitia 175. ff. de reg. Iur.* Ideoque Proculus ait: *Si* medicus seruum imperitè secuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia actionem competere. *l. Quæ actione 7. in fine ff. ad legem Aquiliam.* Idem iuris est, si medicamento perperam vsus fuerit. *l. Idem iuris 3. ff. eod.* 4

Ad §. Impetu quoque.

Impetu (a) *quoque mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuerit, si seruus tuus oppressus fuerit, culpæ reus est mulio. Sed etsi propter infirmitatem eas retinere non potuerit, cùm alius firmior retinere potuisset, atque culpæ tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cùm equo veheretur, impetum eius aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam suam retinere non potuerit.* 1

a IMpetu quoque &c. Item si seruus tuus impetu mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuerit, oppressus fuerit, culpæ reus est mulio, & consequenter lege Aquilia tenetur. Idem dicetur, etsi propter infirmitatem mulas retinere non potuerit. Nec videtur iniquum, si infirmitas culpæ adnumeretur: cùm affectare quis non debeat: in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alij periculosam futuram. 2 Idem iuris est in persona eius, qui impetum equi, quo vehebatur, propter imperitiam, vel infirmitatem retinere non potuit. *l. Idem Iuris est 8. ff. Ad legem Aquiliam.*

Ad §. His autem verbis.

His autem verbis (a) *legis: Quanti in eo anno plurimi fuerit, illa sententia exprimitur, vt si quis hominem tuum, qui hodie claudus, aut mancus, aut luscus erit, occiderit,* (b) *qui in eo anno integer & pretiosus* (c) *fuerit: non tanti tenetur, quanti hodie erit, sed quanti in eo anno* (d) *plurimi fuerit. Qua ratione creditum est pœnalem esse* (e) *huius legis actionem, quia non solùm tantum quisque obligatur, quantum damni dederit, sed aliquandò longè pluris. Ideoque constat, in heredem* (f) *eam actionem non transire, quæ transitura fuisset, si vltra damnum nunquam lis æstimaretur.* 3

a HIS autem verbis &c. In hoc §. explicantur illa verba legis Aquiliæ: Quanti ea res in eo anno plurimi fuerit. His igitur verbis illa sententia exprimitur, vt si quis alienum seruum, alienamue quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuria occiderit: non tanti damnetur, quanti seruus, aut quadrupes fuit eo tempore, quo est occisus, occisaue, sed quanti plurimi fuit in eo anno retrorsum computato, ex quo est occisus, occisaue. Pone, Titius seruum tuum iniuria occidit, 4

qui

qui vbi occisus est, fuit claudus, aut mencus, aut luscus: In eo tamen anno fuit integer, & pretiosus: non tanti tenetur Titius, quanti seruus fuit vbi occisus est, sed quanti in eo anno plurimi fuit. Qua ratione creditum est actionem legis Aquiliæ pœnalem esse. Ideoque constat in heredem eam actionem non transire. *tex. hic, l. Ait lex 21. & l. Inde Neratius 23. §. Hanc actionem ff. Ad legem Aquiliam.* Transit tamen actio legis Aquiliæ in heredem, si fortè ex damno locupletior heres factus sit, *dicta l. Inde Neratius 23. §. Hanc actionem.* Vel si lis cum defuncto fuerit inchoata, *l. Omnes pœnales 25. & l. Constitutionibus 32. ff. de obligat. & act.* 1

b *Occiderit.* Quòd si mortiferè fuerit vulneratus, & posteà post longum iteruallum mortuus sit: inde annum numerabimus, ex quo vulneratus est. *l. Ait lex 21. ff. Ad legem Aquiliam.*

c *Et pretiosus.* Et magni pretij. *§. Vi autem bonorum raptorum, Instit. de Actionibus.*

d *In eo anno.* In annum numeramus trecentos sexagintaquinque dies, *l. Ita vulneratus 52. §. Rursus ff. ad legem Aquiliam.* 2

e *Pœnalem esse &c.* Pœna autem non singulis factis, sed generaliter in vniuersum genus huiusce delicti constituta est. Quòd cùm ita sit, sequitur, vt etiam eo casu quo pœnalis actio non esset, nimirum cum pretiosissimum animal interfectum esset, tamen in heredem interfectoris danda non sit. *H. hic.*

f *In heredem eam actionem &c.* Hanc tamen actionem & heredi, cæterisque successoribus dari constat. *l. Inde Neratius 23. §. Hanc actionem ff. ad legem Aquiliam.* 3

Ad §. Illud non ex verbis.

Illud (a) *non ex verbis legis, sed ex interpretatione placuit: non solùm perempti corporis æstimationem habendam esse secundùm ea, quæ diximus: sed eò amplius quidquid præterea perempto eo corpore, damni nobis allatum fuerit: veluti* (b) *si seruum tuum heredem ab aliquo institutum, antea quis occiderit, quàm iussu tuo adiret. nam herceditatis quoque amissæ rationem esse habendam constat. Item si* (c) *ex pari mularum vnam, vel ex quadriga equorum vnum occiderit, vel ex comœdis* (d) *vnus seruus occisus fuerit: non solùm occisi fit æstimatio, sed eò amplius id quoque computatur, quanti depretiati sunt, qui superfunt.* 4

a ILLVD *&c.* Illud non ex verbis legis Aquiliæ, sed ex prudentum interpretatione placuit: nonsolùm perempti cor-

poris æstimationem habendam esse secundùm ea, quæ diximus: sed etiam eius, quod nostra interest corpus non esse peremptum. *tex. hic; l. ait lex 21. in fine ff. ad legem Aquiliam.* Non tamen affectio æstimanda est, *l. Si seruum 33. ff. eod.*

b *Veluti si seruum tuum &c.* Si seruus heres institutus, antequam adeat, occisus sit, etiam hereditatis amissæ ratio habenda est. *l. Inde Neratius 23. in princ. ff. ad legem Aquiliam.*

c *Si ex pari mularum &c.* Si ex pari mularum vnam, vel ex quadrigia equorum vnum quis occiderit, vel ex comœdis vnus seruus occisus fuerit: nonsolùm perempti corporis æstimatio facienda est, sed & eius ratio haberi debet, quo cætera corpora depretiata sunt. *l. proinde 22. ff. ad legem Aquiliam.* 1

d *Ex comœdis.* Hoc est, quorum opera comœdia agi potest.

Ad §. Liberum autem est.

Liberum (a) *autem est ei, cuius seruus occisus fuerit, & iudicio priuato legis Aquiliæ damnum persequi, & capitalis criminis eum reum facere.* 2

a *Liberum autem &c.* Liberum autem est ei, cuius seruus occisus fuerit, & iudicio priuato legis Aquiliæ damnum persequi, & capitalis criminis eum, qui occidit, reum facere ex lege Cornelia de sicarijs, & si lege Aquilia egerit, præiudicium fieri Corneliæ non debet. *tex. hic, iuncta l. Inde Neratius 23. §. Si dolo ff. ad legem Aquiliam, & l. 3. C. de lege Aquilia.* Publica tamen accusatio ex lege Cornelia de sicarijs non semper concurrit cum lege Aquilia, sed eo tantùm casu, quo seruus dolo malo fuit occisus *d. l. Inde Neratius 23. §. Si dolo.* Nàm si culpa, etiam lata, occisus fuit, aliud iuris est, *l. In lege Cornelia 7. ff. ad legem Corneliam de sicarijs.* 3

Ad §. Caput secundum.

Caput secundum (a) *legis Aquiliæ in vsu non est.* 4

a *Caput secundum &c.* Legis Aquiliæ secundum caput in desuetudinem abijt. *l. Si seruus 27. §. Serui autem, in fine ff. ad legem Aquiliam.* Sententia huius capitis ignoratur. Videtur tamen hoc secundum caput fuisse de quauis alia ratione damni dati etiam si non fuerit læsa res nostra, sed intercepta nobis

fortè

fortè vtilitas quædam, vt in casu relato à Plinio *lib. IX. Naturalis Historiæ cap.* 59. Refert enim ibi Plinius aduersus piscatorem socium, qui Anthiam conciliatorem capturæ & ducem, cœperat, cùm is in macello agnitus esset à socio, cuius iniuria erat, damni dati editam formulam condemnatumque, æstimata lite decem libris. *Cuiacius in Paratit. Digestor. in titulo Ad legem Aquiliam.*

Ad §. Capite tertio.

Capite (a) *tertio de omni cætero damno cauetur. Itaque si quis seruum, vel eam quadrupedem, quæ pecudum numero est, vulnerauerit, siue eam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, veluti canem aut feram bestiam, vulnerauerit, aut occiderit: hoc capite actio constituitur. In cæteris quoque omnibus animalibus, item in omnibus rebus, quæ anima carent: damnum iniuria datum, hac parte vindicatur. Si quid enim* (b) *vstum, aut fractum, aut ruptum fuerit, actio ex hoc capite constituitur, quamquam poterat sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere. Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Vnde non solùm fracta, aut vsta, sed etiam scissa, & collisa, & effusa, & quoquo modo perempta atque deteriora facta, hoc verbo continentur. Denique responsum est, si quis in* (c) *alienum vinum, aut oleum id misscuerit, quo naturalis bonitas vini, aut olei corrumperetur: ex hac parte legis eum teneri.*

a *Capite tertio &c.* Huius tertij capitis verba hæc sunt: Cæterarum rerum præter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quidue vsserit, fregerit, ruperit iniuria, quanti ea res fuit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas esto. *l. Si seruus 27. §. Tertio autem capite ff. ad legem Aquiliam.* Si quis igitur iniuria seruum alienum, vel quadrupedem alienam, quæ pecudum numero est, vulnerauerit, siuè alienam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, veluti canem, aut feram bestiam, vulnerauerit, aut occiderit: hoc tertio capite legis Aquiliæ tenetur. Sed & in cæteris omnibus animalibus, item in omnibus rebus inanimatis, damnum iniuria datum, hoc tertio capite vindicatur. *tex. hic, d.l. Si seruus 27. §. Tertio autem capite, & l. Quemadmodum 29. §. Hac actione ff. ad legem Aquiliam.* 1 2 3 4

b *Si quid enim vstum &c.* Si quid vstum, aùt fractum, aùt ruptum fuerit; actio ex hoc tertio capite legis Aquiliæ constituitur.

tur. Poterat tamen sola rupti appellatio omnibus istis causis significandis sufficere. Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Sed non est novum, vt lex specialiter quibusdam enumeratis, generale subijciat verbum quo specialia complectatur. *tex. hic iuncta l.si seruus 27. §.Cum eo ff.ad legem Aquiliam.*

c *Si quis in alienum vinum. Vlpianus in d. l.Si seruus 27. §. Cum eo ff. ad legem Aquiliam.* Cum eo, qui vinum spurcauit, vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiauit: agi posse Aquilia, Celsus ait: quia & effusum, & acetum factum, corrupti appellatione contineatur. 1

Ad §. Illud palàm est.

Illud (a) *palàm est, sicut ex primo capite, ita demum quisque tenetur, si dolo aut culpa eius homo, aut quadrupes occisus occisaue fuerit: ita ex hoc capite, de dolo aùt culpa, & de cætero damno quemque teneri.* 2

a *Illud palàm &c.* Sicut autem ex primo capite ita demùm quis lege Aquilia tenetur, si eius dolo, aùt culpa seruus alienus, aùt quadrupes aliena, occisus, occisaue fuerit: ita ex hoc tertio capite, damnum duntaxat dolo, culpaue datum vindicatur. *l. Qui occidit 30. §. In hac quoque actione ff. ad legem Aquiliam.* Et, ex DD. Sententia, in lege Aquilia etiam leuissima culpa venit *l. In lege 45. ff. ad legem Aquiliam.* Sed ibi leuissima culpa accipitur pro leui, nec vlla inter leuem, & leuissimam culpam constituitur differentia, quod comprobatur ex *l.Putator 31. §.1. ff. eod.* Vbi dicitur culpam, propter quam quis tenetur ex lege Aquilia, eam esse, si quis non præuideat, quæ diligens paterfamilias præuideret, quæ culpa non alia est, quàm leuis. *D.Chesius Interpret. Iur. lib.1. cap.45. num.22.* 3

Ad §. Ex hoc tamen capite. 4

Ex hoc tamen (a) *capite, non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit.*

a *Ex hoc tamen &c.* Ex hoc tamen tertio capite, non quanti in eo anno, vt ex primo capite, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit. *tex. hic,*

hic, l.si seruus 27. §. Tertio autem capite ff. ad legem Aquiliam. Sicut autem ex primo capite annus retrorsum computatur, vt diximus suprà ad §. *His autem verbis, hoc cod. tit.* ità etiam ex hoc tertio capite dies triginta retrorsum computantur.

Ad §. Ac ne plurimi.

Ac ne plurimi (a) *quidem verbum adijcitur. Sed Sabino rectè placuit, perinde habendam æstimationem, ac si etiam hac parte Plurimi verbum adiectum fuisset, nam plebem* (b) *Romanam, quæ Aquilio tribuno rogante* (c) *hanc legem* (d) *tulit, contentam fuisse, quòd prima parte eo verbo vsa* (e) *esset.* 1

a **Ac ne plurimi &c.** Hæc verba tertij capitis legis Aquiliæ, Quanti in triginta diebus proximis fuit, etsi non habent verbum, plurimi: sic tamen accipienda constat. *l. Quemadmodum 29. §. vlt. ff. ad legem Aquiliam.* 2

b *Nam plebem Romanam &c.* Lex igitur Aquilia plebiscitum est: cùm eam Aquilius tribunus plebis à plebe rogauerit. *l. 1. ff. ad legem Aquiliam.*

c *Rogante.* Sic Theophilus, cùm in libris vulgatis (interrogante) corruptè legatur.

d *Legem tulit.* Corrigendum est (legem iussit.) *H.*

e *Vsa esset.* Legendum est (vsus esset) *ex Theoph.*

Ad §. Cæterum placuit. 3

Cæterùm (a) *placuit, ita demùm directam ex hac lege actionem esse, si quis præcipuè corpore suo damnum dederit. Idcoque in eum qui alio modo damnum dederit, vtiles actiones dari solent: veluti si quis hominem alienum, aut pecus* (b) *ita incluserit, vt fame necaretur: aut iumentum tam vehementer egerit, vt rumperetur: aut pecus in tantum exagitauerit, vt præcipitaretur: aut si quis alieno seruo* (c) *persuaserit, vt in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, & is ascendendo, vel descendendo, aut mortuus, aut aliqua corporis parte læsus fuerit, vtilis actio* (d) *in eum datur. Sed si quis alienum* (c) *seruum, aut de ponte, aut de ripa, in flumen deiecerit, & is suffocatus fuerit: eò quòd proiecit, corpore suo damnum dedisse non difficulter intelligi poterit: idcoque ipsa* (f) *lege Aquilia tenetur. Sed si non corpore damnum datum, neque corpus læsum fuerit, sed alio modo damnum alicui contigerit: cùm non sufficiat, neque directa, neque* 4

vtilis

vtilis Aquilia : placuit cum qui obnoxius fuerit, in factum (g) *actione teneri, veluti si quis* (h) *misericordia ductus, alienum seruum compeditum soluerit, vt fugeret.*

a CÆterùm *&c.* In hoc §. docet Imperator quando ob damnum datum competat directa actio legis Aquiliæ, & quando vtilis, & quando actio in factum. Actio directa legis Aquiliæ conceditur quando quis corpore suo corpori damnum dederit: veluti si manu sua quis seruum alienum occiderit, vel vulnerauerit. Vtilis actio legis Aquiliæ datur quando quis corpore suo non dederit damnum, corpori tamen damnum datum est: veluti si quis hominem alienum, aùt pecus ita incluserit, vt fame necaretur. Sed si quis, neque corpore suo damnum dederit, neque corpori damnum datum fuerit, sed alio modo sit damnum illatum: neque directa, neque vtilis actio legis Aquiliæ conceditur, sed datur actio in factum: veluti si quis misericordia ductus, alienum seruum compeditum soluerit, vt fugeret. 1 2

b *Aut pecus ità incluserit &c. l. de pecoribus 5. C. de l. Aquilia.*

c *Aut si quis alieno seruo persuaserit &c. l. 3. & 4. ff. de seruo corrupto.*

d *Vtilis actio in eum datur.* Et hæc vtilis actio legis Aquillæ, etiam in factum dicitur, *l. qua actione 7. §. Celsus autem ff. ad legem Aquiliam.* Est autem in factum ciuilis, ideſt ad exemplum legis Aquiliæ, *l. Si boues 54. ff. ad legem Aquiliam.* 3

e *Sed si quis alienum seruum &c. Vlpianus in l. qua actione 7. §. Sed si quis de ponte ff. ad l. Aquiliam.* Sed si quis de ponte aliquem præcipitauit, Celsus ait (siue ipso ictu perierit, aut continuò submersus est, aut laxatus vi flumin.s victus perierit) lege Aquilia teneri, quemadmodum si quis puerum saxo illisisset.

f *Ipsa lege Aquilia.* Ideſt, directa actione legis Aquiliæ.

g *In factum actione teneri.* Hæc actio est in factum prætoria, quæ nusquam dicitur vtilis Aquilia. *Cuiac. hic.*

h *Si quis misericordia ductus &c.* Si non misericordia ductus fecit: furti tenetur, *l. & eleganter 7. §. Idem Labeo ff. de dolo malo.* 4

De

De (a) iniurijs.

TITVLVS IV.

Generaliter (b) *iniuria dicitur, omne quod non iure fit. Specialiter,* (c) *aliàs contumelia, quæ à contemnendo dicta est, quam Græci* ὕβριν *appellant: aliàs culpa,* (d) *quam Græci* ἀδικημα *dicunt, sicut in lege Aquilia damnum iniuriæ accipitur: aliàs iniquitas* (e) *& iniustitia, quam Græci* ἀδικίαν *vocant. cùm enim Prætor vel iudex non iure contra quem pronunciat, iniuriam accepisse* (f) *dicitur.* 1

a *De Iniurijs.* Suprà fuit expositum primum, secundum, & tertium delictum priuatum, ideſt, furtum, rapina, & damnum: supereſt vt de quarto, ideſt, de Iniuria videamus. 2

b *Generaliter iniuria &c.* Omne, quod non iure fit generaliter iniuria dicitur *l. 1. ff. de Iniurijs.*

c *Specialitèr aliàs contumelia.* Specialiter iniuria aliàs dicitur contumelia, vt in hoc titulo. Et in hac significatione ab auctore *lib. ad Heren.* sic definitur: Iniuria est, quæ aut pulsatione corpus, aut conuicio aures, aut turpitudine vitam alicuius violat.

d *Alias culpa &c.* Interdum iniuriæ appellatione damnum culpa datum significatur: vt in lege Aquilia dicere solemus. *d. l. 1. ff. de Iniurijs.* Imò Iniuriæ verbo in lege Aquilia & damnum dolo datum continetur. Nam eadem lege & dolus, & culpa punitur. §. *Ac ne is quidem, &* §. *Illud palam est, de lege Aquilia.* 3

e *Aliàs iniquitas &c.* Interdum iniquitatem iniuriam dicimus. Nàm cùm quis iniquè, vel iniustè sententiam dixerit, ex eo iniuriam dicam, quod iure, & iustitia caret. *d. l. 1. §. interdum.*

f *Iniuriam accepisse dicitur.* Is scilicet contra quem non iure pronunciat. *Accur. & Cuiac. hic.* 4

Ad §. Iniuria autem.

Iniuria autem committitur, non solùm cùm quis (a) *pugno, puta, aut fustibus cæsus, vel etiam verberatus erit. Sed & si cui* (b) *conuitium factum fuerit, siue cuius bona* (c) *quasi debitoris qui nihil de-*

heret, (d) *possessa fuerint ab eo*, *qui* (e) *intelligebat nihil cum sibi debere*, *vel si quis ad infamiam* (f) *alicuius libellum*, *aut carmen* (g) *scripserit*, *composuerit*, *ediderit*, *doloue malo fecerit*, *quo quid eorum fieret* : *siue quis matrem familias*, (h) *aut prætextatum*, (i) *prætextatamue adfectatus* (k) *fuerit*: *siue cuius pudicitia* (l) *attentata esse dicetur*, *& denique alijs* (m) *pluribus modis admitti iniuriam*, *manifestum est*.

1

2 *Cvm quis pugno &c.* Iniuria committitur cùm quis pugno, aut fustibus cæsus, vel etiam verberatus erit *tex. hic secundum lecturum Cuiacij. H.* verò Tigurini libri auctoritate hunc locum ita emendat, cum quis pulsatus, aut pugno, vel fustibus cæsus, vel etiam verberatus erit. Inter pulsationem autem, & verberationem hoc interest, vt Offilius scribit: verberare, est cum dolore cædere: pulsare, sine dolore. *l. lex Cornelia* 5. §. *Inter pulsationem ff. de Iniurijs*.

b *Sed & si cui conuicium &c.* Committitur etiam iniuria si cui conuicium factum fuerit. De conuicio plura videre potes, *in l. Item apud Labeonem* 15. §. 1. *ff. de Iniurijs*. 2

c *Siue cuius bona &c.* Item committitur iniuria si cuius bona, quasi debitoris, cùm debitor non esset, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil eum sibi debere. *tex. hic*, *facit l. Item apud Labeonem* 15. §. *Si quis non debitorem ff. de Iniurijs*. C

d *Qui nihil deberet.* Si erat verè debitor, cessat iniuriarum actio, quamuis ipse debitor iniuria adficiatur possessis & distractis bonis ex edicto prætoris. *Cuiac. hic*.

3

e *Ab eo qui intelligebat &c.* Iniuria enim ex affectu facientis consistit. *l. 3. ff. de Iniurijs*.

f *Vel si quis ad infamiam &c.* Fit etiam iniuria si quis ad infamiam alicuius libellum, aut carmen scripserit, composuerit ediderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret. *tex. hic l. lex Cornelia* 5. §. *Si quis librum ff. de Iniurijs*.

g *Aut carmen.* In vulgatis libris additur: aut historiam: quod verbum, nec Theophilus, nec libri correctiores adgnoscunt.

h *Siue quis matrem familias &c.* Item committitur iniuria si quis matrem familias, aut prætextatum, prætextatamue adfectatus fuerit. 4

i *Aut prætextatum*, *prætextatamue.* Prætextati, prætextatæue dicebantur, qui, quæue prætexta vtebantur. Prætexta erat vestis qua pueri Romanorum ingenui vsque ad annum decimum septimum vtebantur. Puellæ tamen, nubiles tantùm, prætextas depo-

deponebant. Et inde prætexta dicta fuit quòd eius circuitus purpuraprætextus erat. videre potes *Bud. in Annot. ad l. vlt. ff. de Senat. & Ant. Aug. Emend. lib. 3. cap. 9.*

k *Adfectatus fuerit.* Adfectatur, qui tacitus frequenter sequitur. Assidua etenim frequentia quasi præbet nonnullam infamiam, *l. Item apud Labeonem 15. §. Aliud est appellare ff. de Iniurijs.*

l *Siue cuius pudicitia attentata &c.* Fit etiam iniuria si alicuius pudicitia attentata fuerit. *tex. hic l. Sed est quæstionis 9. §. vlt. ff. de Iniurijs.* 1 Attentari pudicitia dicitur, cum blanda oratione id agitur, vt ex pudico impudicus fiat *l. Attentari 10. iuncta dicta l. Item apud Labeonem 15. §. appellare, & §. aliud est ff. de Iniurijs.*

m *Et denique alijs pluribus modis.* Denique alijs pluribus modis committitur iniuria, de quibus in *tit. ff. & C. de Iniurijs.*

Ad §. Patitur autem.

Patitur (a) autem quis iniuriam non solùm per se met ipsum, sed etiam 2
(b) per liberos suos, quos in potestate habet: item per vxorem (c) suam, id enim magis præualuit. Itaque si filiæ alicuius, quæ Titio nupta est, iniuriam feceris: non solùm filiæ nomine tecum iniuriarum agi potest, sed etiam patris quoque & mariti nomine. Contrà autem, si vero iniuria facta sit, vxor iniuriarum agere non potest. Defendi enim vxores à viris, non viros ab vxoribus, æquum est. Sed & socer nurus nomine, cuius vir in eius potestate (d) est, iniuriarum agere potest.

a *Patitur &c.* Patitur autem quis iniuriam non solùm per se 3
met ipsum, sed etiam per liberos suos, quos in potestate habet: Item per vxorem suam, nurumue. Spectat enim ad nos iniuria, quæ ijs fit, qui vel potestati nostræ, vel affectui subiecti sunt. Itaquè si filiæ alicuius, quæ Titio nupta est, iniuriam feceris; tecum iniuriarum agi potest nomine filiæ, & patris, & mariti, & soceri, qui nurus virum in potestate habet, neque actio vnius, per aliam consumitur. Contrà autem, si viro iniuria facta sit, vxor iniuriarum agere non potest. Defendi enim vxores à viris, non viros ab vxo- 4
ribus, æquum est. *tex. hic, l. 1. §. Item aut per se met ipsum, & §. vlt. & l. 2. ff. de Iniurijs.*

b *Sed etiam per liberos suos &c.* Dummodò is, qui iniuriam facit, sciat eos esse filios familias, *l. cum qui 18. §. vlt. ff. de Iniurijs.* Et hoc casu patri datur actio iniuriarum, & suo & filij nomine, *l. Pater 41. ff. eodem.* Vbi Neratius ait, quod pater, cuius

filio facta est iniuria, non est impediendus, quò minus duobus Iudicijs & suam iniuriam persequatur, & filij.

c *Item per vxorem suam.* Si modò is, qui iniuriam facit, sciat eam habere maritum, *l. Eum, qui* 18. *§. vlt. ff. de Iniurijs.* Per sponsam quoque suam patitur quis iniuriam, *l. Item apud Labeonem* 15. *§. Sponsum quoque ff. de Iniurijs.* Vbi Vlpianus ait, sponsum quoque ad iniuriarum actionem admittendum. Etenim spectat ad contumeliam sponsi iniuria quæcunque sponsæ 1 eius fiat.

d *Cuius vir in eius potestate est.* Propterea autem virum in potestate patris esse oportet, quia per ipsius personam hæc actio patri acquiritur, qui si sui iuris esset, non patri, sed ipsi soli actio quæreretur. *H. hic.*

Ad §. Seruis autem.

Seruis (a) *autem ipsis quidem nulla iniuria fieri intelligitur, sed domino per eos fieri videtur: non tamen iisdem modis, quibus etiam per liberos & vxores: sed ita, cum quid atrocius commissum fuerit, & quod apertè ad contumeliam* (b) *domini respicit: veluti si quis alienum seruum* (c) *verberauerit, & in hunc casum actio proponitur. At si quis seruo conuicium fecerit, vel pugno eum percusserit: nulla in eum actio domino competit.* 2

a *Seruis autem &c.* Seruis autem nulla iniuria fieri intelligitur, sed domino per eos fieri videtur: dummodò tamen sit 3 iniuria atrox, & quæ ad contumeliam domini apertè respiciat veluti si quis alienum seruum verberauerit: tunc enim domino actio iniuriarium conceditur. At si quis seruo conuicium fecerit, vel pugno eum percusserit: nulla domino in conuiciantem, vel percutientem actio competit, *tex. hic, l. Item. apud Labeonem* 15. *§. Si quis sic fecit, & §. prætor ait si quid aliud ff. de Iniurijs.*

b *Et quod apertè ad contumeliam domini respicit.* Interdum iniuria seruo facta, ad dominum redundat, interdum non. Nam 4 si pro libero se gerentem, aut cum alterius potiùs, quàm meum existimabat, quis cæciderit, non cæsurus eum, si meum sciuisset: non posse eum, quasi mihi iniuriam fecerit, sic conueniri, Mela scribit. *l. Item apud Labeonem* 15. *§. Interdum iniuria ff. de Iniurijs.* Si quis ergo sic fecit iniuriam seruo, vt domino faceret: video dominum iniuriarium agere posse suo nomi-

nomine. Si verò non ad suggillationem domini id fecit: ipsi seruo facta iniuria, inulta à prætore relinqui non debuit: maximè si verberibus, vel quæstionibus affligeret: hoc enim & seruum sentire, palàm est *d. l. Item apud Labeonẽ* 15. §. *Si quis sic fecit.*

c *Veluti si quis alienum seruum verberauerit.* Si quis seruo verberato iniuriarium egerit, deinde posteà damni iniuriæ agat: Labeo scribit, eandem rem non esse, quia altera actio ad damnum pertineret, culpa datum, altera ad contumeliam. *d. l. Item apud Labeonem* 15. §. *si quis seruo.* 1

Ad §. Si communi seruo.

Si communi (a) *seruo iniuria facta sit, æquum est, non pro eâ parte, qua dominus quisque est, æstimationem iniuriæ fieri: sed ex dominorum persona, quia ipsis* (b) *fit iniuria:*

a *Si communi seruo &c.* Æstimatio iniuriæ, quæ communi seruo facta est, non pro ea parte, qua dominus quisque est, facienda est, sed ex dominorum persona, quia ipsis fit iniuria. Vbi igitur domini maior, vel minor est dignitas, & vitæ honestas, ibi maior, vel minor iniuria infertur: & vbi maior, vel minor iniuria est, maiorem quoque vel minorem iniuriæ æstimationem faciendam esse æquum est. 2

b *Quia ipsis fit iniuria.* Hac ratione Pædij sententia refellitur relata *in l. Sed non esse æquum* 16. *ff. de Iniurijs. Cuiac. hic.*

3

Ad §. Quod si vsusfructus.

Quòd si (a) *vsusfructus in seruo Titij est, proprietas Mœuij, magis Mœuio iniuria fieri intelligitur.*

a *Quòd si &c.* Quod si iniuria fiat seruo, in quo Titius habet vsumfructum, Mœuius proprietatem, Mœuio proprietario iniuria fieri intelligitur: nisi manifestè facta sit in contumeliam fructuarij. *tex. hic, iuncta l. Item apud Labeonem* 15. §. *Si vsumfructum, & §. penult. ff. de Iniurijs.* 4

Ad §. Sed si libero.

Sed si libero (a) *homini, qui tibi bona fide seruit, iniuria facta sit, nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine is experiri poterit nisi in-*

consu-

Nàm si reus, qui depacisci noluerat, iudici talionem imperanti nō parebat: æstimata lite, iudex hominem pecuniæ damnabat: atque ita si reo & pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas legis ad pecuniæ multam redibat. Gellius v bi suprà.

c *Nummariæ pœnæ erant constitutæ.* Quæ summa illa fuerit, ignoratur. Quòd enim ità de iniuria puniendæ leges 12. tabularum sanxerunt: Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ 1
sunto. Non omninò omnes iniurias ære isto pauco diluerunt: Sed iniurias atrociores, vt de osse fracto, non liberis modò, verùm etiam seruis factas, impensiore damno vindicauerunt. Quibusdam autem iniurijs talionem quoque apposuerunt, vt dixi, Ex eod. Gellio *d. lib. 20. cap. 1.*

d *Sed postea Prætores &c.* Sed postea Prætores permiserunt ijs, qui iniuriam passi sunt, eam æstimare, vt Iudex vel tanti rem condemnet, quanti iniuriam passus æstimauerit, vel minoris, provt ei æquius visum fuerit. Et hæc prætoria iniuriarum 2
pœna in iudicijs frequentatur. Nàm secùndum gradum dignitatis, vitæque honestatem illius, qui passus est iniuriam, crescit, aut minuitur æstimatio iniuriæ. Qui gradus condemnationis & in seruili persona non immeritò seruatur. Aliter enim iniuria æstimatur in seruo actore, aliter in medij actus homine, aliter in vilissimo, vel compedito. *Tex. hic, l. Item apud Labeonem 15. §. Itaque prætor ff. de Iniurijs.* Seruis quidem ipsis, vt diximus suprà, nulla iniuria fieri intelligitur: sed domino per eos fieri videtur, & qùia dominus pluris facit, & 3
magis amat seruum vnum, quàm alterum, actorem magis, quàm medij actus hominem, & medij actus hominem magis, quàm vilissimum, & compeditum, ideò maior iniuria domino videtur fieri, per seruum actorem, quàm per medij actus hominem, & per medij actus hominem maior iniuria, quàm per seruum vilissimum, vel compeditum, & propterea aliter æstimatur iniuria in seruo actore, aliter in medij actus homine aliter in vilissimo, vel compedito, *B. hic sub num. 3.*

c *In seruo actore.* In seruo, cui omnium mearum rerum pro- 4
cùrationem credidi. *Theoph.* Hinc apud Vlpianum, Actor, pro seruo optimo, *in l. legato 37. ff. de legat. & fideicomm. 1.* In summa, Actor est maioris actus homo.

f *In medij actus homine.* In homine mediastino, *d. l. Item apud Labeonem 15. §. Itaque prætor ff. de Iniurijs.*

g *Vel compedito.* Idest, in seruo, qui malus, & fugæ suspectus,

ctus, neruo ac compedibus coërcetur, vinctusque continetur. Videre potes, *Brisson. Select. ex Iur. Ciuil. antiquit. lib. 2. cap. 9.*

Ad §. Sed & lex Cornelia.

Sed & lex (a) *Cornelia de iniurijs loquitur, & iniuriarum actionem introduxit, quæ competit ob eam rem, quòd se pulsatum quis, verberatumue, domumue suam vi introitam esse dicat. Domum autem accipimus, siue in propria domo quis habitat, siue in conducta, vel gratis, siue hospitio* (b) *receptus sit.* 1

a SED *& lex &c.* Sed & lex Cornelia de iniurijs loquitur, & iniuriarum actionem introduxit, quæ tamen competit tantum ex tribus causis: ob eam rem scilicet, quod se pulsatum quis, verberatumue, domumue suam vi introitam esse dicat. Inter pulsationem autem, & verberationem hoc interest, vt Offilius scribit, quòd Verberare, est cum dolore cedere: Pulsare, sine dolore. Et domum cuiusque intelligimus, siue in propria domo quis habitet, siue in conducta, vel gratis, siue hospitio receptus sit. *Tex. hic, l. lex Cornelia 5. in princ. & in §. Inter pulsationem, cum §. seq. ff. de Iniurijs.* 2

b *Siue hospitio receptus sit.* Non tamen ad momentum, sed tanquam ibi aliquandiù mansurus, *l. Lex Cornelia 5. §. domum, & ibi gl. in verbo, hospitio, ff. de Iniurijs.*

Ad §. Atrox iniuria. 3

Atrox iniuria (a) *æstimatur, vel ex facto, veluti si quis ab aliquo vulneratus fuerit, vel fustibus cæsus, vel ex loco:* (b) *veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu prætoris iniuria facta sit, vel ex persona:* (c) *veluti si magistratus iniuriam passus fuerit, vel si Senatori ab humili persona iniuria facta sit, aut parenti patronoue fiat à liberis, vel libertis. Aliter enim senatoris, & parentis patronique, aliter extranei, & humilis personæ iniuria æstimatur. Nonnunquam & locus* (d) *vulneris atrocem iniuriam facit: veluti si in oculo quis percusserit. Parui* (e) *autem refert, vtrum patrifamilias, an filiofamilias talis iniuria facta sit. Nam & hæc atrox æstimabitur.* 4

a ATrox *iniuria &c.* Iniuria æstimatur atrox primo ex facto ipso, veluti si quis ab aliquo vulneratus fuerit, vel fustibus cæsus. *l. prætor 7. §. vlt. ff. de Iniurijs.*

b *Vel*

b *Vel ex loco*. Secundo æstimatur atrox iniuria ex loco, in quo facta est: veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu prætoris iniuria facta sit, seù, vt loquitur *Paulus recept.sent.lib.5. tit.de Iniurijs*, §. *Atrox*. Loco atrox iniuria æstimatur, quoties in publico irrogatur.

c *Vel ex persona*. Tertio atrox iniuria æstimatur ex persona, quæ iniuriam fecit, vel cui facta est: veluti si magistratus iniuriam passus fuerit, vel si senatori ab humili persona iniuria 1
facta sit, aut parenti, patronoue fiat à liberis, vel libertis. *Tex.hic, dicta l.prætor 7.§.vlt.ff.de Iniurijs, & Paulus vbi supra*.

d *Et locus vulneris*. Quarto iniuria nonnumquam æstimatur atrox ex loco vulneris: veluti si in oculo quis percussus fuerit. *l.Vulneris ff.de Iniurijs*.

e *Parui autem refert &c.* Nihil autem ad iniuriæ æstimationem interest, vtrùm patrifamilias, an filiofamilias iniuria facta sit. Nàm & iniuria filiofamilias facta, ex circumstantijs supradictis, atrox æstimabitur. *l.Sed est quæstionis 9.§.1. ff.de Iniurijs*. 2

Ad §. In summa.

In summa sciendum est, de omni iniuria eum, qui passus est, posse, vel (a) *criminaliter agere, vel ciuiliter. Etsi quidem ciuiliter agatur, æstimatione facta secundum quod* (b) *dictum est, pœna imponitur. Sin autem criminaliter, officio* (c) *iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur: hoc videlicet obseruando, quod Zenoniana* (d) *Constitutio introduxit, vt viri illustres, quique super eos sunt, & per procuratores, possint actionem iniuriarum criminaliter, vel persequi, vel* 3
suscipere, secundùm eius tenorem, qui ex ipsa manifestiùs apparet.

a VEL *criminaliter agere, vel ciuiliter*. Vtitur Imperator disiunctiua particvla, *Vel*, vt ostendat, passum iniuriam, simul ciuiliter, & criminaliter agere non posse, sed in arbitrio eius esse, vtrum ciuilem, an criminalem actionem instituere velit. Vna autem harum actionum intentata, non potest recurrere ad aliam, cùm vtraque actione vindictam persequamur, non rem familiarem. Propter hanc itaque cau- 4
sam, ciuilis actio iniuriarum præiudicat criminali, & contra criminalis ciuili. Et vna intentata, altera tollitur. Secus est, quando iudicium ciuile est de re familiari, criminale, de vindicta, & publica vltione. Tunc vna actio aliam non tollit, *l.Vnica C.quando ciuil.act.crim.præiud. Borch.hic sub num.2.& seq.& Mynsing.sub num.4.& 5*.

b *Secundùm quod dictum est. Supra eod.§.Pœna autem.*

c *Officio Iudicis*. Ideſt, arbitrio Iudicis.

d *Quod Zenoniana Conſtitutio.* Quæ eſt *l.vlt.C.de Iniurijs.*

e *Et per Procuratores*. Regulariter in criminalibus procurator non admittitur. *l.penult.§.vlt.& ibi gl.ff.de pub.Iud.*

Ad §. Non ſolum autem.

Non ſolùm (a) *autem is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, ideſt, qui percuſſit: verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit, vel curauit, vt eui mala pugno percuteretur.* 1

a NON *ſolùm &c.* Non ſolùm autem is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, veluti, qui percuſſit, ſed etiam ille, qui dolo malo fecit, vel curauit, vt alicui iniuria fieret, putà, vt aliquis percuteretur. *Tex.hic, l. non ſolùm 11. in princ. & §.Si mandatu meo ff. de Iniurijs.* Qui enim facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum. Regula qui facit 72.*de reg.iur.in 6.* 2

Ad §. Hæc actio.

Hæc actio (a) *diſſimulatione* (b) *aboletur: & ideò ſi quis iniuriam dereliquerit, hoc eſt, ſtatim vt paſſus, ad animum ſuum* (c) *non reuocauerit: poſteà ex pœnitentia remiſſam iniuriam non poterit recolere.*

a HAec *actio &c.* Actio iniuriarum diſſimulatione tollitur. *l.Non ſolùm 11.§.Iniuriarum actio ff.de Iniurijs.* 3

b *Diſſimulatione aboletur*. Tollitur etiam iniuriarum actio pacto, tranſactione, aut iureiurando. *d.l. non ſolùm 11. §. Iniuriarum actio ff.de Iniurijs.* Item lapſu vnius anni. *l. Si non conuicij 5. C.de Iniurijs.* Actionem tamen iniuriarum, quam lex Cornelia introduxit, vt ſupra *in §.Sed & lex Cornelia, hoc eod.tit.* Doctores perpetuam eſſe volunt. Tollitur quoque iniuriarum actio morte iniuriantis, vel iniuriati, ante litem conteſtatam, *l.Iniuriarum actio 13.in princ. & l. Item apud Labeonem 15. §. Iniuriarum ff.de iniurijs, & l.Si eum 10. §. Qui iniuriarum ff. Si quis cautionibus.* 4

c *Ad animum ſuum non reuocauerit.* Non indignatus fuerit, neque vt rem indignam iniquo animo, & grauiter tulerit. *Theoph.hic.*

De

De obligationibus, (a) quæ quasi ex delicto nascuntur.

TITVLVS V.

Si Iudex (b) *litem suam* (c) *fecerit: non propriè ex maleficio obligatus videtur, sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu* (d) *obligatus est, & vtique peccasse aliquid* (e) *intelligitur, licet per imprudentiam: ideò videtur quasi ex maleficio teneri: & in quantum de ea re æquum religioni iudicantis videbitur, pœnam sustinebit.* 1

a *De obligationibus &c.* Hucusque dictum est de obligationibus ex contractu, & quasi ex contractu, & etiam de obligationibus ex maleficio: sequitur vt de obligationibus, quæ sunt quasi ex maleficio, dispiciamus. §. *Sequens, de obligationibus.* 2

b *Si Iudex &c.* Si Iudex per imprudentiam malè iudicando litem suam fecerit, quasi ex maleficio tenetur: & in quantum de ea re æquum religioni iudicantis videbitur, pœnam sustinebit. *l. Ex maleficijs* 4. §. *Si Iudex ff. de oblig. & act. l. vlt. ff. de varijs, & extraord. cog.*

c *Litem suam fecerit.* Tam is, qui imperitia, quàm qui sciens prudensque malè iudicauerit litem suam facit. Hic quidem ex delicto obligatur, & infamis fit, *l. vlt. C. de pœna iud. qui malè iudic.* & criminaliter accusari potest, & veram litis æstimationem præstare cogitur, *l. si filiusfamilias* 15. §. *vlt. ff. de Iudicijs.* 3 Ille quasi ex maleficio dumtaxat obligatur, neque infamis fit, neque accusari potest, & quanti visum Iudici fuerit, non quanti ea res est, tenetur in factum actione, *l. vlt. ff. de varijs, & extraord. cognit.* Et si appellari à Iudice potest, hac actione causæ appellationis sumptus, viatica, damna præstantur: quòd si appellari aduersus eum non potest, necesse est vt is periculum totius rei vt suum agnoscat. *Ex Cuiac.*

d *Neque ex contractu.* Nec quasi ex contractu. 4

e *Aliquid.* Aliquatenus culpæ reus est.

Ad §. Item is, ex cuius.

Item is, (a) *ex cuius cœnaculo*, (b) *vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis* (c) *habitat, deiectum*, (d) *effusumue aliquid est*,

ita vt alicui noceret, quasi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideò autem (e) *non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur, aut serui, aut liberi. Cui similis* (f) *est is, qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum, aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere: quo casu pœna decem aureorum constituta est. De eo verò,* (g) *quod deiectum effusumue est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est* (h) *actio. Ob hominem verò liberum* (i) *occisum, quinquaginta aureorum pœna constituitur. Si verò viuat, nocitumque ei esse dicatur: quantum ob eam rem æquum iudici videtur, actio* (k) *datur. Iudex enim computare debet mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operarum, quibus carnit, aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est.* 1

a *Item is &c.* Is quoque, ex cuius cœnaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, deiectum, effusumue aliquid alicui nocuit: quasi ex maleficio obligatur. 2 *l. ex maleficijs 4. §. Is quoque ff. de oblig. & act.*

b *Cœnaculo.* Cœnaculum est superior pars ædium, in qua veteres cœnare solebant, *Varro lib. 4. de ling. lat.*

c *Vel in quo gratis habitat.* Hospes planè non tenebitur, quia ibi non habitat, sed tantisper hospitatur, sed is tenetur, qui hospitium dedit. *l. 1. §. hospes ff. de ijs, qui deiec. vel effud.*

d *Deiectum, effusumue.* Deijci dicuntur solida, vt lapides, tegulæ: effundi, liquida, vt aqua. *Theoph.*

e *Ideo autem &c.* Ideò autem is, ex cuius cœnaculo deiectum, 3 effusumue aliquid alicui nocuit, non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur, aut serui, aut liberi. *d. l. ex maleficijs 4. §. Is quoque, ff. de oblig. & act.* Quia tamen ipse quodammodo peccasse videtur, ob id, quod in eo cœnaculo habuerit hominem incautum, & improuidum, quasi ex maleficio tenetur actione in factum prætoria de effusis, & deiectis. Sed si idem esset habitator, & deiector, ob suam culpam ex maleficio lege Aquilia teneretur, & vtraque actio competeret, sed hæc plenior esse videtur. 4 *Cuiac. hic.*

f *Cui similis est is &c.* Item is, qui ea parte, qua vulgò iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere, quasi ex maleficio obligatur actione in factum prætoria de positis in suggrunda, vel protecto, & pœna est decem aureorum. Nec requiritur, quod noceat id, quod posi-

positum est, sed sufficit, quod possit nocere. *d.l.Ex maleficijs 4. §.Is quoque ff.de oblig:& act.iuncta l.Si vero plures 5. §. Prætor ait, ff.de ijs, qui deiecer.vel effud.*

g *De eo verò &c.* De eo verò, quòd deiectum effusumue est, dupli, quantum damni datum sit constituta est actio. Sed cùm liber homo perijt: damni æstimatio non fit in duplum: quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest: sed quinquaginta aureorum condemnatio fit. Si verò liberi hominis 1
corpus læsum fuerit: quantum ob eam rem æquum iudici videbitur actio datur. Iudex enim computare debet mercedes Medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: prætereà operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est, Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus, vt dictum est, nullam recipit æstimationem. *Tex.hic iuncta l.1.& vlt.ff. de ijs, qui deiec.vel effud.*

h *Constituta est actio.* Hæc autem actio, quæ competit de effu- 2
sis & deictis, perpetua est: & heredi competit: in heredem verò non datur. *l.Si verò plures 5. §. hæc autem actio, ff. de ijs, qui dciec.vel effud.*

i *Ob hominem verò liberum occisum &c.* Actio autem, quæ de eo competit, quòd liber homo perijsse dicetur, intra annum dumtaxat competit: neque in heredem, sed nec heredi, similibusque personis datur. *d.l.Si verò plures 5. §. Quæ autem.*

k *Actio datur.* Sed si libero homini nocitum sit: ipsi perpetua erit actio. Sed si alius velit experiri: annua erit. *d. l. si verò plures 5. §.Sed si libero.* 3

Ad §. Si filiusfamilias.

Si filiusfamilias (a) *seorsum* (b) *à patre habitauerit, & quid ex cœnaculo eius deiectum effusumue sit, siue quid positum suspensumue habuerit, cuius casus periculosus est: Iuliano placuit, in patrem* (c) *nullam esse actionem, sed cum ipso filio* (d) *agendum. Quod & in filiofamilias Iudice* (e) *obseruandum est, qui litem suam fecerit.* 4

a *SI filius familias &c. l. ex maleficijs 4. §. Is quoque, ff. de oblig. & act.*

b *Seorsum à patre.* Nàm si cum patre habitauerit, ipse pater suo nomine ex edicto tenebitur etiamsi effuderit filius, aut deiecerit, aut posuerit, neque ad quantitatem peculij ea actio

coan-

coangustanda est. Tenetur etiam filiusfamilias hoc casu suo nomine vtili actione. Sed vna contenti esse debemus. *Cuiac.hic.*

c *In patrem nullam esse actionem.* Actio de peculio in patrem non datur: quia illa actio ob eas obligationes instituta est, quæ ex contractu nascuntur: hic autem non ex contractu, sed quasi ex maleficio filiusfamilias obligatus est. *l. 1. §. Si filiusfamilias, ff. de ijs, qui deiec. vel effud. l. 1. & passim ff. de peculio.* Filio verò ex his causis condemnato, iudicati quoque pater de peculio actione tenetur. Nàm in iudicio quasi contrahitur. *l. Etsi condemnatus 35. ff. de noxal. act. l. 3. §. Idem scribit ff. de pecul.* 1

d *Sed cum ipso filio agendum.* Actione in factum prætoria.

e *Quod & in filiofamilias Iudice obseruandum est.* Ex eadem ratione, quam modò attulimus: quia scilicet actio de peculio, tum demum in patrem datur, cum filius ex contractu obligatus est. Hic autem ex quasi delicto tenetur. Filio verò condemnato, in patrem de peculio actio dabitur. Nàm in iudicio quasi contrahitur, vt suprà dixi. 2

Ad §. Item exercitor nauis.

Item exercitor (a) *nauis, aut cauponæ, aut stabuli, de damno, aut furto quod in naui, aut caupona, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modò ipsius nullum* (b) *est maleficium, sed alicuius eorum, quorum opera nauem, aut cauponam, aut stabulum exercet. Cum enim neque ex maleficio, neque* (c) *ex contractu si t aduersus eum constituta hæc actio, & aliquatenus culpæ reus est, quod opera malorum hominum vteretur: idcò quasi ex maleficio teneri videtur. In his autem casibus in factum actio* (d) *competit, quæ heredi quidem datur, aduersus heredem autem non* (e) *competit.* 3

a ITEM *exercitor &c. l. Ex maleficijs 4. §. vlt. ff. de oblig. & act. iuncta l. vlt. §. hæc actio ff. Naut. caup. stabul.*

b *Si modo ipsius nullum est maleficium.* Alioquin ex maleficio tenetur actione furti, vel Legis Aquiliæ. 4

c *Neque ex contractu.* Nec quasi ex contractu.

d *In factum actio competit.* Contra exercitorem. Possumus etiam furti, vel damni iniuriæ actione vti cum fure, vel eo qui damnum dedit: sed vna contenti esse debemus, *l. penult. §. vlt. ff. naut. caup. stabul.* Et hæc actio in factum in duplum est. *l. vlt. §. Hæc actio ff. eod.* Seruorum tamen suorum nomine, quorum opera exer-

exercitor vtitur, noxali duntaxat iudicio tenetur, *l.vlt.§.Seruorum autem ff.naut.caup.stabul.l.Vnica §.Serni verò ff.furti aduers.naut. caup.stabul.*

c *Aduersus heredem autem non competit.* Nimirùm quia pœnalis actio est,

De Actionibus.

1

TITVLVS VI.

Superest, (a) *vt de actionibus loquamur. Actio autem* (b) *nihil aliud est, quàm ius* (c) *persequendi* (d) *in iudicio,* (e) *quod sibi* (f) *debetur.*

a *SVpereſt &c.* Omne ius, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, *princ.tit.Inſt.de Iure personarum.* 2 Cum igitur hucusque dictum sit de personis, & de rebus: Superest, vt de actionibus loquamur.

b *Actio autem nihil aliud est &c. l.Nihil aliud* 50.*ff.de oblig. & act.*

c *Quam ius &c.* In hac definitiune verbum Ius, ideam incorporalem, & potestatem agendi Iure Romano actori datam, demonstrat, vt in definitione seruitutum, & tutelæ. *Baro. hic.*

d *Persequendi.* Nàm siquidem personalis actio est, semper obligatam personam insequitur, donec id, quod contendit, assequatur; sin verò in rem, perpetuò rem ipsam insectatur, 3 cuiuscunque in manum, vel possessionem peruenerit. *H.*

e *In iudicio.* Per hæc verba excluduntur persequutiones extraiudiciales: Nihil enim extraiudiciale, nomen actionis meretur.

f *Quod sibi debetur.* Deberi quidem propriè dicitur, quod ex contractu, vel quasi, aut ex maleficio, vel quasi, nobis debetur. Cœterùm hic debendi verbum etiam de re, quæ nostra est, quamque nobis restitui petimus, exaudiendum est, vt definitio actionis, non solùm actioni in personam, sed etiam 4 in rem conueniat. *B.hic.* Et dicitur, Quod sibi debetur: Nàm actio non eius, quod alijs, sed eius, quod nobis ipsis debetur, persequendi causa instituta est: ideoque olim per procuratorē agere non licebat. *princ.tit.Inſt.de ijs,* per quos agere possumus: Sed posteà vtilitatis causa receptum est, vt qui per procuratorem agit, per semetipsum agere videatur.

Ad

Ad §. Omnium autem.

Omnium autem actionum, quibus inter (a) *aliquos apud Iudices*, (b) *arbitrosue de quacunque re quæritur, summa* (c) *diuisio in duo genera* (d) *deducitur, aut enim in rem sunt, aut in personam. Namque* agit (e) *vnusquisque, aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio, quo casu proditæ sunt actiones in personam, per quas intendit aduersarium ei dare, aut facere oportere, & aliis quibusdam* (f) *modis. Aut cum eo agit,* (g) *qui nullo iure* (h) *ei obligatus est, mouet tamen illi de aliqua re* (i) *controuersiam: quo casu proditæ actiones in rem sunt: veluti si rem* (k) *corporalem possident* (l) *quis, quam Titius* (m) *suam esse affirmet, & possessor dominum* (n) *eius se esse dicat, nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est.* 1

a *INTER aliquos.* Inter actorem, & reum. 2

b *Apud Iudices arbitrosue.* Hæc verba possunt probabiliter ità interpretari, vt Iudices referantur ad iudicia stricti iuris, arbitri verò ad Iudicia bonæ fidei, vel arbitraria. *Pac. hic in Analy.*

c *Summa diuisio.* Prima, præcipua, & principalis diuisio,

d *In duo genera deducitur.* Sunt etiam quædam actiones mixtæ, quæ simul sunt in rem, & in personam, §. Quædam, hoc eod. tit. Non tamen propterea insufficiens est hæc diuisio, qua dicitur, quod actiones omnes, aut in rem sunt, aut in perso- 3
nam, quoniam mixtæ actiones non constituunt nouum actionum genus, quod enim mixtum est, sub simplicibus continetur. *gl. in l. 2. in princ.* in verbo, *In dando, ff. de verb. oblig.*

e *Namque agit vnusquisque &c.* Actio in personam est, qua quis agit cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio: vt si intendat aduersarium ei aliquid dare, aut facere oportere. Hic autem appellatione contractus significatur etiã quasi contractus, & appellatione maleficij etiam quasi maleficium, vt alibi sæpè. 4

f *Et aliis quibusdam modis.* Vt si intendat aduersarium ei aliquid tradere, aut restituere oportere, variè enim actio in personam commutari potest.

g *Aut cum eo agit, qui nullo iure &c.* Ex hoc textu actio in rem, in genere sumpta, sic potest definiri: Actio in rem est, qua quis cum eo agit, qui nullo iure ei obligatus est, mouet tamen illi de aliqua re controuersiam.

h *Nullo iure ei obligatus est*. Ideſt, nulla obligatione deſcendente ex contractu, vel quaſi ex contractu, ex delicto vel, quaſi ex delicto. Igitur in actione in rem perſona ipſa propriè nobis non eſt obligata: ſed perſequimur ius, vel res noſtras.

i *De aliqua re*. Quæ penes eum eſt.

k *Veluti ſi rem corporalem &c.* Exemplum eſt rei vindicationis. Ideòque benè dicit, corporalem: quia Rei vindicatio conſiſtit tantum in rebus corporalibus. Et ex hoc textu actio in rem ſic poteſt definiri. Actio in rem eſt, per quam rem noſtram petimus, quæ ab alio, qui dominum eius ſe eſſe dicit, poſſidetur. Quæ tamen definitio pertinere videtur ad rei vindicationem tantùm. 1

l *Poſſideat quis*. Datur tamen rei vindicatio non ſolùm contra eum, qui verè, & propriè poſſidet, ſed etiam contra omnes, qui detinent, & habent rei reſtituendæ facultatem, *l. officium 9.ff.de rei vindic.* & etiam datur contra eum, qui dolo deſijt poſſidere *l.ſin autem 38. §. Sed & 15 ff. de rei vindic.* 2

m *Quam Titius ſuam eſse affirmet*. Competit enim in rem actio ei, qui aut Iure gentium, aut Iure Ciuili dominium acquiſiuit *l.in rem actio 24.ff.de Rei vindict.*

n *Dominum eius ſe eſse dicat*. Ideſt contrà vindicet, dicendo, Imò mea eſt.

Ad §. Aequè ſi agat. 3

Æquè (a) *ſi agat ius ſibi eſſe fundo fortè, vel ædibus vtendi, fruendi, vel per fundum vicini eundi, agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi, in rem actio eſt. Eiuſdem generis eſt actio de iure prædiorum vrbanorum, veluti, ſi quis agat ius ſibi eſse* (b) *altiùs ædes ſuas tollendi, proſpiciendiue* (c) *vel proijciendi* (d) *aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contrà quoque de vſufructu, & de ſeruitutibus prædiorum ruſticorum, item prædiorum vrbanorum, inuicem quoque proditæ ſunt actiones: vt ſi quis intendat ius non eſſe aduerſario vtendi, fruendi, eundi, agendi, aquàmue ducendi, item altiùs* (e) *tollendi, proſpiciendi, proijciendi, immittendi: iſtæ quoque actiones in rem ſunt, ſed negatiuæ.* (f) *Quod genus actionis in controuerſijs rerum corporalium proditum non eſt. Nam in his agit, qui non poſſidet, ei verò, qui poſſidet, non eſt actio prodita, per quam neget rem* (g) *actoris eſſe. Sanè vno* (h) 4

casu qui possidet, nihilominus actoris partes obtinet, sicut in latioribus (i) *Digestorum libris opportunius apparebit.*

a A *Equè si agat &c.* Pro seruitutibus tam personalibus, quàm realibus duplex actio in rem prodita est: vna, quà seruitutem nobis competere contendimus, altera, qua negamus seruitutem aduersario deberi. Illa speciali nomine Confessoria actio, hæc Negatoria dicitur *l. 2. ff. Si seruit. vindic. seù negatiua, vt in hoc* §. 1

b *Si quis agat ius sibi esse altiùs ædes suas tollendi.* Hanc seruitutem altiùs tollendi acquirit nemo, nisi qui antea debebat seruitutem altiùs non tollendi: Nàm aliàs iure suo potest dominus altiùs ædes suas in immensum tollere, etiam si obscuret vicini ædes, *l. Altius 8. C. de seruit. iunct a, l. Cum eo 8. & l. Cuius 23. ff. de Seruit. vrban. præd.* Si ergo e. g. vicino iam ante cessero ius mihi non esse altiùs ædes meas tollendi, & is mihi postea concessit, vt ad pedem vnum, vel alterum ædes altiùs tollerem, certè hoc casu ædes altiùs tollo iure seruitutis. 2

c *Prospiciendiue* Prospiciendi ius habet ille, qui ius habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem prospectum, & liberum. *l. Inter seruitutes 14. ff. de seruit. vrb. præd.*

d *Proijciendi aliquid, vel immittendi.* Inter proiectum, & immissum hoc interesse Labeo ait, quòd proiectum esset id, quod ita proueheretur, vt nusquam requiesceret, qualia meniana, & suggrundia essent. Immissum autem, quod ita fieret, vt aliquo loco requiesceret: veluti tigna, trabes, quæ immitterentur. *l. malum nanis 242.* §. *Inter proiectum ff. de verb. signif.* 3

e *Item altiùs tollendi. Cuiacius in Paratit. ff. Si seruit. vindic.* ait, hanc actionem, qua quis intendit ius non esse aduersario altiùs tollendi, esse negatoriam figura verborum, vi ipsa confessoriam.

f *Sed negatiuæ.* Seù negatoriæ, vt dixi *in princ huius* §.

g *Per quam neget rem actoris esse.* Actoris ideſt, petitoris, qui se dominum esse contendit. Sed suam tamen rem esse dicit qui possidet contra vindicando, & agit non directa, sed lacessitùs contraria vindicatione. *Cuiac. hic.* 4

h *Sanè vno casu.* Textus hoc loco varias habet lectiones. Vulgata lectio hæc est (sanè vno casu) vno scilicet illo casu, quo de seruitutibus controuersia est, non vllo alio. *Cuiacius hic, & ad Africanum Tract. 9. ad l. si prinsquam 15. de operis noui nunc.* Et

sup-

ſuppoſito, quod contextus mendo non careat, non recederem ab ijs, qui emendant (Sanè hoc caſu) vel (Sanè illo caſu) vt perior caſus ſignificetur, quo de ſeruitutibus controuerſia eſt.

i *In latioribus Digeſtorum libris Tit. Si vſusfruct. pet. & tit. ſi ſernit. vindic.*

Ad §. Sed iſtæ quidem.

1

Sed iſtæ (a) *quidem actiones, quarum mentionem habuimus, & ſi quæ ſunt ſimiles, ex legitimis & ciuilibus cauſis deſcendunt. Aliæ autem ſunt, quas prætor ex ſua iuriſdictione comparatas habet, tam in rem, quàm in perſonam: quas & ipſas neceſſarium eſt exemplis oſtendere: vt ecce, plerumque ita permittit Prætor in rem agere, vt vel actor dicat, ſe quaſi vſucepiſſe, quod non vſuceperit. vel ex diuerſo poſſeſſorem* (b) *dicat aduerſarium ſuum non vſucepiſſe, quod vſuceperit.*

2

a *Sed iſtæ quidem &c.* Imperator hoc loco ad ſecundam actionum diuiſionem latenter accedit. Actiones igitur omnes, aut ciuiles ſunt, aut prætoriæ *l. actionum genera 24. in fine, ff. de oblig. & act.* Actiones ciuiles ſunt, quæ ex legitimis, & ciuilibus cauſis deſcendunt. Ideſt, quæ lege duodecim tabularum, aut ſaltem aliqua ciuili conſtitutione introductæ ſunt. Actiones verò prætoriæ ſunt, quas prætor ex ſua iuriſdictione comparatas habet. Ideſt, quas prætor vi ſuæ iuriſdictionis introduxit. Exempla actionum ciuilium ſuperiùs data ſunt, exempla 3
verò actionum prætoriarum tam in rem, quàm in perſonam, videbimus in §§. ſequentibus.

b *Poſſeſſorem.* Legendum eſt (Poſſeſſorem) vt Theophilus, non autem (Poſſeſſor,) vt in vulgata lectione.

Ad §. Namque ſi cui.

Namque (a) *ſi cui ex iuſta* (b) *cauſa res* (c) *aliqua* (d) *tradita* (e) *fuerit,* 4
veluti ex cauſa emptionis, aut donationis, aut dotis, aut legatorum, nec dum eius rei dominus (f) *effectus eſt: ſi eius rei poſſeſſionem caſu amiſerit, nullam habet directam in rem actionem ad eam perſequendam: quippe ita proditæ ſunt iure ciuili actiones, vt quis dominium ſuum vindicet. Sed quia ſanè durum* (g) *erat, eo caſu deficere actionem, inuenta eſt à prætore actio, in qua dicit is, qui poſ-*

sessionem amisit, eam rem se vsucepisse, & ita vindicat suam esse: quæ actio Publiciana appellatur, quoniam primùm à Publicio prætore in edicto proposita est.

a NAmque si cui &c. Primum exemplum actionis prætoriæ in rem est Actio Publiciana, sic dicta, quoniam primùm à Publico prætore in edicto proposita est. Hanc autem actionem ideò Prætor inuenit, vt posset is, qui rem aliquam cœpit vsucapere, si eius rei possessionem ante completam vsucapionem, & consequenter ante dominium adquisitum, amiserit, perinde vindicare, ac si iam vsucepisset. Nam durum erat eo casu deficere actionem: dictus enim vsucapiens, qui rei possessionem amisit, nullam habet directam in rem actionem ad eam persequendam: quippe ità proditæ sunt Iure Ciuili actiones, vt quis dominium suum vindicet. Qui igitur rem aliquam ex iusta causa à non domino traditam accepit bona fide, veluti ex causa emptionis, aut donationis, aut dotis, aut legatorum: si eius rei possessionem, ante perfectam vsucapionem casu amiserit, Publiciana actione perindè vindicat, ac si iam vsucepisset. *tex. hic iuncta l. 1. & l. eum qui 8. §. prætor ait, & §. vlt. ff. de Public. in rem act.* Vindicat inquam à quocunque possessore, preterquam à vero domino, *l. penult. & vlt. ff. de public. in rem act.* 1 2

b *Ex iusta causa.* Ideſt, ex causa, ex qua si à domino rem accepisset, dominium in ipsum accipientem fuisset translatum.

c *Res.* Etiam incorporalis, *l. si ego 13. §. 1. ff. de Public. in rem act.* 3

d *Aliqua.* Ex Theophilo videtur legendum (Aliena.)

e *Tradita fuerit.* A non domino, quem tamen accipiens dominum esse crediderit. *l. 1. & l. Eum, qui 8. §. prætor ait, & §. vlt. ff. de public. in rem act.*

f *Necdum eius rei dominus effectus est.* Quia nondum res vsucapta est. Nam si vsucapta esset, haberet ciuilem actionem, nec desideraret honorariam, *l. 1. ff. de public. in rem act.*

g *Durum erat &c.* Hoc est, iniquum erat extraneum possessorem potiorem esse eo, qui ex iusta causa adquirendi dominij bona fide rem accepit à non domino. *Cuiac.* 4

Ad §. Rursus ex diuerso.

Rursus (a) *ex diuerso, si quis, cum Reipublicæ causa abesset, vel in hostium* (b) *potestate esset, rem eius, qui in ciuitate esset, vsuceperit*

perit permittitur (c) *domino, si possessor. Reipublicæ causa abesse* (d)*desierit, tunc intra* (e) *annum rescissa* (f) *vsucapione, eam petere: ideſt, ita petere, vt dicat possessorem vsu non cepisse, & ob id suam rem esse. Quod genus* (g) *actionis quibusdam & aliis simili æquitate motus prætor accomodat: sicut ex latiore Digestorum, seu Pandectarum volumine intelligere licet.*

a *Rursus ex diuerso &c.* Secundum exemplum actionis prætoriæ in rem est actio rescissoria. sic dicta à rescindendo, non quod aliquid rescindat, sed quia per rescissionem datur: rescisso enim aliquo actu, per quem actio directa fuit amissa, vtilis actio restituitur, quæ vocatur rescisſoria, & etiam dicitur Publiciana, quia æquè ac Publiciana, de qua diximus in §. *proximè præcedenti*, fuit introducta à Publicio prætore: Sed distinctionis gratia plerumque hæc vocatur Rescisſoria: illa verò Publiciana. *Pacius hic in Analy.* Datur autem Rescisſoria, aut rescisſa vsucapione, aut rescisſa traditione, seu alienatione. De primo casu agitur in hoc §. De secundo in §. *proximè sequenti.* Si quis igitur, cum Reipublicæ causa abesset, vel in hostium potestate esset, rem eius, qui in Ciuitate esset, vsuceperit: permittitur domino intra annum postquam possessor reuersus fuerit, rescisſa vsucapione, eam rem petere: ideſt, ita petere, vt dicat possessorem vsu non cepisse, & ob id suam rem esse. *tex. hic l. 1. ff. Ex quib. cauſ. maior. Ex qua l. 1.* apparet hanc actionem rescisſoriam dari absentibus quoque contra præsentes, quod etiam apertè traditur *in l. ab hostibus capitis 18. C. de Postlim. reuerſ. & in l. nullo insto 24. C. de rei vindic.* 1 2 3

b *Vel in hostium potestate esset.* Qui in hostium potestate est, vsucapere potest in rebus tantum peculiaribus per subiectas sibi personas, *l. ait prætor 23. §. hi planè ff. ex quibus cauſ. maior.* Ideòque Actio rescisſoria, quatenus ad eum pertinet, qui fuit in hostium potestate, ijs tantùm in rebus locum habet, quæ peculiares fuerunt.

c *Permittitur domino &c.* Nunquam tamen hæc actio à Prætore datur, nisi cùm is, qui in vrbe mansit omnem diligentiam adhibuit, vt absentis defensorem aliquem nanciſceretur, quem in ius vocaret, atque ità vsucapionem interrumperet nemo verò fuit repertus. *l. Item ait 21. §. hæc autem, & l. ergo 22. ff. Ex quib. cauſ. maior.* 4

d *Reipublicæ causa abesse.* Vel apud hostes esse.

c *Intra*

c *Intra annum*. Intra annum vtilem ex eo tempore computandum, ex quo absens Reipublicæ causa, vel captiuus reuersus est in ciuitatem. Sed Iustinianus in *l.vlt. C.de temp. in integ. restit.* in locum anni vtilis substituit quadriennium continuum.

f *Rescissa vsucapione*. Necessarium est rescindere vsucapionem, quia per eam dominium rei fuit amissum, & consequenter non potest res vindicari. Rescinditur autem vsucapio non proprio, ac peculiari aliquo iudicio, vt plerique ex Interpretibus nostris sentiunt, sed eo ipso, quòd Prætor actionem Publicianam, siue rescissoriam dat. *Borch.hic sub num.2.* 1

g *Quod genus actionis &c.* Hoc genus Rescissoriæ actionis quibusdam & alijs simili æquitate motus Prætor accommodat: sicut ex *Titulo Digestor.Ex quib. caus.maior.*intelligere licet.

Ad §. Item, si quis in fraudem.

Item, (a) *si quis in fraudem* (b) *creditorum rem suam alicui tradiderit:* (c) *bonis eius à creditoribus ex sententia, præsidis possessis, permittitur ipsis creditoribus, recissa traditione, eam rem* (e) *petere: ideſt, dicere eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse.* 2

a ITEM *si quis &c.* Actio Rescissoria datur, aùt rescissa vsucapione, aùt rescissa traditione, seù alienatione. De primo casu dictum fuit in §. proximè præcedenti, de Secundo agitur in hoc §. Si quis igitur in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit: bonis eius à creditoribus ex sententia præsidis possessis, permittitur ipsis creditoribus, rescissa traditione, eam rem petere: ideſt, dicere eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse. *tex. hic.* 3

b *In fraudem creditorum*. Vt Actioni Rescissoriæ sit locus, requiritur fraus tam in animo debitoris tradentis, seù alienantis, quàm in re ipsa, ideſt, opus est, vt debitor rem tradiderit, seù alienauerit animo fraudandi creditores, & vt re ipsa creditores fraudati sint *l.ait prætor* 10. §.1. *ff.quæ in fraud. cred.* 4

c *Tradiderit*. Idem obtinet, si debitor in fraudem creditorum rem legauerit. *l.6. §.penult. ff. Quæ in fraud. cred.*

d *Ex sententia Præsidis possessis*. Ideſt, ex secundo decreto. Nàm primo decreto creditores pignoris tantùm, & custodiæ causa mittuntur in possessionem bonorum debitoris non soluentis: Secundo autem decreto propter eiusdem debitoris contumaciam

ciam iubentur possidere. *Pac. hic in Analy.* Vbi etiam ait, quod DD. vulgò pessimè hunc §. sunt interpretati de Actione Pauliana, quæ est actio in personam, cùm Iustinianus in præsentia perspicuè loquatur de actionibus in rem. Theophilus tamen hanc actionem vocat Paulianam, eamque in rem esse affirmat.

c *Eam rem petere.* Vtili vindicatione, quæ vocatur Rescissoria.

Ad §. Item Seruiana. 1

Item Seruiana, (a) *& Quasi Seruiana, quæ etiam hypothecaria vocatur, ex ipsius Prætoris iurisdictione substantiam capiunt. Seruiana* (b) *autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenentur. Quasi* (c) *Seruiana autem est, qua creditores pignora, hypothecasue persequuntur. Inter pignus* (d) *autem & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest: nam de qua re inter creditorem, & debitorem conuenerit, vt sit pro debito obligata, vtraque hac appellatione continetur, sed in* 2 *alijs differentia est. Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione, nuda conuentione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus.*

a *Item Seruiana &c.* Tertium, & vltimum exemplum actionis prætoriæ in rem est. Actio Seruiana, & Quasi Seruiana. Dicta fuit Seruiana (vt probabile est) à Seruio prætore eius auctore. Et Seruiana dicitur, quæ datur ex ipsis verbis edicti, 3 Quasi seruiana verò, quæ ex mente, & interpretatione edicti competit. Et quasi Seruiana vocatur etiam hypothecaria, quia creditores hypothecas, seù pignora Actione Quasi Seruiana persequuntur, vt videbimus infrà.

b *Seruiana autem &c.* Seruiana autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenentur. Et potest dominus fundi cum quouis possessore de ijs rebus experiri. *Theophil. hic.* Colonus est conductor prædij rustici: Inquilinus verò conductor prædij vrbani. *l. res pignoris 37. ff. de* 4 *acquir. vel amitt. possess.* Et res coloni, puta equi, boues, serui, vestes pignoris iure pro mercedibus fundi locatori non tenentur, nisi ex pacto expresso: quamuis res inquilini tacitè intelligantur pignoratæ domino ædium, etiam si de pignore expressa conuentio facta non fuerit *l. Eo iure 4. ff. in quib. caus. pig. vel hypot. &c.* Et ratio differentiæ est, quia cùm in prædijs rusticis, fru-

fructus, qui ibi nascuntur, tacitè intelligantur pignori esse domino fundi locati: etiam si nominatim id non conuenerit, *l. In prædijs 7. ff. in quib. caus. pign. vel hypot. &c.* ac proinde satis cautum illi sit ab ipsis fructibus: nihil opus fuit illi cautionem ex suppellectilis tacito pignore quærere. At in vrbanis prædijs dissimilis ratio est: cùm enim aliunde domino cautum non sit, æquum est, res inuectas, & illatas ipso iure, ac taciè ipsi obligari. *H. hic.* Et de rebus inquilini agitur Actione Quasi seruiana. 1

c *Quasi Seruiana &c.* Quasi Seruiana autem est, qua creditores pignora, hypothecasue persequuntur. Et dicitur, Quasi Seruiana, quia ad exemplum Actionis Seruianæ introducta est, *l. 1. C. de Precario.* Et omnibus hypothecarijs creditoribus datur, excepto fundi locatore. Et datur contra quemuis possessorem. *Theophilus hic.*

d *Inter pignus autem &c.* Inter pignus, & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest: Nàm placuit rem pro debito obligatam, & pignus dici, & hypothecam, eamque peti Actione Quasi Seruiana, siuè hypothecaria. Sed in alijs inter pignus, & hypothecam differentia est. Pignus enim propriè vocatur, quod creditori traditur, maximè si res mobilis sit. Quod verò sine traditione nuda conuentione tenetur, id propriè hypotheca appellatur. 2

Ad §. In personam quoque. 3

In personam (a) *quoque actiones ex sua iurisdictione propositas habet prætor: veluti de pecunia constituta, cui similis videtur receptitia.* (b) *Sed ex nostra* (c) *Constitutione (cùm & si quid plenius habebat, hoc in actionem pecuniæ constitutæ transfusum est) ea, quasi supernacua, iussa est cum sua auctoritate à nostris legibus recedere. Item prætor proposuit actionem de peculio seruorum, filiorumque familias: & eam, ex qua quæritur, an actor iurauerit, & alias* (d) *complures.* 4

a IN *personam quoque &c.* In personam quoque actiones ex sua iurisdictione propositas habet prætor. In hoc §. Imperator proponit harum actionum tria exempta, quæ ordine in seq. §§. explicantur.

b *Receptitia.* De Actione Receptitia Vide *Theophilum hic, & l. 2. C. de constit. pecun.*

c *Sed*

c *Sed ex nostra Constitutione*. Quæ est *l.2. C. de constit. pecun.*

d *Et alias complures*. Veluti exercitoriam, Institoriam, Tributoriam, Quod iussu, Depositi quatuor de causis.

Ad §. De constituta.

De constituta (a) *autem pecunia cum omnibus agitur quicunque pro se, vel pro alio soluturos se constituerint: nulla scilicet stipulatione interposita. Nam alioquin si stipulanti promiserint: iure ciuili tenentur.* 1

a *De constituta &c.* Primum exemplum actionis prætoriæ in personam est Actio de constituta pecunia. De constituta autem pecunia cum omnibus agitur, quicunque pro se, vel pro alio soluturos se constituerint: nulla scilicet stipulatione interposita. Nàm alioquin si stipulanti promiserint: iure ciuili tenentur. Appellatione pecuniæ hic significantur res omnes: licet enim hodie omnibus constituere, nonsolùm res, quæ pondere, numero, mensura consistunt, sed etiam alias omnes, siuè mobiles, siuè immobiles, siuè sese mouentes, siuè instrumenta, vel alias quascunque res, quas in stipulationem possunt homines deducere. *l.2. C. de constit. pecun.* Er requiritur ad validitatem constituti, quòd aliquod antequam fiat constitutum debeatur. *l.1. §. Ait prætor, l. hactenus 11. ff. de constit. pecun.* Non tamen est necessarium, quod debeat is, qui constituit, aùt quod is, cui constituitur, creditor sit. Nàm & quod ego debeo, tu constituendo, teneberis: & quod tibi debetur, si mihi constituatur, debetur, *l. Eum, qui Ephesi 5. §. Quod exigimus ff. de constit. pecun.* Item non requiritur, quod illud idem constituatur, quod debetur. Nàm sicut aliud pro alio potest solui: ità etiam aliud pro alio potest constitui. *dicta l.1. §. An possit, ff. de constit. pecun.* Et siuè constituatur, quod debetur Iure Ciuili, siuè quod debetur Iure prætorio, siuè quod tantùm naturaliter debetur, constitutum valet. *dicta l.1. §. Debitum, cum §. seq.* Constitutum autem fit nudo pacto, & simplici promissione, vt ex hoc nostro textu colligitur, & ex *dicta l.1.* Et speciale est hoc casu, vt ex nudo pacto actio detur, cùm aliàs regulariter ex nudo pacto actio non oriatur. *l. Iuris gentiem 7. §. Sed cùm nulla ff. de pactis.* Et debet Constitutum certam diem continere, qua solutio fiat: quod si dies sit prætermissa, tacitè dies subintelligitur, & constituens videtur se soluturum decima die constituisse. *l. Promissor Stichi 21. §. Si sine ff. de constit. pecun.* Et animaduerte, quod 2 3 4

per Constitutum non fit nouatio, sed additur noua obligatio pristinæ obligationi *l.Item illa verba* 18.*§.vlt.& l.vbi quis* 28.*ff.de constit. pecun.* Quod procedit etiam si quis constituat se solutu-rum, quod ipse debet: non est enim nouum, vt duæ obliga-tiones in eiusdem persona, de eadem re concurrant. *l. Non est nouum* 10.*ff.de Actionibus empti.*

Ad §. Actiones autem. 1

Actiones autèm (a) *de peculio, ideò aduersus patrem dominumue com-paranit prætor: quia licèt ex contractu* (b) *filiorum, seruorumue, ipso iure* (c) *non teneantur: æquum tamen est peculio* (d) *tenus, quod veluti patrimonium est* (c) *filiorum filiarumque, item seruorum, condemnari eos.*

a *Actiones autem &c.* Secundum exemplum actionis prætoriæ in personam est actio de peculio seruorum, filiorumque 2
familias. Hæc Actio datur aduersus patrem, dominumue ex contractu filiorum, seruorumue. Actiones autem de peculio, ideò aduersus patrem, dominumue comparauit prætor: quia licèt ex contractu filiorum, seruorumue ipso iure non teneantur: æquum tamen est peculio tenus, quod veluti patrimonium est filiorum filiarumque, item seruorum, condemnari eos. *tex.hic.* Est tamen notandum, quod Actio de peculio non est species actionis à cæteris distincta, sed potiùs adiectio quæ-dam, scil. qualitas alicui actionis speciei adiuncta. Agitur enim 3
contra patrem, vel dominum ex eo contractu, qui celebratus est cum filio, vel seruo, adiecta tamen illa qualitate, de Pecu-lio. *Mynsing. hic sub num.*15. Item notandum est, quod Actio de peculio, quæ datur aduersus patrem ex contractu filiorum, in profectitio duntaxat locum habet, non etiam in cæteris pe-culijs. *Idem Mynsig. hic sub num.*7.

b *Ex contractu.* Hic appellatione contractus intelligi debet etiam quasi contractus. *l.Si filiusfamilias* 15.*ff.de negotijs gestis.l.*3.*§.Idem scribit ff.de peculio.* Ex maleficijs filiorum, seruorumue non 4
agitur de peculio, sed ex maleficijs seruorum noxales actiones competunt, quæ olim dabantur etiam ex maleficijs filiorum-familias, sed postea placuit propter seruos tantummodo noxa-les actiones esse proponendas, & ipsosmet filiosfamilias pro suis delictis posse conueniri, *princ. tit. & §.vlt. Instit. de noxal. act.*

c *Ipso iure.* Idest, Iure Ciuili. *l. An inutilis* 8. §. *Filiusfamilias*

ff. de

ff.de acceptil. Pater igitur, vel dominus Iure Ciuili ex contractu filiorum, seruorumue non obligatur, sed Iure tantùm prætorio peculio tenus, vt hic in textu. Ipse verò filiusfamilias Iure Ciuili obligatur, & ex contractu in eum competit actio, *l.Tam ex contractibus 57.ff.de Iudicijs*, etiam in solidum: Nisi fortè mutuam pecuniam accipiat. Placuit enim Senatus Consulto Macedoniano, ne ei, qui filio familias mutuam pecuniam dedisset, actio, petitioque daretur, *l.1.ff.ad Senat.Conf.Maced.* Seruus tamen ex contractu ciuiliter non obligatur, *l.Serui 13.ff.de oblig. & act.* Nàm, quod attinet ad Ius Ciuile, serui pro nullis habentur, *l.Quod attinet 33.ff.de reg.iur.* Ideò autem pater, vel dominus ex contractu filij, vel serni Iure Ciuili non obligantur, quia ipsi non contraxerunt. Et iure Ciuili nemo obligatur, nisi est proprio contractu, *l.Quæcumque 10.ff.de oblig. & act.* Sed Iure prætorio ex bono, & æquo tenentur peculio tenus: quia cùm ad patrem, dominumue emolumentum illorum contractuum pertineat; æquum est eorum onus, quatenus contrahendi causa, ideſt, peculium ferre poterit, ad eosdem pertinere, *l. secundum naturam 10. ff. de reg. iur.* Dum enim filio, vel seruo peculij administrationem permittunt, tacitè & vi ipsa, demonstrant, se, quatenus in peculio est, obligari velle. 1 2

d *Peculio tenus.* Vsque ad peculij quantitatem. Intra modum peculij. Ad finem peculij.

e *Veluti patrimonium est filiorum &c.* Peculium enim filij, vel serui, patris, vel domini est, licet filij, vel serui esse credatur.

Ad §. Item si quis postulante. 3

Item, si quis (a) *postulante aduersario iurauerit*, (b) *deberi sibi pecuniam, quam peteret, neque ei soluatur: institissimè accommodat ei talem actionem, per quam* (c) *non illud quæritur, an ei pecunia debeatur, sed an* (d) *iurauerit.*

a ITEM, *si quis postulante &c.* Tertium exemplum actionis prætoriæ in personam est actio in factum ex iureiurando, quam prætor accommodat ei, qui aduersario, vel Iudice Iusiurandum deferente, iurauit deberi sibi pecuniam, quam peteret, neque ei soluatur. *Tex.& Theoph.hic iuncta l.1.& 3.ff.de Iureiur.* Est tamen notandum, quod hæc actio non est species actionis à cæteris distincta, sed potiùs adiectio quædam, seù qualitas alicui actionis speciei adiuncta. v.g: Si quis iurauerit se emisse, 4

habet actionem in factum ex iureiurando, quæ est vtilis actio exempto, *l.Si duo* 13.§.*Si quis iurauerit ff.de Iureiur.*

b *Iurauerit, deberi sibi pecuniam.* Appellatione pecuniæ hoc loco significantur res omnes, *l.Iusiurandum* 34.*in princ. ff.de Iureiur.* Et dicitur, iurauerit sibi deberi: quia in hoc §. Agitur de illa actione in factum ex iureiurando, quæ est in personam: Si quis enim iurauerit rem suam esse, habet quidem actionem in factum ex iureiurando, sed in rem, non in personam, *l.nam* 1 *postea quàm* 9.§.*vlt.l.sed si possessori* 11.§.1.*ff.de iureiur.*

c *Per quam non illud quæritur &c.* Dato iureiurando, non aliud quæritur, quàm an iuratum sit: remissa quæstione, an debeatur: quasi satis probatum sit iureiurando, *l.non erit* 5.§.*Dato iureiurando ff.de iureiur.* Et causa iureiurando decisa, nec periurij prætextu retractari potest. *l.1.C.de reb.cred.*

d *Sed an iurauerit.* Vel cùm iurare paratus esset, iusiurandum ei remissum sit. *l.Nàm posteà* 9.§.1.*ff.de iureiur.*

2

Ad §. Pœnales quoque.

Pœnales quoque (a) *actiones penè* (b) *multas ex sua iurisdictione introduxit, veluti aduersus eum, qui quid* (c) *ex albo eius corrupisset: & in eum,* (d) *qui patronum,* (e) *vel parentem* (f) *in ius vocasset, cùm id non impetrasset: item aduersus eum,* (g) *qui vi exemerit eum, qui in ius vocaretur, cuiusue dolo alius exemerit, & alias innumerabiles.*

3

a *Pœnales quoque &c.* Superiùs data sunt exempla actionum prætoriarum in personam, quæ rei persequendæ gratia comparatæ sunt. In hoc autem §. Ponuntur exempla actionum prætoriarum in personam, quæ pœnæ persecutionem habent.

b *Penè multas.* In vetustis Codicibus non habetur dictio, penè. In aliis legitur, benè multas. In alijs, permultas.

c *Aduersus eum, qui quid ex albo &c.* Quartum exemplum actionis prætoriæ in personam est Actio Albi corrupti. Hæc actio 4 datur à prætore aduersus eum, qui dolo malo quid ex albo eius corrupisset. Et est pœnalis, & popularis: Ea enim persequimur pœnam quingentorum aureorum, & datur cuilibet è populo agere volenti. Et pœna partim actori, partim Fisco infertur, vt rectè quidam existimant ex *l. lege Cornelia* 25.§.*vlt.ff.Ad Senat.Conf.Syllan.* & qui non habet in ære, luit in corpore.

Tex.

Tex.hic iuncta l.Si quis id, quod 7. ff. de Iurisdict. Album autem, prætoris dicitur, vt scribit Theophilus hic, Prætoris edictum, quod claris literis conscriptum sit. Ad hoc tamen vt Actio Albi corrupti locum habeat, requiritur, quod quis corruperit id, quod iurisdictionis perpetuæ causa, non quod provt res incidit, in albo propositum fuit, *d. l. Si quis id, quod 7. ff. de Iurisdict.* Perpetuæ Iurisdictionis causa id in Albo proponitur, quod Prætor proponit generaliter edicendo quibus de rebus, 1
aut quomodo in omnibus causis, & omnibus personis ius sit dicturus quandiù Magistratu fungetur, *l.2.§.Eodem temp. ff. de orig.Iur.* Provt res incidit proponi id in albo dicitur, quod pro temporis, & causæ, de qua agitur qualitate, proponitur: vt si prætor, proposita charta, aliquem euocet, vt præsentiam sui faciat, *l.Contumacia 53.ff.de re iudic.*

d *Et in eum, qui patronum, vel parentem &c.* Quintum exemplum actionis prætoriæ in personam est actio in factum, quam prætor dat in eum, qui patronum, vel parentem in ius vocasset, 2
cùm id non impetrasset, quæ actio pœnalis est, & datur in quinquaginta aureos. *Tex.hic iuncto §.vlt.de pœna temerè litig. & l.Si libertus 12.ff.de In ius voc.* Quæ pœna actori infertur, *d. l. Si libertus 12.* Quòd si filius, vel libertus inopia dignoscitur laborare, quasi inofficiosus litigator castigatur, *l.vlt. ff. de In ius voc.l.1.§.vlt.ff.de pœnis.* Hæc actio datur etiam aduersus eum, qui sine venia prætoris in ius vocauit parentes, liberosue patronorum, *d. §. vlt. de pœna temerè litig.* Et generaliter hoc ius producitur ad omnes personas, quibus reuerentia præstanda 3
est, *l.generaliter 13.ff.de In ius voc.* Hoc est (*vt Pac. hic in Analy*- interpretatur) ad omnes personas, quæ sunt loco parentum. Et animaduertite, quod hæc actio est priuata, non popularis. Solus enim pater, aut patronus, alijue supradicti, qui non possunt sine venia prætoris in ius vocari, sunt læsi.

c *Patronum.* Vel Patronam, *l.4.§.Prætor ait ff.de In ius voc.*

f *Vel parentem.* Parentem hic vtriusque sexus accipe, & in infinitum, *d.l.4.§.Prætor ait ff.de In ius voc.* Et etiam naturalem. Vna est enim omnibus parentibus seruanda reuerentia, *l.Parentes 6. ff.de in ius voc.* 4

g *Item aduersus eum, qui vi exemerit &c.* Sextum exemplum actionis prætoriæ in personam est actio in factum, quam prætor dat aduersus eum, qui vi exemerit eum, qui in ius vocaretur, cuiusue dolo alius exemerit, quæ actio pœnalis est, & datur ei, qui reum in ius vocauit, non ad id, quod in veritate

 est,

est, sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controuersia est, *Tex. hic iuncta l. Si per alium* 5. §. *In eum, ff. Ne quis eum, qui in Ius &c.*

Ad §. Præiudiciales.

Præiudiciales (a) *actiones in rem esse videntur, quales sunt, per quas* (b) *quæritur, an aliquis liber, an libertus sit, vel de partu, agnoscendo. Ex quibus ferè vnà* (c) *illa legitimam causam habet, per quam quæritur, an aliquis liber sit. Cæteræ ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiant.* 1

a *Præiudiciales &c.* Præiudiciales actiones in rem esse videntur: Actiones Præiudiciales, ideò præiudiciales dicuntur: quia si cum alijs concurrant, ante eas examinantur. v. g. De operis agitur, easque Titius à Sempronio, tamquam liberto suo petit. Sempronius, se libertum esse negat. Hic de eo primùm cognoscitur, vtrum Sempronius sit libertus Titij, an non, idque iudicium subsequitur iudicium de operis præstandis. Et animaduertite, quod Præiudiciales actiones propriè actiones non sunt, actionis tamen verbo continentur, *l. Actionis verbo 36. ff. de oblig. & act.* Et vt ait Iustinianus in hoc loco, actiones in rem esse videntur. Propriè autem actiones non sunt: quia per eas nec rem nostram, nec rem nobis debitam persequimur. 2

b *Quales sunt, per quas quæritur, an aliquis liber &c.* Proponit Iustinianus hoc loco tres species actionum præiudicialium. Prima est Actio præiudicialis, qua quæritur, vtrùm aliquis sit liber, an seruus. Secunda est Actio præiudicialis, qua quæritur, vtrum aliquis sit ingenuus, an libertus. Tertia est Actio præiuciciaiis de partu agnoscendo, ideſt, quæ quæritur, an aliquis sit filius, necne. An autem præter has tres species actionum præiudicialium, aliæ sint admittendæ, à DD. controuertitur. Cuiacius hic, dictas duntaxat tres species agnoscit. 3 4

c *Ex quibus ferè vna illa &c.* Docet hic Imperator Actionem præiudicialem, per quam quæritur, vtrum aliquis sit liber, an seruus, esse ciuilem: Actionem verò præiudicialem, qua quæritur, vtrùm aliquis sit ingenuus, an libertus, & Actionem præiudicialem de partu agnoscendo: prætorias esse.

Ad

Ad §. Sic itaque discretis.

Sic itaque discretis actionibus, certum est, non posse actorem, suam rem ita ab aliquo petere: Si paret (a) *eum dare* (b) *oportere. Nec enim quod actoris est, id ei dari oportet: quia scilicet dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat. Nec res, quæ iam actoris est, magis eius* (c) *fieri potest. Planè odio furum, quo magis* 1
pluribus (d) *actionibus teneantur, effectum est, vt extra pœnam dupli, aut quadrupli, rei recipiendæ nomine, fures etiam hac actione* (e) *teneantur, Si paret eos dare oportere: quamuis sit aduersus eos etiam hæc* (f) *in rem actio, per quam rem suam quis esse petit.*

a *Si paret eum dare oportere.* Paret, dicitur pro apparet. Actor tamen non dicit: Si apparet, sed absolutè intendit, aut sibi dare oportere, si actio sit personalis: aut si realis; Rem suam esse. §. 1. *Instit. de actionibus.* Quare dicendum est Iustinianum 2
hoc loco respexisse ad formulam Prætoris, quasi dixerit. Certum esse, non posse actorem, rem suam ab aliquo petere ea formula, quam prætor dat his verbis. Si apparet &c.

b *Eum dare.* Potest tamen quis petere actione personali (puta commodati, vel depositi) rem suam sibi restitui.

c *Magis eius fieri potest.* Non enim vt ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem potest esse nostrum, *l. Non vt ex pluribus* 120. *ff. de reg. Iur.*

d *Quo magis pluribus actionibus teneantur &c.* Is itaque, cui fur- 3
tum factum est, habet actionem furti, & condictionem, & vindicationem. Habet & ad exhibendum actionem. *l. Si pro fure* 7. §. *Furti actio ff. de condict. furt.*

e *Etiam hac actione teneantur &c.* Quæ actio vocatur Condictio furtiua. At condictione & vindicatione rem consequi non licet, sed alterutra, *l. vlt. C. de noxal. act.* Est autem eo commodior hæc actio, quàm vindicatio, quòd vindicatio locum nisi aduersus possessorem non habet, *l. Actionum genera* 24. *ff. de oblig. & act.* In hac verò condictione nihil opus est possessionem 4
probare. §. *vlt. Instit. de oblig. quæ ex delic. nasc.*

f *Etiam hæc in rem actio, per quam &c.* Rectè, hæc: nec enim omnis actio in rem dominij adsertio est. *Cuiac. hic.*

Ad

Ad §. Appellamus.

Appellamus (a) *autem in rem quidem actiones, vindicationes: in personam verò actiones, quibus dare, facere oportere intenditur, condictiones. Condicere enim est denunciare prisca lingua: Nunc verò abusiuè dicimus, condictionem actionem in personam esse, qua actor intendit dari sibi oportere. Nulla enim* (b) *hoc tempore eo nomine denunciatio fit.* 1

a *Appellamus &c.* Vlpianus. Actionum genera sunt duo. In rem, quæ dicitur Vindicatio, & in personam, quæ Condictio appellatur. *l. Actionum genera 24. ff. de oblig. & act.* Est autem Vindicationis verbum nunc generale, quod suo ambitu complectitur omnes in rem actiones, vt in hoc §. Nunc speciale de ea tantùm in rem actione, quà res iure dominij vindicatur, quæ propriè dicitur Rei vindicatio, de qua est *tit. ff. & C. de rei vindic.* Et actiones in rem vocantur Vindicationes à vi quàdam simulata, quæ solemnitatis ergo olim in actionibus in rem fiebat, quam *Gellius lib. 20. cap. 9.* Vim Ciuilem, & Festucariam appellat. Actiones verò in personam vnde condictiones dicantur, dilucidè hic in textu explicatur. 2

b *Nulla enim hoc tempore &c.* Qui olim cum aliquo litem habebat, denunciabat ei, vt hoc, aut illo die ad iudicium accipiendum, aut litem prosequendam adesset. *Theoph. hic.* Et hæc denunciatio (si H. & G. credimus) omnibus in iudicijs fiebat: siue in rem essent, siue in personam. Quare omnes actiones tàm in rem, quàm in personam Condictiones dici poterant. Sed quia in rem actiones suum ac proprium nomen Vindicationis habebant, nomen Condictionis, licet commune, in personam actionibus relictum fuit. 3

Ad §. Sequens illa diuisio.

Sequens illa (a) *diuisio est, quod quædam actiones rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ persequendæ, quædam* (b) *mixtæ sunt.* 4

a *Sequens illa diuisio &c.* Tertia actionum diuisio est, quòd quibusdam actionibus rem tantùm persequimur, quibusdam pœnam tantùm, quibusdam rem, & pœnam simul. Rei verò nomi-

nomine continetur hoc loco quidquid est extra pœnam legitimam: ideſt, iure aliquo vel ciuili, vel prætorio definitam, atque constitutam: pœnæ verò nomine eam dumtaxat, quæ iure constituta est. Itaque si pœna, quæ in stipulationem deducta est, petatur, rei nomine pœna illa conuentionalis hoc loco continetur. At cum lex iubet, vt fur dupli damnetur, duplum illud non rei, sed pœnæ nomine comprehenditur. *H. hic.* 1

b *Quædam mixtæ sunt.* Actiones vocantur mixtæ, vel quia his rem, & pœnam simul persequimur, vt hic, vel quia simul sunt in rem, & in personam, vt infrà hoc titulo. §. *Quædam actiones.*

Ad §. Rei persequendæ.

Rei persequendæ (a) *causa comparatæ sunt omnes in rem actiones. Earum verò actionum, quæ in personam sunt, eæ quidem, quæ ex contractu nascuntur, ferè omnes rei persequendæ causa comparatæ videntur: veluti quibus mutuam pecuniam, vel in stipulatum deductam petit actor. Itemque commodati, depositi, mandati, pro socio, ex empto, vendito, locato, conducto. Planè si depositi* (b) *agatur eo nomine, quod tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa depositum sit, in duplum actionem prætor reddit: si modo cum ipso, apud quem depositum sit, autcum herede eius ex dolo ipsius agatur, quo casu mixta est actio.* 2

a REI *persequendæ &c.* Rei persequendæ causa comparatæ sunt omnes in rem actiones. Actiones quoque in personam, quæ ex contractu nascuntur, ferè omnes rei persequendæ causa comparatæ videntur. Ferè autem dixit Iustinianus, propter actionem depositi in quatuor casibus, vt infrà subijcit. 3

b *Planè, si depositi agatur &c.* Si depositi agatur ex his quatuor causis, quod tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa depositum sit, actio depositi mixta est, hoc est, ea & rem depositam persequimur, & simul etiam pœnam. Et datur à prætore in duplum: si modò reus ex suo dolo conueniatur, siue sit ipse depositarius, siue heres eius. *Tex. hic.* Et reus ex suo dolo dicitur conueniri, si neget depositum. §. *Sed furti, Instit. hoc titulo.* Et meritò ex his quatuor causis actio depositi datur in duplum contra inficiantem. Nam is, qui ex huiusmodi causis deponit, non ex voluntate, sed ex necessitate deponit, nec habet 4

satis temporis ad eligendam idoneam personam, apud quam deponat: & cùm propter talem calamitatem dignus sit misericordia, crescit perfidia depositarij negantis depositum, *l.* 1. §. *Meritò ff. depositi.*

Ad §. Ex maleficijs.

Ex maleficijs (a) *verò proditæ actiones, aliæ tantùm pœnæ persequendæ causa comparatæ sunt: aliæ tàm pœnæ, quàm rei persequendæ, & ob id mixtæ sunt. Pœnam* (b) *tantùm persequitur quis actione furti. Siue enim manifesti agatur quadrupli, siue nec manifesti dupli, de sola pœna agitur. Nam ipsam rem propria actione persequitur quis, idest, suam esse petens: siue fur ipse eam rem possideat, siue alius quilibet. Eo ampliùs aduersus furem etiam condictio est rei.* 1

2 EX *maleficijs &c.* Ex maleficijs proditæ actiones, aliæ rei tantùm, aliæ pœnæ tantùm, aliæ tàm pœnæ, quàm rei persequendæ causa comparatæ sunt, & ob id mixtæ sunt. Rem tantùm persequimur Condictione furtiua. Pœnam tantùm persequimur Actione furti, vt hic in textu. Exempla verò actionum, quibus rem, & pœnam simul persequimur, habemus in §. sequenti. 2

b *Pœnam tantùm &c.* Actione furti pœnam tantùm persequimur Siuè enim in quadruplum agatur ob furtum manifestum, siue in duplum ob furtum nec manifestum, de sola pœna agitur: Nàm ipsam rem vindicare possumus: siuè fur ipse eam rem possideat, siue alius quilibet. Eo ampliùs aduersus furem datur etiam condictio furtiua. *Text. hic.* Et quia condictio rei furtiuæ, rei habet persecutionem, heredem quoque furis obligat. *l. Si pro fure 7. §. Condictio ff. de condic. furt.* 3

Ad §. Vi autem bonorum raptorum.

Vi autem (a) *bonorum raptorum actio mixta est, quia in quadruplum rei persecutio continetur: pœna autem tripli est. Sed & legis,* (b) *Aquiliæ actio de damno iniuriæ mixta est, non solùm si aduersus inficiantem in duplum agatur, sed interdum & si in simplum quisque agit, veluti, si quis hominem claudum, aut luscum occiderit, qui in eo anno integer & magni pretij fuerit, tanti enim damnatur, quanti is homo in eo anno plurimi fuerit, secundum iam traditam* (c) *diuisionem. Item mixta est* (d) *actio contra eos, qui relicta Sacrosanctis* 4

Eccle-

Ecclesijs, vel alijs (e) *venerabilibus locis, legati, vel fideicommissi nomine, dare distulerint, vsque adeò, vt etiam in iudicium vocarentur. Tunc enim & ipsam rem, vel pecuniam, quæ relicta est, dare compelluntur, & aliud tantum pro pœna: & ideò in duplum eius fit condemnatio.*

a *VI autem bonorum raptorum &c.* Primò Rem, & pœnam simul persequimur Actione vi bonorum raptorum, quæ 1
ob id mixta est: In ea enim quadruplum non totum pœna est, sed in quadruplo inest & rei persecutio: vt pœna tripli sit. *Tex. hic, & supra de vi bon.rapt.in princ.tit.* Grauior itaque esse videtur furis manifesti, quàm raptoris pœna, nàm furis manifesti pœna est quadrupli, raptoris tripli: Pro solutione huius difficultatis videte notata supra *ad princ.tit. de vi bon.rap.In vlt.not.*

b *Sed & legis Aquiliæ &c.* Secundò Rem, & pœnam simul persequimur legis Aquiliæ actione de damno iniuriæ, quæ
c actio propterea mixta est, non solùm si aduersus inficientem 2
in duplum agatur, sed interdum & si in simplum quisque agat, cuius rei exemplum sequitur hic in textu.

c *Secundùm iam traditam diuisionem. In tit.de lege Aquilia.*

d *Item mixta est actio &c.* Tertiò Actio, quæ datur contra eos, qui relicta Sacrosanctis Ecclesijs, vel alijs venerabilibus locis legati, vel fideicommissi nomine, inficiati fuerint, aut soluere distulerint, vsque dum in ius vocarentur, mixta est. Tunc enim in duplum fit condemnatio, sed in eo tàm pœnæ, quàm rei persecutio continetur. *Text. hic iuncto*, §. *Sed furti*, 3
hoc eod.tit.

e *Vel alijs venerabilibus locis.* Veluti Monasterijs, Xenodochijs, Orphanotrophijs.

Ad §. Quædam actiones.

Quædam (a) *actiones mixtam causam obtinere videntur, tàm in rem, quàm in personam: qualis est* (b) *familiæ erciscundæ actio, quæ com-* 4
petit coheredibus de diuidenda hereditate. Item communi (c) *diuidundo, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid* (d) *commune est, vt id diuidatur. Item finium* (e) *regundorum, qua inter eos agitur, qui confines agros* (f) *habent. In quibus tribus* (g) *iudicijs permittitur iudici rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare:*

& si vnius pars prægrauari videbitur, eum inuicem certa pecunia alteri condemnare.

a *Quædam actiones &c.* In præcedenti §. dictum fuit de his actionibus mixtis, quæ propterea mixtæ dicuntur, quòd per eas rem, & pœnam simul persequimur. In hoc verò §. agitur de his actionibus mixtis, quæ ideò mixtæ vocantur quia simul sunt in rem, & in personam, hoc est, quia cum re 1
etiam personales præstationes persequuntur. *Cuiac. hic.* Quædam igitur actiones mixtæ sunt, tàm in rem, quàm in personam: qualis est familiæ erciscundæ actio, Communi diuidundo, Finium regundorum.

b *Qualis est familiæ erciscundæ &c.* Actio familiæ erciscundæ, idest, hereditatis diuidendæ, competit coheredibus de diuidenda hereditate. Et mixta est, tàm in rem, quàm in personam, hoc est, ea & nostram rem esse, & aduersarium intendimus dare, aut facere oportere, veluti, quòd solus fructus he- 2
reditarij fundi perceperit, aut rem hereditariam corruperit, aut consumpserit. §. *Si familiæ, de offic. iud.*

c *Item communi diuidundo &c.* Actio communi diuidundo inter eos redditur, inter quos aliquid commune est, vt id diuidatur. Et mixta est, tàm in rem, quàm in personam. Sicut enim ipsius rei diuisio venit in communi diuidundo iudicio, ita etiam præstationes veniunt. Et ideò si quis impensas fecerit in rem communem, eas quoque pro parte consequetur, *l. per hoc iudicium 4. §. Sicut autem ff. communi diuidundo.* Nihil autem inte- 3
rest, cum societate, an sine societate res inter aliquos communis sit. Nàm vtroque casu locus est communi diuidundo iudicio *l. 2. ff. Communi diuidundo.*

d *Aliquid commune est.* Nàm hoc iudicium est particulare, non de vniuersitate. *l. Per hoc iudicium 4. in princ. ff. Communi diuidundo.*

e *Item finium regundorum &c.* Actione finium regundorum inter eos agitur, qui confines agros habent, & de finibus inter se contendunt. *Tex. & Theoph. hic.* Et mixta est hæc actio, tàm in 4
rem, quàm in personam. Quia & pro vindicatione rei est, & per eam intendimus, aduersarium nobis dare oportere, quod ex eo loco percepit, quem nostram esse apparet, & etiam partem mercedis, quam impendimus in agrimensorem, *l. 1. & 4. §. 1. ff. finium regundorum.*

f *Qui confines agros habent.* Agrorum fit mentio: quoniam hæc actio pertinet ad prædia rustica. *l.2.in princ.ff.fin.reg.*

g *In quibus tribus iudicijs &c.* In Iudicijs familiæ erciscundæ, Communi diuidundo, & finim regundorum permittitur iudici rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo, ideſt, ſi commodius videbitur, adiudicare: & eum inuicem alteri certa pecunia condemnare. *tex.hic.§. Si familiæ, cum duob.§.ſeq.de offic.Iud.* Vbi etiam hac de re latius tractatur. 1

Ad §. Omnes autem actiones.

Omnes autem (a) *actiones, vel in ſimplum conceptæ ſunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. Vlterius autem nulla actio extenditur.*

a *Omnes autem actiones &c.* Quarta actionum diuiſio eſt, quod omnes actiones, vel in ſimplum conceptæ ſunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. Vlteriùs autem nulla actio extenditur. Nam cum eſſet vtique modus aliquis ſtatuendus in pœnis, viſus eſt hic ſufficere. Pœnæ igitur, quæ delictis priuatis impoſitæ ſunt à Iuræ, de quibus loquitur textus noſter, vna eademque actione, quadruplum non excedunt. Pœnæ verò ex delictis publicis plerunque ſunt quam maximæ. Conuentionales pœnæ, cuiuſcumque ſint quantitatis, ſub ratione ſimpli petuntur. Et vbi agitur ad intereſſe, id rei ita eſt connexum, vt in ea ſicuti conſequens ſit computandum, aut certè, vt intereſſe per ſe ſolum vt ſimplum eſt conſiderandum. Eſt tamen notandum nullam pœnam, etiam minimam, dationi quantitatis adiici poſſe, quia ſemper intelligitur adiecta in fraudem vſuratum *Oinot. hic ſub n.12.* 2 3

Ad §. In Simplum.

In Simplum (a) *agitur, veluti ex ſtipulatione, ex mutui datione, ex empto, venditio, locato, conducto, mandato, & denique ex alijs* (b) *compluribus cauſis.* 4

a *In ſimplum &c.* In ſimplum agitur ex omnibus contractibus veluti ex ſtipulatione, ex mutui datione &c.

b *Ex alijs compluribus cauſis.* Nàm omnes actiones perſonales, quæ proficiſcuntur ex contractibus, & etiam omnes actiones reales concipiuntur in ſimplum,

Ad

Ad §. In duplum.

In duplum (a) *agimus: veluti furti nec manifesti, damnni iniuriæ* (b) *ex lege Aquilia, depositi* (c) *ex quibusdam causis. Item serui* (d) *corrupti, quæ competit in eum, cuius hortatu consilioue seruus alienus fugerit, aut contumax aduersus dominum factus est, aut luxuriosè viuere cœperit, aut denique quolibet modo deterior factus sit. In qua actione etiam earum rerum, quas fugiendo seruus abstulit, æstimatio deducitur. Item ex legato* (c) *quod venerabilibus locis relictum est, secundum ea, quæ suprà diximus.* 1

a *IN duplum &c.* In duplum agimus, cùm agimus furti nec manifesti. Quod duplum, totum est pœna. §. *Ex maleficijs, h.t.* Et de furto plænè diximus suprà *in tit. de oblig. quæ ex delic. nasc.*

2

b *Damni Iniuriæ &c.* Item in duplum agimus, cùm agimus damni iniuriæ ex lege Aquilia aduersus inficiantem. *tex. hic, iuncto* §. *Vi autem bonorum raptorum,* & §. *Sed furti, hoc titulo.* Quod duplum non totum est pœna, sed in duplo rei persecutio continenetur. *d.* §. *Vi autem bonorum raptorum.* Et de lege Aquilia diximus suprà *in tit. de lege Aquilia.*

c *Depositi ex quibusdam causis.* Item in duplum agimus, cùm agimus depositi aduersus inficiantem ex his quatuor causis, quod tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa depositum sit. Quod duplum non totum est pœna, sed in eo inest & rei persecutio §. *Rei persequendæ,* & §. *Sed furti, hoc eod tit.* Et diximus de hac depositi actione ad *d.* §. *Rei persequendæ.* 3

d *Item serui corrupti &c.* Item in duplum agimus, cùm agimus actione serui corrupti. Hæc actio competit in eum, cuius hortatu, consilioue seruus alienus fugerit, aùt contumax aduersus dominum factus est, aut luxuriosè viuere cœperit, aut denique quolibet modo deterior factus sit, *vt hic in tex.* Hoc tamen intelligendum est de seruo deteriore facto in animo, seù mente. Nàm si in corpore seruus deterior factus sit, non est locus actioni de seruo corrupto, sed actioni legis Aquiliæ, vt suprà de lege Aquilia §. *Capite tertio*. Et vno casu agi potest de seruo corrupto, quamuis seruus corruptus non sit; quem Casùm videte supra *in tit. de oblig. quæ ex del. nasc. ad* §. *Sed. & si credat.* In hac autem actione etiam earum rerum, quas fugiendo seruus abstulit, æstimatio deducitur, quia omne damnum 4

dupla-

duplatur. *tex.hic, iuncta l. In hoc iudicium* 10. *ff.de seruo corrupto* Duplum tamen in hac actione non est extra rem, *l.Vt tantum* 14. §. *In hac actione ff.de seruo corrupto.* Et consequenter hoc duplum non totum est pœna. Et notate, quod si filius, filiaue familias corrupti sint, competit actio vtilis serui corrupti, *d. l.vt tantum* 14.§.1.

c *Item ex legato &c.* Item in duplum agimus, cùm agimus ex legato, quod venerabilibus locis relictum est, secundum 1
ea, quæ supra diximus ad §. *Vi autem bonorum raptorum, hoc eod.tit.*

Ad §. Tripli verò.

Tripli verò (a) *agimus, cum quidam maiorem veræ æstimationis quantitatem in libello conuentionis inserit: vt ex hac causa viatores, ideſt, executores litium, ampliorem summam sportularum nomine exigerent, tunc enim id, quod propter eorum causam damnum 2
passus fuerit reus, in triplum ab actore consequitur: vt in hoc triplo, & simplum, in quo damnum passus est, connumeretur. Quod nostra* (b) *Constitutio induxit, quæ in nostro Codice fulget: ex qua dubio procul est, ex lege condititiam emanere.*

a *Tripli verò &c.* In triplum agimus, cum actor in libello conuentionis plus debito petijt, vt ex hac causa executores litium ampliorem summam sportularum nomine exigerent: tunc enim reus in triplum ab actore consequitur damnum id, 3
quod propterea passus fuerit, hoc tamen triplum non totum est pœna, sed in eo simplum, in quo reus damnum passus est, continetur.

b *Quod nostra Constitutio &c.* Quæ suprà dicta sunt introducta fuerunt per Constitutionem Iustiniani, quam tamen hodie non habemus: ex qua Constitutione dubio procul est conditionem ex lege emanere. Si enim obligatio noua lege introducta sit, nec cautum sit eadem lege, quo genere actionis experiamur: ex lege agendum est, *l. Vnica ff. de Condictione ex* 4
lege.

Ad §. Quadrupli.

Quadrupli (a) *autem agitur, veluti furti manifesti, item de eo,* (b) *quod metus causa factum sit, deque* (c) *ea pecunia, quæ in hoc data*

sit,

sit, vt is, cui datur, calumniæ causa negotium alicui faceret, vel non faceret. Item (d) *condictitia ex lege, quæ ex nostra Constitutione oritur, in quadruplum condemnationem imponens ijs executoribus litium, qui contra nostræ Constitutionis normam à reis quidquam exegerint.*

a *Quadrupli &c.* In quadruplum agimus, cùm agimus furti manifesti. Quod quadruplum est totum pœna §. *Ex maleficijs, hoc.tit.* Et de furto plenè diximus supra *in tit. de obligat. quæ ex delic. nasc.* 1

b *Item de eo, quod metus causa &c.* Item in quadruplum agimus de eo, quod metus causa factum sit. In hoc tamen quadruplo res continetur, & consequenter pœna est tantùm tripli, *l. Si cum exceptione* 14. §. *Sed etsi, & §. seq. ff. de eo, quod met. cau.* Imò hæc actio intra annum tantum est in quadruplum, post annum verò in simplum, *d.l. Si cum exceptione* §. 1. Et datur ei, qui per metum, seù vim coactus est, vt alicui acceptam pecuniam faceret, vel rem traderet, vel quid aliud faceret. Et datur non solùm contra eum, qui metum fecit, sed etiam contra illum datur, qui crimine caret, lucrum tamen sensit ex eo, quòd metus illatus est. Nec cuiquam iniquum videatur, ex alieno facto alium in quadruplum condemnari: quia non statim quadrupli est actio, sed si res non restituatur: *d.l. si cum exceptione* 14. §. *In hac actione ff. de eo, quod. met. cau.* Et in hac actione reus habet restituendi licentiam vsque ad sententiam. Ideoque, si iudicis iussu rem actori restituat, absoluitur §. *Item actio, & §. prætereà, hoc cod. tit. d. l. Si cum exceptione* 14. §. *hæc autem actio ff. de eo, quod met. cau.* 2 3

c *Deque ea pecunia &c.* Item in quadruplum agimus, cùm agimus de ea pecunia, quæ in hoc data sit, vt is, cui datur, calumniæ causa negotium alicui faceret, vel non faceret. Hoc est, vt calmioso iudicio aliquem vexaret, vel non vexaret. Hæc autem actio est in factum, & datur in eum, qui vt calumniæ causa negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepit. *l. 1. in princ. ff. de Calumniatoribus.* Non tamen datur ei, qui dedit pecuniam, vt negotium quis pateretur, sed ei dabitur, propter quem datum est, vt calumnia ei fiat. Quare si quis & à te pecuniam acceperit, vt mihi negotium faceret, & à me, ne mihi faceret: mihi duobus iudicijs tenebitur. *l. 3. §. vlt. ff. de Calumniat.* Pecuniam autem accepisse dicitur, qui quocunque modo commodum aliquod sensit, *d.l. 1. §. vlt.* 4

§. *vlt. & l. 2 & 3. ff. de Calumniat.* Et qui accepit, vt negotium faceret: siue fecit, siue non fecit, & qui accepit ne faceret, & si fecit, hac actione tenetur, *d. l. 3. §. Si igitur*. In hoc tamen quadruplo res continetur, & consequenter pœna est tantum tripli, *l. In heredem 5. §. Sed etiam ff. de calumniat.* Imò hæc actio intra annum tantùm est in quaduplum, post annum verò, in simplum, *d. l. 1. in princ. ff. de Calumniat.*

d *Item condictitia ex lege &c.* Item in quadruplum agitur, cum 1
agitur condictione ex lege aduersus executores litium, qui contra normam Constitutionis Iustiniani à reis quidquam exegerint sportularum nomine. Hodie tamen hanc Iustiniani Constitutionem non habemus. Et notate, quod textus hoc loco deprauatus est. Vera lectio est: Item condictitia ex lege, quæ ex nostra Constitutione oritur &c.

Ad §. Sed furti quiem.

Sed furti (a) quidem nec manifesti actio, & serui corrupti, à cæteris, 2
de quibus simul locuti sumus, eo differunt, quòd hæ actiones omnimodo dupli sunt: at illæ, idest, damni iniuriæ ex lege Aquilia, & interdum depositi, inficiatione duplicantur: in confitentem autem in simplum dantur. Sed illa, quæ de ijs competit, quæ relicta venerabilibus locis sunt: non solùm inficiatione duplicatur, sed etiam si distulerit relicti solutionem vsque quo iussu magistratuum nostrorum conueniatur. In confitentem verò, antequam iussu magistratuum conueniatur, soluentem, simpli redditur. 3

a SED *furti quidem &c. In hoc §. ponit Iustinianus differentiam quandam*, quæ est inter actiones, quæ dantur in duplum, de quibus diximus ad §. *In duplum hoc eodem tit.* Igitur inter eas actiones hæc est differentia, quòd furti nec manifesti actio, & actio serui corrupti omnimodò dupli sunt, siue quis negauerit, siue confessus fuerit. Actio verò damni iniuriæ ex lege Aquilia, & Actio depositi, cùm agitur eo nomine, quod tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa depositum sit, 4
inficiatione duplicantur. Sed illa, quæ de ijs competit, quæ relicta venerabilibus locis sunt: non solùm inficiatione duplicatur, sed etiam si debitor soluere distulerit vsque dum in ius vocaretur.

Ad §. Item actio.

Item actio (a) *de eo, quod metus causa factum sit, à cæteris, de quibus simul locuti sumus, eò differt quod eius natura tacitè continetur vt qui iudicis iussu ipsam rem actori restituat, absoluatur, quod in cæteris casibus non ita est: sed omnimodò quisque in quadruplum condemnatur, quod est & in furti manifesti actione.* 1

2 ITem actio &c. *In hoc §. subijcit Iustinianus discrimen*, quod est inter actiones, quæ dantur in quadruplum de quibus diximus ad §. *Quadrupli, hoc eod. tit.* Igitur actio de eo, quod metus causa factum sit, à cæteris, de quibus *in d.§. Quadrupli*, simul locuti sumus, eò differt: quòd eius natura tacitè continetur, vt qui iudicis iussu ipsam rem actori restituat, absoluatur: quodin cæteris casibus non ita est: sed in ijs omnimodò quisque in quadruplum condemnatur. *tex. hic.* Ceteræ actiones, de 2 quibus diximus *in d.§. Quadrupli*, sunt Actio furti manifesti, actio in factum, qua tenentur, qui pecuniam acceperunt, vt calumniæ causa negotium alicui facerent, vel non facerent, & condictio ex lege, qua tenentur executores litium, qui contra normam Constitutionis Iustiniani à reis quidquam exegerint sportularum nomine.

Ad §. Actionum autem.

3

Actionum (a) *autem quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti iuris. Bonæ fidei sunt hæ: ex empto*, (b) *venditio, locato*, (c) *conducto, negotiorum* (d) *gestorum, mandati*, (e) *depositi* (f) *pro socio*, (g) *tutelæ*, (h) *commodati*, (i) *pignoraticia*, (k) *familiæ erciscundæ*, (l) *communi dividundo, præscriptis verbis*, (m) *quæ de æstimato proponitur, & ea, quæ ex permutatione competit, & hereditatis* (n) *petitio. Quamuis enim vsque adhuc incertum erat, sine inter bonæ fidei iudicia connumeranda esset hereditatis petitio, sive non: nostra tamen Constitutio* (o) *apertè eam esse bonæ fidei disposuit.* 4

2 ACtionum autem &c. Quinta actionum diuisio est, quod actionum quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti iuris, quædam arbitrariæ. *tex. hic iuncto §. Præterea, hoc eod. tit.* Actiones bonæ fidei sunt, in quibus Iudici libera potestas permittitur ex bono, & æquo æstimandi, quantum alter alteri præ-

præstate debeat §. *In bonæ fidei, hoc eod. tit.* §. *vlt. de oblig. ex consen.* Actiones stricti iuris sunt, in quibus iudicis potestas ità conuentioni adstricta est, vt eam iudicando excedere nequeat *l. quidquid adstringendæ 99. ff. de verb. oblig. l. Quia tantundem 7. ff. de neg. gest.* Actiones arbitrariæ dicuntur, quæ pendent ex arbitrio Iudicis, vr videbimus. *Infrà ad §. Præterea.* Et actiones omnes, quæ enumerantur in hoc §. & proximè sequenti, bonæ fidei sunt, siue vtrinque directę sint, siue ab vno latere directæ, ab al- 1
tero contrariæ, aliæ autē omnes sunt stricti iuris, vel arbitrariæ.

b *Ex Empto vendito*, Prima actio bonæ fidei proposita hic in textu, est Actio ex empto, quæ datur emptori contra venditorem. Secunda est Actio ex vendito, quæ datur venditori contra emptorem. Quid autem in vtramque harum actionum deducatur, titulus Digestorum de actionibus empti, & venditi, copiosissime declarat.

c *Locato, conducto*. Tertia actio bonæ fidei est Actio ex locato, quæ datur locatori aduersus conductorem. Quarta est 2
Actio ex conducto, quæ datur conductori aduersus locatorem. De quibus actionibus plenè agitur *in tit. ff. locati conducti*.

d *Negotiorum gestorum*. Quinta actio bonæ fidei est Actio negotiorum gestorum, tam directa, quam contraria. De istis actionibus diximus suprà *tit. de oblig. quasi ex contr. ad §. Igitur cum quis*.

e *Mandati*. Sexta actio bonæ fidei est Actio mandati, tam directa quam contraria. Directa domino negotij datur contra procuratorem, contraria procuratori contra dominum. Et 3
de istis actionibus planè agitur *in tit ff. Mandati, vel contra*.

f *Depositi*. Septima actio bonæ fidei est Actio Deptsiti, tam directa, quàm contraria, De quibus actiouiqus diximus suprà *in tit: Quib. mod. re contr. oblig. ad §. Præterea*.

g *Pro socio*. Octaua actio bonæ fidei est Actio pro socio, quæ datur inter socios, & ex vtroque latere est directa. De hac actione agitur *in tit. ff. pro socio*.

h *Tutelæ*. Nona actio bonæ fidei est Actio tutelæ, tam directa, quam contraria. De istis actionibus diximus suprà *in tit.* 4
de oblig. quasi ex contr. ad §. Tutores quoque.

i *Commodati*. Decima actio bonæ fidei est actio commodati, tam directa, quàm contraria: De his actionibus dictum fuit suprà *tit. Quib. mod. re contr. oblig. ad §. Item is, cui res aliqua*.

k *Pignoratitia*. Vndecima actio bone fidei est Actio pignoratitia, tam directa, quam contraria. De istis actionibus di-

ximus supra *ad §. Creditor quoque ; Quib. mod. re contr. oblig.*

l *Familiæ erciscundæ Communi dividundo.* Duodecima actio bonæ fidei est actio familiæ erciscundæ. Decimatertia est actio communi dividundo : de quibus actionibus dictum fuit supra ad §. *Quædam actiones hoc eodem tit.*

m *Præscriptis verbis &c.* Decimaquarta actio bonæ fidei est Actio præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea, quæ ex permutatione competit. Illi autem, quæ de æstimato 1
proponitur tunc locus est, cùm rem aliquam certo prætio æstimatam tibi trado, vt vendas, ea lege, vt mihi vel æstimationem soluas, vel rem ipsam restituas *Theoph. hic*. De hac actione agitur *in tit. ff. de æstimatoria act.* Quæ ex permutatione competit tunc datur, cum quis rem suam animo permutandi alicui dat, vt ex permutatione res alia detur, quæ postea data non est. De hac actione agitur *in tit. ff. de rer. permut.*

n *Et hereditatis petitio.* Decima quinta actio bonę fidei est petio hereditatis. Datur autem petitio hereditatis heredi siuè 2
ex testamento, siuè ab intestato, *l. 1. 2. & 3. ff. de pet. hered.* contra eum, qui ius, vel rem hereditariam, licet minimam, possidet pro herede, aut pro possessore, *l. Regulariter 9. & l. seq. ff. de pet. hered.* Pro herede possidet, qui putat se heredem esse. Pro possessore verò possidet prædo. *l. pro herede 11. ff. de pet. hæred.* Et de hac actione plenè agitur *in d. tit. ff. de Pet. hered.*

o *Nostra tamen Constitutio. Quæ est l. ultima C. de pet. hered.*

Ad §. Fuerat anteà. 3

Fuerat (a) *anteà & rei vxoriæ actio vna ex bonæ fidei iudicijs: sed cùm pleniorem esse ex stipulatu actionem inuenientes, omne ius, quod res vxoria ante habebat, cum multis diuisionibus in actionem ex stipulatu, quæ de dotibus exigendis proponitur, transtulimus : meritò rei vxoriæ actione sublata, ex stipulatu, quæ pro ea introducta est, naturam bonæ fidei iudicij tantùm in exactione dotis meruit, vt bona fidei sit. Sed & tacitam* (b) *dedimus ei hypothecam. Præferri* (c) *autem alijs creditoribus in hypothecis tunc censuimus, cùm ipsa mulier de dote sua* (d) *experitur, cuius solius* (c) *prouidentia hoc induximus.* 4

a *Fuerat anteà &c.* Inter actiones bonæ fidei erat olim & rei vxoriæ actio, quæ soluto matrimonio, vxori aduersus maritum dabatur ad reperendas res dotales. Sed cùm plenior esset actio ex stipulatu de dote quæ tum locum habebat, cum de

de dote fuerat interpsita stipulatio, transtulit Iustinianus sua Constitutione, quæ est *l.vnica C.de rei vxoriæ act.* Actionem rei vxoriæ in actionem ex stipulatu de dote, & sicuti illa bonæ fidei erat, ita hanc quoquè bonæ fidei esse constituit. Igitur decimasexta actio bonæ fidei hodiæ est Actio est stipulatu de dote, sublata prorsus rei vxoriæ actione. Et dos non solum hoc habet priuilegium, quod actio ex stipulatu hoc casu sit bonæ fidei, cum alijs casibus sit stricti iuris, sed 1
etiam alia. Habet enim priuilegium, quod competat actio ex stipulatu de dote, etiam si reuera stipulatio subiecta, interpositaue non fuerit: à lege enim suppletur, & tacitè facta intelligitur, *l.vnica* §.1.*C.de Rei vxor. act.* Et hæc duo priuilegia competunt non solem si mulier dotem soluto matrimonio repetat, sed etiam si uir dotem sibi promissam petat.

b *Sed & tacitam &c.* Item habet dos priuilegium, quòd actioni ex stipulatu de dote inest ius tacitæ hypothecæ. Et hoc quoque priuilegium æquè competit viro dotem petenti, ac 2
mulieri eam soluto matrimonio repetenti. *textus hic, iuncta d.l. d.l.Vnica.§.Et vt plenius C.de rei vxor. act.*

c *Præferri autem alijs creditoribus &c.* Item habet dos hoc priuilegium, quòd actio ex stipulatu de dote præferatur alijs creditoribus in hypothecis, cum ipsa mulier de dote sua experitur. Et hoc priuilegium locum habet, siuè tacitam, siuè expressam hypothecam anteriorem creditores habeant. *l.vlt. §.Ad hæc C. Qui pot. in pig. hab. Nouella de æqualit. dot. cap. 3. Cuiac. hic* In verbo, *Præferri autem, & Mynsing. sub num.*12. *Idem tamen sub* 3
*num.*14. declarat, quòd hoc Prælationis beneficium tunc procedit, quando dos actualiter & re ipsa marito data fuit: secus si cauta tantùm, vel (vt vulgò dicunt) confessata fuit, quod optimè probatur ex *dicta l.vlt. §.Cum enim.* Neque datur hoc priuilegium contra fiscum: Mulier enim, cùm de dote sua experitur, non præfertur fisco, qui prior sit tempore, *l.dotis 9. C.de iur. dot.* videlicet si inter eos solos controuersia sit. Namque in hac specie: res obligata est Titio, deinde fisco, tum doti. Fisco præfertur Titius, Titio mulier. Atque ità fit vt dos fisco 4
potior sit. *Cuiac. hic.* in verbo, *In hypothecis.*

d *De dote sua experiatur.* Quaptopter, si ad exigendam propter nuptias factam donationem, actione ex stipulatu velit agere, non ijsdem fruetur priuilegijs. *Theoph.hic.*

e *Cuius solius prouidentia &c.* Quamuis hoc prælationis priuilegium solius mulieris prouidentia fuerit inductum, & conse-

quen-

quenter non detur marito in bonis mulieris, neque heredi mulieris in bonis mariti, *l. Vnica C. de priuilegio dotis, Nouella* 61. *§. penult.* non tamen denegatur liberis ipsius mulieris, *Nouella* 91. *cap.* 1.

Ad §. In bonæ fidei.

In bonæ (a) *fidei autem iudicijs libera potestas permitti videtur Iudici ex bono, & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat. In quo* (b) *& illud continetur, vt si quid inuicem præstare actorem oporteat: eo compensato :* (c) *in reliquum is, cum quo actum est, debeat condemnari. Sed & in strictis iudicijs ex rescripto Diui Marci, opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur. Sed nostra Constitutio eas compensationes, quæ iure aperto nituntur, latiùs introduxit : vt actiones ipso iure minuant, siue in rem, siue in personam, siue alias quascumque : excepta sola depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi, satis impium esse credidimus : ne sub prætextu compensationis, depositarum rerum quis exactione defraudetur.* 1 2

a *IN bonæ fidei &c.* In bonæ fidei iudicijs libera potestas permittitur Iudici ex bono, & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat, etiam si in lege contractus id fit prætermissum, *tex. hic, iuncto §. Conductor, de locat. & conduc.* ex gr. Si emptor, qui nactus possessionem rei emptæ, ex ea fructus percepit, pretium penès se habeat, Iudex emptorem non solùm condemnare 3
potest, vt pretium soluat, sed etiam vt præstet vsuras, quamuis de vsuris in lege emptionis nihil fuerit expressum. *l. Curabit* 5. *C. de act. empt.*

b *In quo & illud continetur, vt si quid inuicem &c.* In bonæ fidei iudicijs Iudex compensationis rationem habere potest. Sed & in strictis iudicijs ex rescripto Diui Marci, opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur. Sed Iustinianus sua Constitutione, quæ est *l. vlt. C. de compensat.* latiùs introduxit, vt compensationis, quæ iure aperto nituntur, hoc est, quæ 4
sunt debiti liquidi, certi, confessi, actiones ipso iure minuant, siue in rem, siue in personam, siue alias quascunque : excepta sola depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi non potest. Quod tamen hic dicitur : excepta sola depositi actione, debet accipi, subaudita particula, ferè, Nàm possessionem etiam alienam perperàm occupantibus, compensatio non datur. *dicta l. vlt. in fine.*

c *Eo*

c *Eo compensato*. Compensatio est debiti & crediti inter se contributio. *l.1. ff.de compens.* Et etiam quod natura debetur, venit in compensationem, *l.Etiam quod 7. ff.eod.* An autem compensatio in omnibus rebus locum habeat, à DD. controuertitur. Placet mihi sententia Paci in Analy. circa finem huius nostri §. vbi tenet, quod compensatio semper sit admittenda, dummodò idem hinc indè debeatur: siuè debeatur eadem species, veluti si testamento damnatus sim tibi dare Stichum, ac tu mihi 1
stipulanti promiseris eundem Stichum: siuè debeatur genus, veluti si tibi debeam hominem ex causa legati, & tu mihi debeas hominem ex causa stipulationis: siuè hinc indè quantitas debeatur, veluti si tibi debeam decem ex causa legati, & tu mihi promiseris decem.

Ad §. Prætereà.

Prætereà (a) *quasdam actiones arbitrarias, ideſt, ex arbitrio Iudicis* 2
pendentes, appellamus: in quibus, nisi arbitrio Iudicis is, cum quo agitur, actori satisfaciat: veluti rem restitnat, vel exhibeat, vel soluat, vel ex noxali causa seruum dedat, condemnari debet. Sed istæ (b) *actiones tam in rem, quàm in personam inueniuntur. In rem, veluti* (c) *Publicana, Seruiana* (d) *de rebus coloni, Quasi Seruiana, quæ etiam hypothecaria vocatur. In personam, veluti quibus de eo agitur, quod aut* (e) *metus causa, aut dolo* (f) *malo factum est. Item, cùm id quod* (g) *certo loco promissum est, petitur. Ad exhibendum* (h) *quoque actio, ex arbitrio Iudicis pendet.* 3
In his enim (i) *actionibus & cæteris* (k) *similibus permittitur Iudici ex bono & æquo, secundùm cuiusque rei, de qua actum est, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat. Curare* (l) *autem debet Iudex, vt omnimodò quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ, vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est.*

a *Prætereà &c.* Prætet actiones bonæ fidei, & stricti iuris, de quibus dictum fuit suprà, sunt quædam actiones, quæ di- 4
cuntur arbitrariæ, ideſt, ex arbitrio Iudicis pendentes. DD. communiter existimant, quòd actiones arbitrariæ per se quidem sint stricti iuris, sed ex accidenti, & aduentitia aliqua causa, vt puta, si contumacia, vel dolus Rei interueniat, fiant arbitrariæ. Quæ sententia, licèt prima facie vera videatur, in substantia tamen vera non est. Nàm arbitrariæ actiones, arbi-

tra-

trariæ appellantur etiam antequam contumacia, vel dolus rei, vel quid aliud extrinsecus accedat. In actionibus enim arbitrarijs arbitrium Iudicis præcedit, & nisi arbitrio Iudicis is, cum quo agitur, actori satisfaciat: veluti rem restituat, vel exhibeat, vel soluat, vel ex noxali causa seruum dedat, sequitur condemnatio, vt hic in textu. Arbitrariæ itaque actiones non ex accidenti nomen accipiunt, sed à supradicto Iudicis arbitrio statim ab initio arbitrariæ vocantur, etiam rei conuenti nulla contumacia, nullo dolo intercueniente. 1

b *Sed istæ actiones &c.* Arbitrariæ actiones, vel in rem sunt, vel in personam. In rem, veluti Publicana, Seruiana, & Quasi Seruiana. In personam, veluti Actio quod metus causa, Actio de dolo, Actio de eo, quod certo loco, Actio ad exhibendum.

c *Veluti Publicana.* De qua diximus suprà ad §. *Namque si cui, hoc eod. tit.*

d *Seruiana &c.* De Seruiana, & Quasi Seruiana dictum fuit suprà, ad §. *Item Seruiana, hoc tit.* 2

e *Quod aut metus causa.* De Actione Quod metus causa diximus suprà ad §. *Quadrupli, hoc eod. tit.*

f *Aut dolo malo.* Actio de dolo malo arbitraria est, *vt hic in tex.* Et est Actio prætoria subsidiaria, idest, tùm demùm competens, cùm alia remedia deficiunt, *l.* 1. §. 1. *&* §. *Ait prætor ff. de dolo malo.* Et famosa: ideoque non datur liberis, vel libertis aduersus parentes, patronosue: nec humili aduersus eum, qui dignitate excellit, *l. non debet* 12. *ff. de dolo malo*: nec pro modica summa, *l. si oleum* 10. §. *vlt. & l seq. ff. de dolo malo.* 3

g *Item cùm id, quod certo loco &c.* Cùm id, quod certo loco promissum est, petitur, actio est arbitraria in personam. De hac actione videbimus infrà ad §. *Si quis agens, hoc tit.*

h *Ad exhibendum quoque &c.* Actio ad exhibendum, ex arbitrio Iudicis pendet. De hac actione videbimus infrà in *tit. de offic. Iud. ad* §. *Si ad exhibendum.*

i *In his enim actionibus &c.* In actionibus arbitrarijs permittitur Iudici ex bono, & æquo, secundùm cuiusque rei, de qua actum est, naturam, æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat. Iudex ergo in his actionibus, secundùm rei, de qua agitur, naturam, quandoquè arbitratur, vt reus rem restituat, interdum vt rem exhibeat, aliquando vt soluat, aliàs vt soluat, vel ex noxali causa seruum dedat, *vt hic in tex. in princ.* §. 4

k *Et cæteris similibus.* Veluti Confessoria, & Negatoria, *l. harum actionum* 7. *ff. Si seruit. vindic.* Rerum amotarum, *l. Si cùm duos*

duos 8. §. *vlt. ff. de act. rer. amot.* Finium regundorum, *l. Sed & loci* 4. §. *Sed & si quis ff. finium regundorum.*

1 *Curare autem debet Iudex &c.* Quanuis autem in actionibus bonæ fidei incerta sit petitio, & in arbitrarijs quasi incerta propter arbitrium Iudicis, Iudex tamen curare debet, vt certa sit sententia quantum poterit.

Ad §. Si quis agens.

r

Si quis (a) *agens, in intentione sua plus complexus fuerat, quàm ad eum pertinebat: causa cadebat, ideſt, rem amittebat, nec facilè in integrum à prætore restituebatur, nisi minor erat vigintiquinque annis. Huic enim, sicut in alijs causis causa cognita succurrebatur, si lapsus iuuentute fuerat: ita & in hac causa succurri solitum erat. Sanè si tam magna causa iusti erroris interueniebat, vt etiam constantissimus quisque labi posset: etiam maiori vigintiquinque annis succurrebatur. veluti si quis totum legatum petierit, pòst deinde prolati* 2 *fuerint codicilli, quibus aut pars legati adempta sit, aut quibusdam alijs legata data sint, quæ efficiebant, vt plus petijsse videretur petitor, quàm dodrantem, atque* (b) *ideò lege Falcidia legata minuebantur. Plus* (c) *autem quatuor modis petitur: re, tempore, loco, causa. Re: veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit; aut si is, cuius ex parte res est, totam eam, vel maiore ex parte, suam esse intenderit. Tempore: veluti si quis ante diem, vel ante conditionem petierit. Qua ratione enim qui tardiùs* 3 *soluit, quàm soluere deberet, minùs soluere intelligitur: eadem ratione qui præmaturè petit, plus petere videtur. Loco plus petitur: veluti cùm quis, id, quod certo loco sibi stipulatus est, alio loco petit, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus fuerit: verbi gratia, si is, qui ita stipulatus fuerit, Ephesi dare spondes? Romæ purè intendat sibi dari oportere. Ideò autem plus petere intelligitur, quia vtilitatem, quam habuit promissor, si Ephesi solueret, adimit ei, pura intentione: propter quam causam alio loco petenti* (d) *arbitraria actio proponitur, in qua scilitet ratio habetur vti-* 4 *litatis, quæ promissori competitura fuisset, si illo loco solueret. Quæ vtilitas plerumque in mercibus maxima inuenitur: veluti vino, oleo, frumento, quæ per singulas regiones, diuersa habent pretia. Sed & pecuniæ numeratæ, non in omnibus regionibus sub ijsdem vsuris fenerantur. Si quis tamen Ephesi petat, ideſt, eo loco petat, quo vt sibi detur, stipulatus est, pura actione rectè agit: idque etiam prætor monstrat, scilicet, quia vtilitas soluendi salua est promissori. Huic*

autem, qui loco plus petere intelligitur, proximus est is, qui causa plus petit: vt ecce si quis ita à te stipuletur, Hominem Stichum, aut decem aureos dare spondes? deinde alterutrum petat: veluti Hominem tantùm, aut decem aureos tantùm. Ideò autem plus petere intelligitur, quia in eo genere stipulationis, promissoris (c) est electio, vtrum pecuniam, an hominem soluere malit. Qui igitur pecuniam tantùm, vel hominem tantùm sibi dari oportere intendit, eripit electionem aduersario: & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, aduersarij verò sui deteriorem. Qua de causa talis in ea re prodita est actio, vt quis intendat hominem Stichum, aut aureos decem sibi dari oportere, id est, vt eodem modo peteret, quo stipulatus est. Præterea si quis generaliter hominem stipulatus sit, & specialiter Stichum petat, aut generaliter vinum stipulatus, specialiter Campanum petat: aut generaliter purpuram stipulatus sit, deinde specialiter Tyriam petat, plus petere intelligitur: quia electionem aduersario tollit, cui stipulationis iure (f) liberum fuit, aliud soluere, quàm quod peteretur. Quin etiam licet vilissimum sit, quod quis petat, nihilominùs plus petere intelligitur: quia sæpè accidit, vt promissori facilius sit illud soluere, quod maioris pretij est. Sed hæc quidem antea in vsu fuerant: postea autem lex Zenoniana, (h) & nostra rem coercuit. Et si quidem tempore plus fuerit petitum: statui oportet quod Zenonis diuæ memoriæ loquitur Constitutio. Sin autem quantitate, vel alio modo plus fuerit petitum: in omne, si quod fortè damnum vt in sportulis ex hac causa acciderit ei, contra quem plus petitum fuerit, commissa tripli condemnatione, sicut suprà diximus, puniatur. 1 2 3

a *SI quis agens &c.* Olim qui plus, quàm sibi deberetur, petebat, causa cadebat, ideſt, rem amittebat: Minorem tamen iuuentute, aùt maiorem iusto aliquo errore lapsum, Prætor causa cognita in integrum restituebat.

b *Atque ideò.* Pro (atque ideo) corrigendum videtur (Idcò quod.)

c *Plus autem &c.* Plus autem petitur quatuor modis: Re, Tempore, Loco, & causa. Re: veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit. Tempore: veluti si quis debitum in diem, vel sub conditione, ante diem, vel ante conditionem petierit. Loco plus petitur: veluti cùm quis, id, quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petit purè, hoc est, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus est. Causa plus petitur: veluti si quis ita à te stipuletur: 4

Homi-


image
not
available

Ad §. Si Minùs.

Si minùs (a) *in intentione complexus fuerit actor, quàm ad eum pertineat: velut si cùm ei decem deberentur, quinque sibi dari oportere intenderit, aut si cùm totus fundus eius esset, partem dimidiam suam esse petierit: sine periculo agit: in reliquum enim nihilominùs Iudex aduersarium in eodem iudicio condemnat, ex Constitutione diuæ memoriæ Zenonis.* 1

a *SI minùs &c.* Si actor minùs petierit, quàm ad eum pertineat: sine periculo agit: In reliquum enim nihilominùs Iudex aduersarium in eodem iudicio condemnat, ex suprà dicta Constitutione Diui Zenonis. Quæ est *l.* 1. *C. de plus petitionibus, in Editione Gothofredi.*

Ad §. Si quis aliud. 2

Si quis (a) *aliud pro alio intenderit: nihil eum periclitari placet, sed in eodem* (b) *iudicio cognita veritate, errorem suum corrigere ei permittimus: veluti si is, qui hominem Stichum petere deberet, Erotem petierit: aut si quis ex testamento sibi dare oportere intenderit, quod ex stipulatu debetur.*

a *SI quis aliud &c.* Si quis aliud pro alio petierit: nihil eum periclitari placet, sed in eodem iudicio, cognita veritate, errorem suum corrigere potest. 3

b *Sed in eodem iudicio &c.* Ergo etiam post litem contestatam errorem suum corrigere potest: quia non potest dici iudicium, nisi lis contestata fuerit. *l. Amplius* 15. *ff. Rem ratam haberi.*

Ad §. Sunt præterea.

Sunt præterea (a) *quædam actiones, quibus non semper solidum, quod nobis debetur, persequimur: sed modò solidum, consequimur, modò minùs: vt ecce, si in peculium* (b) *filij seruiue agamus. Nàm si non minùs in peculio sit, quàm persequimur, in solidum dominus, paterue condemnatur. Si verò minùs inueniatur: eatenus condemnat Iudex, quatenus in peculio sit. Quemadmodum autem peculium intelligi debeat, suo ordine* (c) *proponemus.* 4

a *SVnt præterea &c.* Sexta, & vltima actionum diuisio est, quòd aliæ actiones sunt in solidum, quibus scilicet solidum, quod nobis

nobis debetur semper consequimur, aliæ verò sunt non in solidum, quibus scilicet non semper solidum, quod nobis debetur consequimur, sed modò solidum, modò minùs. Solidum debitum regulariter omnes actionum species præstant; ideoque in contextu dantur tantummodò exempla actionum, quæ sunt non in solidum.

b *Vt ecce si in peculium filij &c.* Primum exemplum actionum, quibus non semper solidum, quod nobis debetur consequimur, est actio de peculio, quæ datur aduersus patrem, dominumue ex contractu filiorum, seruorumue, quemadmodum suprà hoc eodem titulo exposuimus ad §. *Actiones autem*. Si enim in peculium filij, seruiue agamus: si non minùs in peculio sit, quàm persequimur, in solidum dominus, paterue condemnatur: Si verò minùs inueniatur: eatenus condemnat Iudex, quatenus in peculio sit. *tex. hic*. Et nota, quod Actio de peculio non est species actionis à cæteris distincta, sed potiùs adiectio quædam, seù qualitas alicui actionis speciei adiuncta, vt diximus suprà ad dictum §. *Actiones autem*. 1 2

c *Suo ordine proponemus*. In titulo proximo ad §. *Præterea*.

Ad §. Item si de dote.

Item si de dote (a) *in iudicio mulier agat: placet eatenus* (b) *maritum condemnari debere, quatenus* (c) *facere possit, ideſt, quatenus facultates eius patiuntur. Itaque si dotis quantitati concurrant facultates eius, in solidum damnatur: si minùs, in tantum quantum facere potest. Propter retentionem* (d) *quoque dotis repetitio minuitur. Nam ob impensas in res dotales factas, marito retentio concessa est: quia, ipso iure necessarijs sumptibus dos minuitur: sicut ex latioribus Digestorum libris cognoscere licet.* 3

a *Item si de dote &c.* Secundum exemplum actionum, quibus non semper solidum, quod nobis debetur consequimur, est actio ex stipulatu, qua mulier soluto matrimonio dotem repetit à marito, vel etiam matrimonio constante, quia maritus ad inopiam vergat, *l. Si constante 25. in princ. ff. soluto matrimonio*. Si enim iudicio de dote mulier agat: eatenus maritus condemnatur, quatenus facere potest, ideſt, quatenus facultates eius patiuntur. Itaque si dotis quantitati concurrant facultates eius, in solidum damnatur: Si minùs, in tantum quantum facere potest. *tex. hic*. Et non tantùm dotis nomine maritus in quantum 4

tum facere possit, condemnatur, sed ex alijs quoque contractibus ab vxore in dicio conuentus, in quantum facere potest condemnandus est ex Diui Pij constitutione: quod & in persona mulieris æqua lance seruari, æquitatis ratio suggerit, *l. non* tantùm 20. *ff. de re iudicata*. De actione ex stipulatu de dote plura diximus suprà ad §. *Fuerat anteà, hoc eod. tit.*

b *Placet eatenus maritum condemnari &c.* Maritum in id, quod facere potest, condemnari, exploratum est: sed hoc heredi 1
non esse præstandum: Quia tale beneficium personale est, & cum persona extinguitur. Datur tamen defensori mariti, & etiam filijs eiusdem matrimonij, *l. maritum* 12. *iuncta l.* 13. 14. *& 19. ff. soluto matrimonio*. Et patri quoque mariti, *l.* 15. *in fine, & l.* 16. *ff. eod.*

c *Quatenus facere possit*. Ipsius ratio habenda est, ne egeat, *l. In condemnatione* 134. *ff. de reg. iur.*

d *Propter retentionem quoque &c.* Quandoque etiam mulier integram dotem non consequitur, quamuis maritus solidum sol- 2
uere possit. Hoc tunc contingit, cùm propter retentionem, dotis repetitio minuitur. Nàm ob impensas in res dotales factas, marito retentio concessa est: quia ipso iure necessarijs sumptibus dos minuitur: sicut cognoscere licet ex titulo Digestorum de Impensis in rebus dotalibus factis. Ob Sumptus verò vtiles, retentio marito concessa non est, sed si quidem ex voluntate mulieris facti sint, per actionem mandati repetuntur, vel per actionem negociorum gestorum, si facti sint sine mulieris voluntate. Sumptus autem voluptuarij, nulla 3
actione repeti possunt: sed relinquitur tantùm marito deductio operis, quod fecit, sine læsione tamen prioris speciei, *l. Vnica.* §. *Sed nec ob impensas, & §. Quod si voluptuariæ C. de rei vxor. act.* Quæ autem sint impensæ necessariæ, quæ vtiles, & quæ voluptuariæ videte *in tit. ff. de impens. in reb. dot. fac.* & præsertim *in l. Quod dicitur* 5. §. *vlt. cum duabus legibus sequentibus, & in l. Impensæ* 14.

Ad §. Sed & si quis. 4

Sed & si (a) *quis cum parente suo patronoue agat: item si socius* (b) *cum socio, iudicio societatis agat: non plus actor consequitur, quam aduersarius eius* (c) *facere potest. Idem est, si quis ex donatione* (d) *sua conueniatur.* (e)

a SED *& si quis &c.* Tertium exemplum actionum, quibus nõ semper solidum, quod nobis debetur, consequimur, est

actio

actio mota à filio contra patrem, vel à liberto contra patronum. Si enim filius agat contra patrem, aut libertus contra patronum: filius, aut libertus non semper solidum consequitur, sed si pater, vel patronus solidum soluere possit, in solidum damnatur: Si minùs, in tantum quantum facere potest. Idem est dicendum, si quis agat cum omnibus ascendentibus, tàm paternis, quàm maternis.

b *Item si socius &c.* Quartum exemplum est Actio pro socio. Si enim socius cum socio, iudicio societatis agat: non semper solidum consequitur, sed si socius solidum soluere possit, insolidum damnatur: Si minùs, in tantum quantum facere potest. Quod verum est etiam si non vniuersorum bonorum socij sint, sed vnius rei, *Tex. hic, iuncta l. Verum est 64. in princ. ff. Pro socio.* Vbi etiam addit Vlpianus, quod hoc summam rationem habet: cùm societas ius quodammodo fraternitatis in sese habeat. Ex quo & hoc intelligitur, idem quoque in fratribus esse obseruandum. Et nota, quòd non aliàs socius in id, quòd facere potest, condemnatur, quàm si confitetur se socium fuisse, *l. si vnus 68. in fine ff. Pro socio.* 1 2

c *Quàm aduersarius eius facere potest.* Ipsius ratio habenda est, ne egeat, *l. In condemnatione 134. ff. de reg. iur.*

d *Idem est, si quis ex donatione &c.* Quintum exemplum est in donatore. Si enim quis ex donatione sua conueniatur, in quantum facere potest, condemnatur, & quidem is solus deducto ære alieno. Imò nec totum quod habet, extorquendum est ei, sed & ipsius ratio habenda est, ne egeat, *Text. hic, iuncta l. Inter eos 19. §. Is quoque ff. de re iudicata.* 3

e *Conueniatur.* Si stipulatio donationi inserta sit, conuenitur actione ex stipulatu; Sin minus, tenetur condictione ex lege, idest, ex Constitutione Iustiniani, *l. Si quis argentum 35. §. Sin autem hoc. C. de donationibus, & Nouella 162. cap. 1.*

Ad §. Compensationes quoque.

4

Compensationes (a) *quoque oppositæ plerumque* (b) *efficiunt, vt minus* (c) *quisque consequatur quàm ei debeatur. Namque ex bono & æquo, habita ratione eius, quod inuicem alterum ex eadem* (d) *causa præstare* (e) *oportet: poterit Iudex in reliquum eum, cum quo actum est, condemnare, sicut iam dictum est.*

a *Compensationes quoque &c.* Sextum exemplum actionum, quibus non semper soli dum, quod nobis debetur, consequi-

sequimur, est actio, cui opponitur compensatio. Compensationes enim oppositæ plerumque efficiunt, vt minus quisque consequatur, quàm ei debebatur. Namque ex bono & æquo habita ratione eius, quod inuicem actorem præstare oportet: poterit Iudex in reliquum, eum cum quo actum est, condemnare sicùt iam dictum est suprà hoc eodem titulo ad §. *In bonæ fidei*.

b *Plerumque*. Iustinianus ideò dixit plerumque, quia si certum 1
ac liquidum non sit, quod compensationis gratia obijcitur, nihilominus actor totum, quod sibi debetur, consequitur Theophilus hic. Et etiam vtitur Iustinianus ea particula, *Plerumque*, propter causas repetitionis depositi, & possessionis perperàm occupatæ, in quibus compensationi non est locus, & consequenter in ipsis compensatio opposita non efficit, vt minus quis consequatur, quàm ei debeatur. Vide supra ad dictum §. *In bonæ fidei, hoc eod. titulo.*

c *Vt minus quisque consequatur &c.* Compensatio efficit quidem, 2
vt minus quisque consequatur, quàm ei debebatur ante compensationem. Consequitur tamen actor quidquid sibi debetur, idest, quod compensatione facta manet in obligatione.

d *Ex eadem causa*. Hæc verba (ex eadem causa) Theophilus non agnoscit. Et sanè etiam quod ex diuersa causa debetur compensari posse Paulus scribit Receptarum Sententiarum, *lib. 2. tit. 5. ex Cuiac.*

e *Præstare oportet: poterit Iudex in reliquum &c.* Hunc locum ita corrigit. *H.* 3

Ad §. Vltimum.

Cum eo quoque, (a) qui creditoribus suis, bonis cessit, si postea aliquid adquisierit, quod idoneum (b) emolumentum habeat: ex integro (c) in id, quod facere potest, creditores experiuntur. Inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis, in solidum damnari.

a CVM *eo quoque &c.* Vltimum exemplum actionum quibus 4
non semper solidum, quod nobis debetur, consequimur, est actio mòta à creditoribus contra debitorem, qui bonis cessit, & posteà aliquid adquisiuit, quod non modicum emolumentum habeat: tunc enim creditores ex integro cum eo experiuntur, non in solidum, sed in id, quod facere potest. Inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis, in solidum damnari. *Tex. hic, l. Is, qui bonis 4. ff. de cessione bonorum.*

b *Quod idoneum emolumentum habeat*. Qui bonis suis cessit, si modicum aliquid post bona sua vendita acquisiuit, iterum eius bona non veneunt. Sed tunc solùm si tales facultates acquisitæ sint debitori, quibus prætor moueri possit. Vide *l. qui bonis 6. & l. seq. ff. de cessione bonorum.*

c *Ex integro*. Idest, denuo, rursus, Iterum.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur. t

TITVLVS VII.

Quia tamen superiùs (a) *mentionem habuimus de actione, qua in peculium filiorum familias seruorumque agitur, opus est, vt de hac actione & de cæteris, quæ eorumdem nomine in parentes dominosue dari solent, diligentiùs admoneamus. Et quia siue cum seruis negotium gestum sit, siue cum ijs, qui in potestate parentis sunt, eadem ferè* (b) *iura obseruantur: ne verbosa fiat disputatio, dirigamus sermonem in personam serui dominique, idem intellecturi de liberis quoque & parentibus, quorum in potestate sunt. Nàm si quid in his propriè obseruatur, seperatim ostendemus.* (c) 2

a *Superiùs*. §. *Actiones autem, &* §. *Sunt prætereà, de Actionibus.*

b *Eadem ferè iura obseruantur*. Quid propriè obseruetur in persona filiorum familias habes infrà eodem §. *Illud propriè.* 3

c *Ostendemus*. Vt infrà eodem titulo. *d.* §. *Illud propriè.*

Ad §. Si igitur.

Si igitur iussu domini cum (a) *seruo negotium* (b) *gestum erit: in solidum* (c) *prætor aduersus dominum actionem pollicetur: scilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur.*

a *CVM seruo*. Idem obtinet in filiofamilias, & patre, *l.* 1. *in princ. ff. Quod iussu*, Sed Imperator loquitur de seruo, & domino, vt seruet methodum propositam in princ. tit. 4

b *Negotium gestum erit*. Imperator loquitur de negotio gesto, vt complectatur tàm quasi contractus, quàm veros contractus.

c *In solidum*. Intellige in solidum non omninò, sed quatenus dominus iussit, *l. 3. ff. Quod iussu.*

Ad §. Eadem ratione.

Eadem ratione (a) *prætor duas alias in solidum actiones pollicetur: quarum altera exercitoria, altera institoria appellatur. Exercitoria* (b) *tunc habet locum, cùm quis seruum suum magistrum naui præposuerit, & quid cum eo eius rei gratia, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideò autem exercitoria vocatur, quia exercitor appellatur is, ad quem quotidianus nauis quæstus pertinet. Institoria* (c) *tunc locum habet, cùm quis tabernæ fortè, aut cuilibet negotiationi seruum præposuerit, & quid cum eo, eius rei causa, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideò autem institoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, institores vocantur. Istas tamen duas actiones prætor reddit, & si liberum quis hominem, aut alienum seruum naui, aut tabernæ, aut cuilibet negotiationi præposuerit: scilicet quia eadem* (d) *æquitatis ratio etiam eo casu intercueniebat.*

1

2

a *Eadem ratione &c.* Hoc est, Quia sicuti is, qui iussu domini cum seruo contrahit, fidem domini sequi videtur, ita is, qui cum magistro nauis, vel cum institore contrahit, fidem illius, qui illos præposuit, sequi videtur, prætor duas alias in solidum actiones pollicetur: quarum altera exercitoria, altera Institoria appellatur.

b *Exercitoria tunc locum habet &c.* Exercitoria datur contra exercitorem ex contractu magistri, cum quo eius rei gratia, cui præpositus fuit, quid contractum fuit, & ab exercitore, in quem datur, exercitoria vocatur. Exercitor is appellatur, ad quem quotidianus nauis quæstus pertinet: siuè is dominus nauis sit, siuè à domino nauem per auersionem conduxit, vel ad tempus, vel in perpetuum, *l.* 1. §. *Exercitorem ff. de exercit. act.* Magister is dicitur, qui naui præpositus est, seu, vt dicitur in *dicta l.* 1. §. 1. cui totius nauis cura mandata est. Et magistrum accipimus, non solùm, quem exercitor præposuit, sed & eum quem magister, *d. l.* 1. §. *Magistrum autem*. Cùius autem conditionis sit magister iste, nihil interest: vtrum liber, an seruus: & vtrum exercitoris, an alienus. *Tex. hic d. l.* 1. §. 1.

3

4

c *Institoria tunc locum habet &c.* Institoria locum habet contra eum, qui tabernæ fortè, aut cuilibet negotiationi aliquem præposuerit, & quid cum eo eius rei causa, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autem Institoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, Institores vocantur, & Institores

res appellati sunt ex eo, quòd negotio gerendo insient, *l. 3. ff. de Instit. act.* Parui autem refert, quis sit institor : masculus, an fœmina: liber, an seruus: proprius, an alienus, *l. Sed & si 7. §. 1. ff. de Instit. act.*

d *Quæ tua eadem æquitatis ratio*. Nota, quod Par æquitatis ratio, paria iura desiderat, *l. 1. ff. de fonte.*

Ad §. Introduxit. 1

Introduxit & aliam actionem prætor, quæ tributoria vocatur. Namque si seruus in peculiari merce, sciente domino, negotietur, & quid cum eo eius rei causa contractum erit : ita prætor ius dicit, vt quidquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, si quid ei (a) *debetur, & cæteros* (b) *creditores, pro rata portione distribuatur. Et quia ipsi domino distributionem permittit, si quis ex creditoribus quæratur, quasi minùs* (c) *ei tributum sit, quàm oportuerit : hanc ei actionem accommodat, quæ tributoria appellatur.* 2

a *SI quid ei debetur*. Si quid ei, non tantùm mercis nomine, sed etiam ex alia causa, naturaliter debetur.

b *Et cæteros creditores*. Mercis causa.

c *Quasi minus*. Minus autem tribuere dominus videtur, etiamsi nihil tributum est, *l. Illud 7. §. Si cuius ff. de Tribut. act.* Quod si dominus tribuere nolit, neque hanc molestiam suscipere, audiendus erit: & plerumque arbitrum in hanc rem prætor debebit 3 dare, cuius interuentu tribuantur merces peculiares *dicta l. 7. in princ.* Dicitur autem merx peculiaris res illa, in qua dominus permittit seruum suo proprio nomine negotiari, etiam si nihil sit in peculio, *Mynsinger. hic sub num. 6.* Et non solùm ad seruos pertinebit Tributoria actio, verum ad eos quoque, qui nobis bona fide seruiunt: siue liberi, siue serui alieni sunt, vel in quibus vsumfructum habemus, dummodò tamen merx, in qua peculiariter negotietur, ad nos pertineat, *l. 1. in fine, & l. 2. ff. de Tribut. act.* 4

Ad §. Præterea.

Prætered (a) *introducta est actio de peculio, deque eo, quod in rem domini versum erit: vt quamuis sine voluntate domini negotium gestum erit, tamen siue quid in rem eius versum fuerit, id totum præstare de-*

beat : sine quid non sit in rem eius versum , id catenus præstare debeat , quatenus peculium patitur . In rem autem domini versum intelligitur , quidquid necessariò in rem eius impenderit seruus : veluti , si mutuatus pecuniam , creditoribus eius soluerit , aut ædificia ruentia fulserit , aut familiæ frumentum emerit , vel etiam fundum , aut quamlibet aliam rem necessariam mercatus erit . Itaque si ex decem , vt puta , aureis , quos seruus tuus à Titio mutuos accepit , creditori tuo quinque aureos soluerit , reliquos verò quinque quolibet 1
modo consumpserit : pro quinque quidem in solidum damnari debes : pro cæteris verò quinque catenus , quatenùs in peculio sit . Ex quo scilicet apparet , si toti decem aurei in rem tuam versi fuerint , totos decem aureos Titium consequi posse . Licet enim vna (b) *est actio , qua de peculio , deque eo , quod in rem domini versum sit , agitur , tamen duas habet condemnationes . Itaque iudex , apud quem de ea actione agitur , ante dispicere solet , an in rem domini versum sit : nec aliter ad peculij æstimationem transit , quàm si aut nihil in rem domini verum esse intelligatur , aut non totum . Cùm autem* (c) *quæritur ,* 2
quantum in peculio sit : ante deducitur quidquid seruus domino , eiue , qui in potestate eius sit , debet : & quod supererit , id solum peculium intelligitur . Aliquando tamen id , quod ei debet seruus , qui in potestate domini sit , non deducitur ex peculio : veluti , si is in huius ipsius peculio sit , quod eo pertinet , vt si quid vicario suo seruus debeat , id ex peculio eius non deducatur .

a *Præterea &c.* In hoc §. agit Iustinianus de actione de peculio, & de in rem verso, & in principio §. docet, quod do- 3
minus , sine cuius voluntate seruus contraxit , quod in rem eius versum est , insolidum præstat : reliquum ex peculij viribus dissoluit . In rem autem domini versum intelligitur quidquid necessariò in rem eius impenderit seruus : veluti si mutatus pecuniam creditoribus eius soluerit , aut ædificia ruentia fulserit , aut familiæ frumentum emerit . Imò in rem domini versum intelligitur , non solùm quod necessariò , sed etiam quod vtiliter seruus in rem domini impenderit . In rebus tamen non necessarijs verum pretium , in necessarijs pretium conuentum in- 4
spicitur , *l. Si res domino 5. ff. de in rem verso* .

b *Licet enim vna est actio &c.* Actio de in rem verso est pars actionis de peculio , quia in rem versum est pars peculij : quod enim seruus in rem domini vertit , seruo dominus debet : & quod dominus debet seruo , peculiũ auget , *l. Quam Tuberonis 7. §. penult. ff. de peculio* . Igitur actio , qua de peculio , deque eo ,

quod

quod in rem domini versum sit, agitur, vna est: tamen duas habet condemnationes. Itaque Iudex, apud quem de ea actione agitur, antè dispicere solet, an in rem domini versum sit: nec aliter ad peculij æstimationem transit, quàm si aut nihil in rem domini versum esse intelligatur, aut non totum *tex. hic*, Actio igitur de in rem verso interdum est pars actiones, de peculio, *vt in hoc* §. interdum est separata ab actione de peculio, videlicet, cum actio de peculio finita est: actio enim de peculio post mortem, aut manumissionem, alienationemue serui est annalis, *l. 1. ff. quando de pecul. act. annal. sit*: actio verò de in rem verso est perpetua, *l. 1. §. 1. ff. de in rem verso*. 1

c *Cùm autem quæritur &c.* Docet hoc loco Imperator, quod quando quæritur, quantum in peculio sit: antè deducitur quidquid debet seruus domino, eiue, qui sit in potestate eius dominica, vel patria: & quod supereſt, id solum peculiũ intelligitur. Vnde peculium sic rectè definitur. Peculiũ est, quod seruus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino, eiue, qui in potestate eius sit, debetur, *l. depositi 5. in fine, iuncta l. Peculium autem 10. ff. de peculio.* Aliquando tamen id, quod seruus debet ei, qui in potestate domini sit, non deducitur ex peculio, veluti, si is, cui debetur, in ipsius serui peculio sit: quod eò pertinet, vt si quid vicario suo seruus debeat: id ex peculio eius non deducatur: est enim vicarius in peculio ordinarij, & consequenter, quod ordinarius vicario debet, in peculio ordinarij manet, *l. si seruus meus 17. ff. de peculio.* Ordinarius seruus dicitur, cui peculium dominus concessit, negotiarique sinit. Vicarius seruus est, qui serui ordinarij vices gerit, eique subministrat, vt diximus suprà *in tit. de legatis, ad §. Si quis ancillas.* Quæ autem in hoc §. *Dicta sunt de seruo*, & domino, obtinent etiam in filio familias, & patre, vt diximus *ad princ. huius tituli*. 2 3

Ad §. Cęterum.

4

Cæterùm dubium (a) *non est, quin is quoque, qui iussu domini contraxerit, cuique institoria, vel exercitoria actio competit: de peculio, deque eo, quod in rem domini versum est, agere possit. Sed erit stultissimus, si omissa actione: qua facilimè solidum ex contractu consequi possit: se ad difficultatem perducat probandi in rem domini versum esse, vel habere seruum peculium, & tantum habere, vt soli-*

solidum sibi solui possit. Is quoque, (b) *cui tributoria actio competit, æquè de peculio, & de in rem verso agere potest. Sed sanè huic, modò tributoria expedit agere, modò de peculio, & de in rem verso, Tributoria ideò expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua non est, ideſt, quod domino debetur, non deducitur: sed etusdem iuris est dominus, cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio antè deducitur quod domino debetur: & in id, quod reliquum est, creditori dominus condemnatur. Rursus de peculio ideò expedit agere, quod in hac actione totius peculij ratio habetur: at in tributoria, eius tantum, quo negotiatur, & potest quisque tertia fortè parte peculij, aut quarta, vel etiam minima negotiari: maiorem autem partem in prædijs, & mancipijs, aut fenebri pecunia habere. Prout ergo expedit, ita quisque vel hanc actionem, vel illam eligere debet. Certè qui potest probare in rem domini versum esse: de in rem verso agere* (c) *debet.* 1

a CÆterum dubium non est &c, Ostendit Iustinianus hoc loco, quod is cui competit actio Quod iussu, vel Institoria: vel Exercitoria, de quibus suprà diximus: de peculio quoque, & de in rem verso agere potest, sed erit ei longè vtilius experiri actione Quod iussu, vel institoria, vel Exercitoria. 2

b *Is quoque, cui trbiutoria &c.* Is quoque, cui Tributoria actio competit, æquè de peculio, & de in rem verso agere potest. Sed sanè huic, modo Tributoria expedit agere, modò de peculio, & de in rem verso, vt Iustinianus ipse explicat hic in textu. Provt ergo expedit, ita quisque vel hanc actionem, vel illam eligere debet. 3

c *De in rem verso agere debet.* Verbum, debet, hoc loco non significat necessitatem, sed vtilitatem, vt constat ex *Theoph. hic.*

Ad §. Quæ diximus.

Quæ diximus de seruo, & domino, eadem intelligimus & de filio, & filia, aut nepote & nepte, & patre auoua, in cuius potestate sunt. 4

Ad §. Illud quoque.

Illud proprie (a) *seruatur in eorum persona, quod Senatus Consultum Macedonianum prohibuit, mutuas pecunias dari eis, qui in parentis erunt potestate: & ei qui crediderit, denegatur* (b) *actio tam aduer-*

aduersus (c) *ipsum filium filiamue, nepotem neptemue, siue adhuc in potestate sunt, siue morte parentis, vel emancipatione, suæ potestatis esse cœperint, quàm aduersus* (d) *patrem auumue, siue eos habeat adhuc in potestate, siue emancipauerit. Quæ ideò Senatus* (e) *prospexit, quia sæpè onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur.*

1

a *Illud propriè &c.* Illud propriè seruatur in persona filiorum familias, & parentum, quod S.C. Macedonianum prohibuit, mutuas pecunias dari eis, qui in potestate parentis sunt: & ei qui crediderit, denegatur actio, tam aduersus ipsos, etiam sui iuris factos, quàm aduersus patrem auumue: siuè eos habeat adhuc in potestate, siue emancipauerit. *tex. hic.* Per mutuas pecunias Senatus Consultũ Macedonianum nummos mutuos intelligit, non res cœteras, quę mutuo dari possunt. 2
Sed si fraus sit Senatus Consulto adhibita: puta frumento, vel vino, vel oleo mutuo dato, vt his distractis fructibus, filiusfamilias vteretur pecunia: ipsi filiofamilias subueniendum est, *l. Sed Iulianus 9. §. mutui dationem ff. Ad Senat. Conf. maced.* Macedoniani tamen Senatus Consulti auctoritas petitionem eius pecuniæ non impedit, quæ filiofamilias studiorum, vel legationis causa alibi degenti ad necessarios sumptos, quos patris pietas non recusaret, credita est, *l, Macedoniani 5. C. Ad S. C. Maced.*

b *Denegatur actio.* Quoticscunque exceptio est euidens, puta, 3
cum mutuum contra Senatus Consultum datum esse constat, prætor denegat actionem, ne frustrà litigetur coram Iudice, vt hic, *l. nam. postea 9. in princ. ff. de Iureiur. l sed Iulianus 9. §. non solùm, & l. sed & si pater 11. §. Hoc Senatus Consultum ff. Ad Senat. Conf. Maced.* Cùm autem exceptio dubia est, tunc prætor dat actionem cum exceptione. Et secundùm hanc distinctionem intelligi, & conciliari possunt leges *tit. ff. ad Senat. Consult. Maced.* quarum aliæ dicunt actionem denegari creditori, aliæ exceptionem contra eum dari, & consequenter videntur inter 4
se contrariæ. *Pac. hic in Analy.*

c *Aduersus ipsum filium.* Et fideiussorem quoque eius, *l. Sed & si pater 11. §. Non solum ff. Ad Senat. Conf. Maced.* Et heredem filij, si paterfamilias decesserit, *l. Sed Iulianus 9. §. quanquam autem ff. eod.* Quod si paterfamilias factus partem soluerit debiti: cessabit Senatus Consultum, nec solutum repetere potest, *d. l. 9, in fine.*

a *Aduer-*

d *Aduersus patrem*. Si tamen pater soluere cæperit, quod filius familias mutuum susceperit, quasi ratum habuerit, cessabit Senatus Consultum, *d. l. 9. §. vlt.*

c *Quæ ideò Senatus prospexit &c.* Ratio, & causa huius Senatus Consulti fuit, quia sæpè filij familias onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentùm insidiabantur. Vnde constat, quod filius familias Macedoniano Senatus Consulto renunciare non potest, quia 1
non fauore ipsius, sed patris fuit introductum.

Ad §. Vltimum.

Illud in summa (a) *admonendi sumus, id quod iussu patris dominiue contractum fuerit, quodque in rem eius versum erit: directò quoque posse à patre dominoue condici, tanquam si principaliter cum ipso negotium gestum esset. Ei quoque,* (b) *qui vel exercitoria, vel institoria actione tenetur, directò posse condici placet: quia huius quoque* 2
iussu contractum intelligitur.

a *Illud in summa &c.* Illud in summa scire debemus, quod pater, vel dominus, qui ex contractu filij, vel serui tenetur actione Quod iussu, vel de in rem verso, etiam directò condictione conueniri potest, tamquam si principaliter cum ipso negotium gestum esset.

b *Ei quoque, qui exercitoria &c.* Exercitor quoque nauis, vel qui institorem tabernè fortè præposuit, ex contractu magistri, vel 3
Institoris, non solùm Exercitoria, vel Institoria actione tenetur, sed etiam directò potest condictione conueniri, Nam ipsius quoque iussu contractum intelligitur.

De noxalibus (a) actionibus.

TITVLVS VIII.

Ex maleficijs (b) *seruorum: veluti si furtum fecerint, aut bona rapuerint: aut damnum dederint, aut iniuriam commiserint: noxales* 4
actiones (c) *proditæ sunt, quibus domino damnato* (d) *permittitur, aut litis æstimationem sufferre, aut hominem noxæ dedere.*

a *De noxalibus actionibus.* Non solum ex contractibus seruorum, filiorumue familias pater, aut dominus conuenitur:

tur: Sed etiam ex delictis: & quia pro delictis seruorum, & Iure antiqno etiam pro delictis filiorum familias contra patrem, dominumue noxaliter agitur: ideò præcedenti titulo, in quo diximus de varijs actionibus, quibus ex contractu seruorum, filiorumue familias pater, vel dominus conuenitur, præsens titulus, de noxalibus actionibus, subnectitur.

b *Ex maleficijs &c.* Ex maleficijs seruorum, ideſt, ex priuatis seruorum delictis, veluti si furtum fecerint, aut bona rapuerint, 1
aut damnum dederint, aut iniuriam commiserint: noxales actiones proditæ sunt, quibus domino damnato permittitur, aut litis æstimationem sufferre, aut noxam dedere: ideſt, aùt corpus, quod nocuit dedere. §. *Noxa autem, hoc titulo*: Si tamen seruus sciente domino, nec prohibente, cùm prohibere posset, deliquit: in solidum dominum obligat, *l. 2. in princ. & l. 3. ff. de noxal. act.* Ex publicis autem criminibus, vt ex adulterio, homicidio, actiones noxales non dantur, sed contra seruos ipsos accusatio instituenda est, *l. Quis* 2
sit fugitiuus 17. §. noxas, ff. de ædilitio edicto, l. penult. §. vlt. C. de noxal. act.

c *Noxales actiones proditæ sunt.* Ideſt, introductæ, partim legibus, partim edicto prætoris, vt infra §. *sunt autem hoc titulo*, & animaduerte, quod actio noxalis non est species actionis à cæteris distincta, sed est qualitas adiecta actionibus competentibus ex priuatis seruorum delictis v. g. si seruus furtum fecit, in domiuum datur actio furti noxalis. Si seruus vi bona rapuit, in dominum datur actio vi bonorum raptorum noxalis. 3

d *Quibus domino damnato permittitur &c.* Dominus tamen habet solùm hanc electionem, si priùs noxam dedat, quam actione iudicati conuentus litem fuerit contestatus, *l. Item veniunt 22. §. Idem rectè ff. de pet. hered.*

Ad §. Noxa autem.

Noxa (a) *autem est corpus: quod nocuit, ideſt, seruus, noxia, ipsum maleficium: veluti furtum, damnum, rapina. iniuria.* 4

a *Noxa autem &c.* Noxa autem est corpus, quod nocuit, ideſt, seruus, noxia verò ipsum maleficium: veluti furtum, damnum, rapina, iniuria, *tex. hic. l. 1. ff. de ijs, qui deiec. vel effud. l. plebs 237. ff. de verb. sig. secundum lectiuram Pandect. Florent. Vnde Versus*: Noxia delictum, delinquens noxa vocatur. Nonnunquam

tamen noxa etiam pro maleficio sumitur, vt in §. *vlt. huius tit.*

Ad §. Summa autem.

Summa (a) *autem ratione permissum est noxæ deditione defungi. Namque erat iniquum, nequitiam eorum vltra ipsorum corpora dominis damnosam esse.*

1

a *Summa autem &c.* Summa autem ratione permissum est domino damnato deditione ipsius corporis, quod deliquit, euitare litis æstimatione: Namque erat iniquum, nequitiam seruorum vltra ipsorum corpora dominis damnosam esse, *tex. hic l. 1. & 2. in princ. ff. de noxal. act. l. prætor ait 7. §. hoc edictum ff. de damno infecto.*

Ad §. Dominus.

2

Dominus (a) *noxali iudicio serui sui nomine conuentus, seruum actori noxæ dedendo liberatur, nec minùs in perpetuum eius dominium à domino transfertur. Sin autem damnum ei, cui deditus est, seruus resarcierit quæsitia pecunia, auxilio prætoris inuito domino manumittetur.*

a *Dominus &c.* Dominus noxali iudicio serui sui nomine conuentus, seruum pro maleficio actori dedendo liberatur, dominio serui in accipientem translato. Sin autem seruus, 3
quæsita pecunia, resarciret damnum ei, cui deditus est, inuito etiam eo manumittetur prætoris auxilio. Et ratio est, quia hic posterior dominus iam ab initio voluit potiùs litis æstimanem, quàm ipsum seruum: quare eam postea consecutus, meritò seruum dimittere debet.

Ad §. Sunt autem.

Sunt autem (a) *constitutæ noxales actiones, aut legibus, aut edicto* 4
prætoris. Legibus veluti furti lege duodecim tabulatum, damni iniuriæ legæ Aquilia. Edicto prætoris: veluti iniuriarum, & vi bonorum raptorum.

a *Sunt autem &c.* Quod dicitur hic in textu, noxalem actionem furti lege duodecim Tabularum constitutam, intel-

telligendum est de furto nec manifesto. Actio enim furti nec manifesti in duplum ex duodecim tabulis: actio furti manifesti in quadruplum est è Iure prætorio. *Cuiac. hic Vide Pac. hoc eodem loco in Analy.* Vbi ostendit dici posse etiam furti manifesti noxalem actionem esse ciuilem ex duodecim tabulis.

Ad §. Omnis autem. 1

Omnis (a) *autem noxalis actio caput sequitur. Nam si seruus tuus noxiam commiserit: quamdiu in tua* (b) *potestate sit, tecum est actio. Si in alterius potestatem peruenerit, cum illo incipit actio esse. At si manumissus fuerit: directò ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio. Ex diuerso* (c) *quoque directa actio, noxalis esse incipit. Nàm si liber homo noxiam commiserit, & is, seruus tuus esse cœperit (quod quibusdam casibus effici, primo libro* (d) *tradidimus) incipit tecum esse noxalis actio, quæ antea directa fuisset.* 2

a *Omnis autem &c.* Omnis autem noxalis actio caput sequitur, ideſt, datur in eum, qui est dominus serui eo tempore, quo agitur, licèt tempore delicti non fuerit dominus. Itaque si seruus tuus noxiam commiserit: quandiu in tua potestate sit, tecum est actio. Si in alterius potestatem peruenerit, cum illo, in cuius potestate est, incipit actio esse. At si manumissus fuerit: directò ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio v. g. si dum seruus erat furtum fecit, aut vi bona rapuit: 3
actione furti, aùt vi bonorũ raptorũ: postea manumissus tenetur.

b *In tua potestate sit.* Aut dolo feceris, quò minus sit, *l. si bona fide 12. ff. de noxal. act.*

c *Ex diuerso quoque &c.* Ex diuerso quoque directa actio, noxalis esse incipit. Nàm si liber homo noxiam commiserit, puta furtum, & is, seruus tuus esse cœperit, incipit tecum esse actio furti noxalis, quæ antea directa fuisset, hoc est quæ antea fuisset actio furti contra ipsum hominem liberum.

d *Primo libro tradidimus. In tit. de iure personarum §. penultimo.* 4

Ad §. Si seruus domino.

Si seruus (a) *domino noxiam commiserit, actio nulla nascitur. Namque inter dominum, & eum, qui in potestate eius est nulla obligatio nasci potest. Idcòque & si in alienam potestatem seruus peruenerit, aut*

manumissus fuerit, neque cum ipso, neque cum eo, cuius nunc in potestate sit, agi potest. Vnde si (b) *alienus seruus noxiam tibi commiserit, & is postea in potestate tua* (c) *esse cœperit, interdicitur* (d) *actio: quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuit. Ideoque licet exierit de tua potestate, agere non potes: quemadmodum si dominus* (e) *in seruum suum aliquid commiserit, nec si manumissus, aut alienatus fuerit seruus, vllam actionem contra dominum habere potest.* 1

a *Si seruus &c.* Si Seruus domino noxiam commiserit, actio nulla nascitur. Namque inter dominum, & eum, qui in potestate eius est, nulla obligatio nasci potest. Ideòque etsi in alienam potestatem seruus post admissam noxiam peruenerit, aut manumissus fuerit, neque cum ipso iam libero facto, neque cum eo, cuius nunc in potestate sit, agi potest. Cùm enim tempore delicti, à seruo commissi, nulla obligatio, nulla actio nata sit, ex post facto nasci ea non potest: atque ita hic locum habet illa Iuris Regula: Quod ab initio 2
non consistit, non potest tractu temporis conualescere, *l. Quod initio 29. ff. de. reg. iur.*

b *Vnde si alienus seruus &c.* Ex diuerso quoque si alienus seruus noxiam tibi commiserit, & is postea in potestate tua esse cœperit, actio extinguitur: quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuit. Quod enim ab initio constituit, postea euanescit, si in eum casum perueniat, à quo incipere non potuit, *l. huic scripturæ 15. in fine, iuncta l. seq. ff. ad leg. Aquil. l. 3. ff. de ijs, quæ pro non script. hab.* Ideoque licèt exierit de tua 3
potestate, qui noxiam tibi commisit dum erat seruus alienus, agere non potes: Actio enim semel mortua, & extincta fuit, & propterea ex causa superueniente rescuscitari non potest, *l. qui res 98. §. Aream ff. de solutionibus.*

c *In potestate tua esse cœperit.* Ante litem contestatam. Nam si post litem contestatam: condemnandus erit venditor, *l. si alienus seruus 37. ff. de noxal. act.*

d *Interdicitur actio.* Legendum, Intercidit actio vt constat ex Theophilo. 4

e *Si dominus in seruum &c.* Si dominus in seruum suum aliquid commiserit, nec si manumissus, aut alienatus fuerit seruus, vllam actionem contra dominum habere potest seruus manumissus, aut nouus dominus. Et ratio est superior, quia videlicet ex ipso facto nulla obligatio, nulla actio nata est, & consequenter ex post facto nasci ea non potest.

Ad

Ad §. Sed veteres.

Sed veteres (a) *quidem hæc & in filijs familias masculis & fœminis admisere, nouâ autem hominum conuersatio huiusmodi asperitatem rectè respuendam esse existimauit, & ab vsu communi hoc penitùs recessit. Quis enim patiatur filium suum, & maximè filiam in noxam alij dare: vt penè per filij corpus pater magis, quàm filius periclitetur: cùm in filiabus etiam pudicitiæ fauor hoc benè excludat? Et ideò placuit, inseruos* (b) *tantummodo noxales actiones esse proponendas: cùm apud veteres legum commentatores inuenerimus sæpiùs dictum, ipsos filiosfamilias pro suis delictis posse* (c) *conueniri.* 1

a SED *veteres &c.* Sed veteres quidem has noxales actiones & in filijsfamilias masculis, & fœminis admisere, postea verò huiusmodi asperitas rectè ab vsu communi penitùs recessit, & placuit propter seruos tantummodò noxales actiones esse proponendas: cùm etiam veteres legum commentatores sæpiùs dixerint: Ipsos filiosfamilias pro suis delictis posse conueniri. 2

b *In seruos tantummodò &c. l. Apud antiquos 21. in fine C. de furt. & ser. corrup.*

c *Posse conueniri. l. ex causa furtiua 5. ff. de condic. furt. l. Noxali 33. & l. seq. ff. de noxal. act.*

Si quadrupes (a) pauperiem fecisse dicatur. 3

TITVLVS IX.

Animalium (b) *nomine, quæ ratione carent* (c), *si qua* (c) *lasciuia, aut ferore, aut* (d) *feritate* (c) *pauperiem* (f) *fecerint: noxalis actio lege duodecim tabularum prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur, proficiunt eo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum scripta est, vt puta,* (g) *si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus, petierit.* 4

a SI *quadrupes &c.* Nonsolùm ex delictis seruorum nascuntur actiones noxales, sed etiam ob damnum datum à quadrupede: meritò igitur præcedenti titulo, in quo dictum fuit de noxalibus actionibus, quæ dantur nomine seruorum, subnectitur præsens titulus. Si quadrupes &c. in quo noxales actiones

nes quadrupedum nomine competentes explicantur.

b *Animalium nomine &c. l.1.ff.Si quadrupes &c. & l. Prætor ait 7. §.Hoc edictum ff. de dam. infec.* Vtitur autem generali dictione, Animalium, Imperator, vt ostendat hanc actionem vtilem competere, & si non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecit, *l.hæc actio 4. ff. Si quadrupes pauperiem &c.*

c *Si qua lasciuia &c.* Quod si propter loci iniquitatem, aut propter culpam mulionis, aut si plus iusto onerata quadrupes in aliquem onus euerterit: hæc actio cessabit, damnique iniuriæ agetur, *l.1. §.Ait prætor ff. Si quadrupes &c.* 1

d *Aut feruore.* Legendum est: feruore, ex Theoph. non: pauore, vt in libris vulgatis.

e *Aut feritate.* Actioni de pauperie locus est etiam si bestiæ pauperiem fecerint, vt in fine huius tituli Iustinianus notat, quo etiam pertinent hæc verba: aut feritate. *Cuiac. hic,* & ad *Iulium Paulum recept. Sent. lib.1. tit.15. §.Feram bestiam.*

f *Pauperiem fecerint.* Pauperies definitur infrà *h. t. §.Pauperies autem.* 2

g *Vt puta, si equus calcitrosus &c.* Hæc verba non sunt verba Legis duodecim Tabularum, sed afferunt exempla pauperiei, ex qua noxalis actio nascitur. Et mihi probatur sententia eorum, qui existimant hæc verba non esse posita loco suo, sed seruire debere sequenti §. in quo ità sit legendum: Hæc autem actio in ijs, quæ contra naturam mouentur, locum habet: vt puta, si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus, petierit. Cæterùm si genitalis &c. Atque hoc apertè constat ex *l.1. §.Ait prætor ff.Si quadrupes pauperiem &c.* 3

Ad §. Hæc autem actio.

Hæc autem (a)*actio in ijs, quæ contra naturam mouentur locum habet. Cæterùm si* (b)*genitalis sit feritas, cessat. Denique* (c) *si vrsus fugit à domino & sic nocuit, non potest quondam dominus conueniri: quia desijt dominus esse, vbi fera euasit.*

4

a HÆC *autem actio &c.* Quemadmodum textus in hoc §. sit restituendus, demonstratum est in fine superioris §. Et in Summa hoc dicit: Actio de pauperie in ijs animalibus, quæ contra naturam mouentur, locum habet. Cæterùm si ingenita sit feritas, cessat. Contra naturam mouentur animalia, quæ non concitata, aut impulsa mouentur, etiam si natura eorum

fera

fera sit, dummodò naturalem libertatem non habeant, feritate naturali mouentur, quæ concitata sunt, vel impulsa, vel quæ naturalem libertatem receperunt. *Cuiac. hic.*

b *Si genitalis.* Legit Theophilus: Si natiua, & à natura insita.

c *Denique si vrsus &c.* Denique si vrsus fugit à domino, & sic nocuit, non potest quondam dominus conueniri: quia desijt dominus esse, vbi fera euasit; *l.* 1. §. *In bestijs autem ff. si quadrupes pauperiem &c.* Et consequenter vrsum, quem in potestate non habet, pro damno tradere non potest. 1

Ad §. Pauperies autem.

Pauperies (a) *autem est, damnum sine* (b) *iniuria facientis datum. Nec enim potest animal iniuriam fecisse dici, quod sensu* (c) *caret. Hæc quod ad noxalem pertinet actionem.*

a *Pauperies &c. l.* 1. §. *Ait Prætor, ff. Si quadrupes pauperiem &c.* 2

b *Sine iniuria.* Hinc distinguitur pauperies à damno per iniuriam dato, de quo est Lex Aquilia.

c *Sensu caret.* Ratione, iudicio, affectu.

Ad §. Cæterùm.

Cæterùm (a) *sciendum est, edilitio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, vrsum, leonem ibi habere, quà vulgò iter fit. Et si aduersus ea factum erit, & nocitum libero homini esse dicetur, quod bonum & æquum iudici videtur, tanti dominus* (b) *condemnetur, cæterarum rerum, quanti damnum datum sit, dupli. Præter has autem, ædilitias actiones, & de pauperie* (c) *locum habebit. Nunquam* (d) *enim actiones, præsertim pœnales,* (e) *de eadem re* (f) *concurrentes, aliâ aliam consumit.* 3

a *Cæterùm &c.* Cæterùm sciendum est, ædilitio edicto, cuius verba referuntur in *l. Hi enim* 40. *& in duabus legibus sequentibus ff. de ædilitio edicto,* prohiberi nos canem, aùt feram bestiam ibi habere, quà vulgò iter fiat, & si aduersus ea factum erit, & nocitum libero homini sit, in id, quod bonum & æquum iudici videbitur, dominus condemnabitur, vel in duplum, si aliud damnum datum sit. Quod si homo liber ex ea re pericrit: solidis ducentis dominus condemnabitur ex eodem edicto. 4

Præ-

Præter has autem ædilitias actiones, etiam noxalis actio de pauperie locum habebit quasi ex duobus factis, quia scilicèt ipse fecerit contra edictum, qui ibi canem, aùt feram bestiam habuerit, & quia canis, aùt fera bestia pauperiem fecerit. Nunquam enim actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

b *Dominus condemnetur*. Non tamen deformitatis ratio habenda est, cùm liberum corpus æstimationem non recipiat, sed impensarum in curationem factarum, & operarum amissarum, quasque amissurus quis esset, inutilis factus, *l. 3. ff. Si quadrupes pauperiem &c.* 1

c *Et de pauperie locum habebit*. Saltem vtilis.

d *Nunquam enim &c.* Nunquam actiones præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit, *l. nunquam* 130. *ff. de reg. Iur. l. penult. ff. de oblig. & act.* Animaduertendum est hanc regulam locum duntaxat habere in pluribus actionibus plurium factorum, licèt sint eadem de re, vel pecunia. Harum altera alteram nunquam consumi. Ex vtraque actorem solidum consequi. Et notandum quod ait, nunquam, quod ita de aliis actionibus constitui non potest. Aliud est esse plura delicta ex vno facto. Nàm tum plures quidem sunt actiones pœnales, sed non omnibus vti licet, nisi priùs leuiori egeris: nàm quod pluris in altera est, tunc peti potest. Aliud plura esse delicta ex pluribus factis, nàm tunc secundum hanc Regulam plures sunt actiones, & omnibus vti licet, sine vlla deductione *Cuiac. ad dictam l. Nunquam* 130. *ff. de reg. Iur.* Vbi plenè explicat eandem regulam. 2 3

e *Pœnales*. Pœnales actiones vocat non tantùm merè pœnales, sed & mixtas.

f *De eadem re. In dicta l. penult. ff. de oblig. & act. legitur, de eadem pecunia*. Eadem res igitur hoc loco non accipitur pro eodem facto.

De ijs, (a) per quos agere possumus. 4

TITVLVS X.

Nunc admonendi (b) *sumus, agere posse quemlibet hominem, aut suo nomine, aut alieno*. (c) *Alieno, veluti procuratorio, tutorio, curatorio: cum olim in vsu fuisset, alterius nomine agere non posse, nisi*

pro

pro populo, pro libertate, (d) *pro tutela. Præterea lege Hostilia permissum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipublicæ causa abessent, quive* (e) *in eorum cuius tutela essent. Sed quia hoc non minimum incommodum habebat, quòd alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat, cœperunt homines per procuratores litigare. Nàm & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, itemque aliæ multæ causæ sæpè hominibus* (f) *impedimento sunt, quò minùs rem suam exequi possint.* 1

a *De ijs &c.* Hactenus de varijs actionum generibus dictum, est, nunc de ijs, per quos actiones mouentur, congruo ordine annectitur.

b *Nunc admonendi &c.* Agere potest quilibet homo, aùt suo nomine, aùt alieno. Alieno, veluti procuratorio, tutorio, curatorio. Olim tamen alterius nomine agere non licebat, nisi certis quibusdam ex causis hic in textu numeratis.

c *Aùt alieno.* In ciuilibus causis. Nàm regulariter in criminalibus procurator non admittitur, *l. penult. §. vlt.* & ibi *gl. ff. de pub. Iud.* 2

d *Pro libertate.* Hodie si quis ex possessione libertatis ad seruitutem vocatur, procuratorem dare minime prohibetur, qui verò ex seruitute ad libertatem proclamant, causam per se tantùm agere debent, *l. 1. C. de assertione tollenda.*

e *Quive in eorum &c.* Sensus est, pupillorum quoque nomine, qui in tutela essent alicuius eorum, qui apud hostes essent, aùt Reipublicæ causa abessent, agi potuisse.

f *Sæpe hominibus impedimento sunt &c.* Sed etsi nullum sit impedimentum, possunt tamen homines per procuratores litigare, *l. 1. §. Vsus autem ff. de procurat.* 3

Ad §. Procurator.

Procurator, (a) *neque certis verbis, neque præsente aduersario, immò plerumque eo ignorante* (b) *constituitur. Cuicumque* (c) *enim permiseris rem tuam agere: aut defendere, is tuus procurator intelligitur.* 4

a *Procurator &c.* Peocurator neque solemnibus verbis, neque præsente aduersario, imò plerunque eo ignorante constituitur. Cuicunque enim petmiseris rem tuam agere, aùt defendere, is tuus procurator intelligitur. Procuratores igitur ad iudicia, de quibus tantùm hic agitur, sunt qui ad agendum,

vel defendendum ex mandato constituuntur. *A Vlpiano verò in l. 1. ff. de procuratoribus*, Procurator sic definitur: Procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat. Sed hæc definitio pertinet potiùs ad procuratorem constitutum ad negotia, quàm ad procuratorem datum ad iudicia. Qui tamen ad defendendum ex mandato constituuntur, etiam defensores dicuntur, & qui mandatum non habent, quasi procuratores, quasi defensores sunt, *l. Pomponius* 40. §. *Sed & is, & l. Plantius* 61. ff. *de procurat. & defens.* 1

b *Eo ignorante*. Inuitus tamen procurationem suscipere nemo cogitur: *l. Inuitus* 17. *C. de procurat.*

c *Cuicunque*. Scilicèt habili: multi enim ex varijs causis procuratores esse non possunt, quos Accursius hic recenset.

Ad §. Tutores.

Tutores (a) *& curatores quemadmodum constituantur, primo libro expositum est.* 2

a TVtores &c. Tutores, & curatores quemadmodum constituantur, primo libro expositum est. *In tit. Qui testam. tut. dar. pos. & in sex tit. seq. & in tit. de curat.* In summa: Tutores, aùt testamento à parentibus constituuntur, aùt à lege, aùt à Magistratu. Curatores autèm testamento non dantur, sed tantùm à lege, vel à Magistratu: quandoque tamen testamento dati confirmantur à Magistratu. 3

De (a) Satisdationibus.

TITVLVS XI.

Satisdationum (b) *modus alius antiquitati placuit, alium nouitas per vsum amplexa est. Olim enim, si in rem agebatur, satisdare possessor compellebatur, vt si victus esset, nec rem ipsam restitueret, nec litis æstimationem: potestas esset petitori, aùt cum eo agendi, aùt cum fideiussoribus* (c) *eius, quæ satisdatio appellatur iudicatum solui. Vnde autem sic appellatur, facilè est intelligere, namque stipulatur quis, vt soluatur sibi, quod fuerit iudicatum. Multò magis is, qui in rem actione conuenichatur, satisdare cogebatur, si alieno nomine iudicium accipiebat. Ipse autem, qui in rem agebat, si suo nomine* 4

pere-

petebat, satisdare non cogebatur. Procurator verò, si in rem agebat, satisdare iubebatur Ratam rem dominum habiturum. Periculum enim erat, ne iterum dominus de eadem re experiretur. Tutores & curatores eodem modo, quo & procuratores satisdare debere, verba edicti faciebant: sed aliquando his agentibus satisdatio (d) *remittebatur. Hæc ita erant, si in rem agebatur.*

a *De Satisdationibus.* Quoniam satisdationes præcipuè præstantur ab ijs, qui alieno nomine agunt: ideò post titulum de ijs, per quos agere possumus, titulus de Satisdationibus subiungitur. Pro intelligentia eorum, quæ in hoc titulo dicturi sumus Notate Primò quòd satisdare est fideiussores dare, *l. 1. ff. Qui satisd. cog.* Et præsertim in hoc titulo satisdationis verbum fideiussores requirit, nàm satisdationes prætoriæ, quales sunt hæ, de quibus hoc titulo agitur, non admittunt pignora, sed personas fideiusforum desiderant, *l. Prætoriæ 7. ff. de prætor. stipul.* Secundo notate, quod in hoc titulo non agitur de omnibus satisdationum generibus, sed de illis tantùm satisdationibus, quæ vsurpantur in iudicijs. Tertio notate, quod in iudicijs non semper cauetur data satisdatione, sed pro qualitate personarum aliàs præstatur satisdatio, quandoque iuratoria cautio, quandoque nuda promissio, de quibus omnibus cautionum generibus agitur in hoc titulo, vt suo loco videbimus, titulus tamen inscribitur tantùm de satisdationibus, quia regulariter in iudicijs satisdatur, & sic ab eo, quod regulariter fit, inscriptio sumpta est. 1 2 3

b *Satisdationum modus &c.* Olim, si in rem agebatur, Reus, vel eius procurator satisdare compellebatur Iudicatum solui. Ipse autem, qui in rem agebat, si suo nomine petebat, satisdare non cogebatur. Procurator verò, si in rem agebat, satisdare iubebatur Ratam rem dominum habiturum. Tutores quoque, & curatores eodem modo, quo & procuratores satisdationis onere grauabantur: sed aliquando his agentibus satisdatio remittebatur.

c *Aùt cum fideiussoribus eius.* Olim enim fideiussor ante reum principalem conueniri potuit. 4

d *Satisdatio remittebatur.* Remittebatur eis satisdatio de rato, si constabat eos tutores esse, vel curatores.

Ad §. Si verò in personam.

Si verò in personam, (a) *ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, qua in rem agitur. ab eius verò parte, cum quo agitur, si quidem alieno nomine aliquis interueniret, omnimodo satisdaret: quia nemo* (b) *defensor in aliena re sine satisdatione idoneus esse creditur. Quòd si proprio nomine aliquis iudicium accipiebat in* 1
personam: Iudicatum solui satisdare (c) *non cogebatur.*

a *Si verò in personam &c.* Olim, si in personam agebatur, ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, qua in rem agitur. Hoc est, si dominus ipse agebat in personam, nullam præstabat satisdationem, si verò procurator, satisdabat Ratam rem dominum habiturum, & similiter tutor, aùt curator satisdabat de rato, si hoc erat dubium, an tutor, aùt curator esset. Ab eius verò parte, cum quo agitur, 2
si quidem alieno nomine aliquis interueniret, omnimodo satisdare cogebatur Iudicatum solui, quia nemo defensor in aliena re sinè satisdatione idoneus esse creditur. Quòd si proprio nomine aliquis iudicium accipiebat in personam: Iudicatum solui satisdare non cogebatur.

b *Quia nemo defensor &c. l. Qui proprio* 46. §. *Qui alium ff. de procurat.*

c *Satisdare non cogebatur.* Sed quamobrem is, qui in rem iudicium accipiebat, satisdabat, vt in principio huius tituli: qui 3
verò in personam, nequaquam, vt hic. Ratio hæc erat, quia rei possessor, re extincta liberatur. Cauendum igitur erat, ne causæ diffidens dolo malo aliquid committeret: veluti seruo venenum daret, aùt dissiparet tecta, aùt agros desereret. At ab eo, cuius in personam agitur, nihil eiusmodi metuitur: quippe, cum non in certam aliquam eius rem agatur, sed vniuersè in ipsum, ciusque iura omnia, & patrimonium vniuersum. *H. hic.*

4

Ad §. Sed hæc hodie.

Sed hæc hodie (a) *aliter obseruantur. Siue enim quis in rem actione conuenitur, siue in personam suo nomine, nullam satisdationem pro litis æstimatione dare compellitur: sed pro sua tantùm persona, quòd in iudicio permaneat vsque ad terminum litis, vel committitur suæ*

pro-

promissioni cum iure iurando: quam iuratoriam cautionem vocant: vel nudam promissionem, vel satisdationem, pro qualitate personæ suæ, dare compellitur.

a *SED hæc hodie &c.* Hodie, siuè quis in rem actione conueniatur, siuè in personam suo nomine, nullam satisdationem Iudicatum solui dare compellitur: sed tantùm pro qualitate personæ suæ præstare cogitur, vel satisdationem, vel iuratoriam cautionem, vel nudam promissionem, quòd in iudicio permanebit vsque ad terminum litis. Ideſt, vsque ad sententiam definitiuam: ea enim est, quæ, vel condemnatione, vel absolutione, liti finem imponit, *l.1. ff.de re iudicata.* Satisdatio regulariter requiritur. Iuratoriam cautionem præstant viri Illustres, *l.quoties 17. C. de dignitatibus lib.12.* & qui immobilia possident, *l. multis 8. C. de princip. agen. in reb. lib. 12.* Nudam promissionem præstant clerici in quibusdam causis, qua de re agitur in *l.cum clericis 25. & in l.omnes 32. C.de Episcop.& Cler.* 1 2

Ad §. Sin autem per procuratorem.

Sin autem (a) *per procuratorem lis vel infertur, vel susciptur: in actoris quidem persona, si non mandatum* (b) *actis insinuatum est, vel præsens* (c) *dominus litis in iudicio procuratoris sui personam confirmauerit, ratam rem dominum habiturum, satisdationem procurator dare compellitur: eodem obseruando, & si tutor, vel curator, vel aliæ tales* (d) *personæ, quæ alienarum rerum gubernationem receperunt,* 3 *litem quibusdam* (e) *per alium inferunt.*

a *SIN autem &c.* Sin autem per procuratorem lis infertur, ratam rem dominum habiturum, procurator satisdare compellitur, nisi liquidò constet eum esse verum procuratorem. Idem est obseruandum, & si tutor, vel curator, vel aliæ tales personæ, quæ alienarum rerum gubernationem receperunt, litem quibusdam per alium inferunt.

b *Si non mandatum actis insinuatum est.* Apud Theophilum legitur: Nisi procurator mandatum sibi à domino factum cum professione apud acta ostendat esse. 4

c *Vel præsens dominus litis.* Idem est si absens dominus literas suas ad aduersarium dirigat, quibus significet, quem aduersus eum procuratorem, & in qua causa fecerit, ratumque se habiturum, quod cum eo actum sit, *l.Si procuratorem 65. ff. de procurat.*

curat. Idem etiam est si dominus cum se feciſſe procuratorem libello principi dato profeſſus est, *l. ne ſatiſdatio 21. ff. rem ratam haberi.*

d *Vel aliæ tales perſonæ.* Quales ſunt Sindici, vel Actores Vniuerſitatum.

e *Litem quibuſdam per alium inferunt.* Ipſi quidem non ſatiſdant de rato, quia dominorum loco ſunt. Sed tamen ij cauent de rato, qui ab eis conſtituuntur actores, vel procuratores. 1

Ad §. Si verò aliquis.

Si verò aliquis (a) *conuenitur: ſi quidem præſens procuratorem dare paratus eſt: poteſt vel ipſe in iudicium venire, & ſui procuratoris perſonam per Iudicatum ſolui ſatiſdationem ſolemni ſtipulatione firmare, vel extra iudicium ſatiſdationem exponere, per quam ipſe ſui procuratoris ſideiuſſor exiſtat pro omnibus Iudicatum ſolui ſatiſdationis clauſulis. vbi & de hypotheca* (b) *ſuarum rerum conuenire, compellitur: ſiue in iudicio promiſerit, ſiue extra iudicium cauerit: vt tam ipſe quàm heredes eius obligentur: alia inſuper cautela, vel ſatiſdatione propter perſonam ipſius exponenda,* (c) *quòd tempore ſententiæ recitandæ in iudicio inuenietur: vel ſi non venerit, omnia dabit* (d) *quæ in condemnatione continentur, niſi fuerit prouocatum.* 2

a *SI verò aliquis &c.* Si verò aliquis conuenitur: ſi quidem præſens procuratorem dare paratus eſt: poteſt vel in iudicio, vel extra iudicium ſatiſdare Iudicatum ſolui, per quam ſatiſdationem ipſe ſui procuratoris ſideiuſſor exiſtat pro omnibus clauſulis ſatiſdationis Iudicatum ſolui. Clauſulæ autem iſtæ tres ſunt, vt conſtat ex *l. Iudicatum ſolui 6. ff. Iudicatum ſolui.* Prima de re iudicata. Ideſt, de eo ſoluendo, quod iudicatum erit. Secunda de re defendenda. Ideſt, de iudicio non deſerendo. Tertia de dolo malo. Ideſt, dolum abeſſe, abfuturumque eſſe. Et dicta Satiſdatio Iudicatum ſolui, à prima clauſula ſupradicta, qua continetur, vt ſoluatur actori, quod iudicatum erit, nomen accepit, *tex. in princ. huius tituli.* 3 4

b *Vbi & de hypotheca &c.* Reus, qui pro ſuo procuratore ſideiubet vt ſupra, etiam res ſuas hypothecare compellitur: vt tam ipſe, quàm heredes eius obligentur: & inſuper aliam cautelam, vel ſatiſdationem propter perſonam ſuam debet præſtare: quod ſcilicèt tempore ſententiæ recitandæ in iudicium veniet:

vel

vel si non venerit, omnia dabit, quæ in condemnatione continebuntur, nisi fuerit appellatum.

c *Exponenda*. Datis plerumque fideiussoribus.

d *Omnia dabit*. In libris vulgatis legitur: omnia dabit fideiussor. Sed *Cuiac. hic* omninò delendum esse affirmat nomen (fideiussor.)

Ad §. Si verò reus.

1

Si verò reus præstò ex quacunque causa non fuerit, & alius velit defensionem eius subire: nulla differentia inter actiones in rem, vel in personam introducenda, potest hoc facere: ita tamen vt satisdationem Iudicatum solui pro litis æstimatione præstet. Nemo enim (a) *secundùm veterem regulam (vt iam dictum est) alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur.*

a NEmo enim &c. *l. Qui proprio* 46. §. *Qui alium, ff. de procurat.* 2

Ad §. Quæ omnia.

Quæ omnia (a) *apertiùs & perfectissimè à quotidiano iudiciorum vsu iu ipsis rerum documentis apparent.*

a QVÆ omnia &c. Satisdationum autem doctrina apertiùs, & perfectiùs à quotidiano iudiciorum vsu in ipsis rerum documentis apparet. Vsus enim & experientia dominatur in artibus vt scribit *Columella lib.* 1. 3

Ad §. Quam formam.

Quam formam (a) *nonsolùm in hac Regia* (b) *Vrbe, sed etiam in omnibus nostris prouincijs, etsi propter imperitiam fortè aliter celebratur, obtinere censemus: cùm necesse sit omnes Prouincias, caput omnium nostrarum Ciuitatum, ideſt, hanc regiam Vrbem, eiusq; obseruantiam sequi.* 4

a QVam formam &c. Forma satisdationum superiùs tradita, nonsolùm in Regia Vrbe, sed etiam in omnibus Prouincijs Romano Imperio subiectis obseruanda est.

b *In hac Regia Vrbe*. Iustinianus intelligit nouam Romam, ideſt

ideſt, Conſtantinopolim. Vide notata ſuprà ad §. *Summa itaque, in Præm. Inſt.*

De perpetuis, (a) & temporalibus actionibus, & quæ ad heredes, & in heredes tranſeunt.

TITVLVS XII.

Hoc loco (b) *admonendi ſumus, eas quidem actiones, quæ ex lege, Senatuſue Conſulto, ſiue ex Sacris Conſtitutionibus proficiſcuntur, perpetuò ſolere antiquitùs competere, donec Sacræ* (c) *Conſtitutiones, tam in rem, quàm in perſonam actionibus certos fines dederunt: eas verò, quæ ex propria prætoris iuriſdictione pendent: plerumque intra annum* (d) *viuere. Nam & ipſius prætoris intra annum erat imperium. Aliquando* (e) *tamen & in perpetuum extenduntur, ideſt, vſque ad finem ex Conſtitutionibus introductum: quales ſunt eæ, quas bonorum poſſeſſori, cæteriſque, qui heredis loco ſunt, accommodat. Furti quoque* (f) *manifeſti actio, quamuis ex ipſius prætoris iuriſdictione proficiſcatur, tamen perpetuò datur. abſurdum enim eſſe exiſtimauit, anno eam terminari.* 1 2

a *De perpetuis &c.* Suprà dictum eſt de actionibus, & de perſonis, per quas actiones mouentur, nunc videndum eſt quæ actiones ſint perpetuæ, vel temporalis, & quæ ad heredes, & in heredes ſint tranſitoriæ, vel non tranſitoriæ, & conſequenter, quando agi poſſit, vel non. 3

b *Hoc loco &c.* Ciuiles actiones perpetuò, ideſt, in infinitum, antiquitùs competebant. Sed poſteà Sacræ Conſtitutiones actionibus olim perpetuis, tam in rem, quàm in perſonam, certos fines dederunt: fines ſcilicèt triginta, aùt quadrãginta annorum ad ſummum. Prætoriæ verò actiones plerumque annales ſunt. Nam & ipſius prætoris intra annum erat imperium.

c *Sacræ Conſtitutiones.* Omnium autem celeberrima eſt Conſtitutio Theodoſij de præſcriptionibus triginta annorum in *l. Sicut 3. C. de præſcrip. trig. vel quadrag. ann.* 4

d *Intra annum viuere.* Intra annum vtilem, *l.* 1. §. *Quod autem ait prætor, verſ. annus ff. de vi, & vi arm.*

e *Aliquando tamen &c.* Aliquando tamen & in perpetuum actiones prætoriæ extenduntur, ideſt, vſque ad finem ex Conſtitutio-

tutionibus introductum : quales sunt eæ, quas bonorum possessori, cæterisque, qui heredis loco sunt, prætor accommodat. Et ratio est, quoniam actiones, quæ ciuilibus successoribus dantur, hoc est heredibus, perpetuæ sunt (Porro & bonorum possessor, & quiuis alius, qui heredis vicem obtinet, per fictionem sibi heredis nomen vindicant) ideo, vt per omnia fictio hæc vera sit, necessarium esse visum est, vt quemadmodum actiones, quæ heredibus competunt, ita & eæ, quæ bo- 1
norum possessoribus dantur, cæterisque, qui heredis loco sunt, perpetuæ essent, *Theoph. hic*.

f *Furti quoque manifesti &c.* Furti quoque manifesti actio, quamuis prætoria sit, tamen perpetuò datur: absurdum enim esse existimauit prætor anno eam terminari. Cur absurdum? Quia leuiorem eam fecit quam esset ciuilis, & absurdum esse existimauit eam etiam facere breuiorem. Erit ergo perpetua vt ciuilis, sed non durior vt ciuilis. *Cuiac. hic*.

2

Ad §. Non omnes autem actiones.

Non omnes (a) *autem actiones, quæ in aliquem aut ipso iure competunt, aut à prætore dantur, & in heredem æquè competunt, aut dari solent. Est enim certissima Iuris regula, ex maleficijs pœnales actiones in heredem rei non competere, veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damni iniuriæ. Sed heredibus huiusmodi actiones competunt, nec denegantur: excepta iniuriarum actione, & si qua alia similis inueniatur. Aliquando* (b) *tamen etiam ex contractu* 3
actio contra heredem non competit, cùm testator (c) *dolosè versatus est, & ad heredem eius nihil ex dolo peruenit. Pœnales* (d) *autem actiones, quas suprà diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ: & heredibus dantur, & contra heredes transeunt.*

a NON *omnes autem &c.* Non omnes autem actiones, quæ in aliquem aut Iure Ciuili competunt, aut à prætore dantur, & in heredem æquè competunt, aut dari solent. Est enim certissima Iuris regula, ex maleficijs pœnales actiones in here- 4
dem rei non competere: veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damni iniuriæ, *Tex. hic, l. sicuti pœna 39. & l. pupillum 112. ff. de reg. iur.* Quod dicitur ex maleficijs, debet latiùs accipi, vt complectatur etiam quasi maleficia, §. *vlt. de oblig. quæ quasi ex delicto nasc.* Et non otiosè coniunguntur hæc verba. Ex maleficijs pœnales: quia vtrumque simul hæc regula exi-

git, neque alterum sine altero sufficit: Vnde si agatur de pœna, non quidem ex maleficio, sed ex conuentione: etiam heres tenetur, *l.vlt.ff.de naut.fæn.* Rursus si esset actio ex maleficio, non tamen pœnalis, sed rei persecutoria: in heredem competeret. v.g. condictio furtiua, ex maleficio quidem nascitur, sed quia pœnalis non est, hac regula non continetur: in heredem enim conceditur. §.*vlt.de oblig.quæ ex delicto nasc.l.Si pro fure 7.§.vlt.ff.de condic.furt.* Appellatione verò pœnalium actionum ex maleficio, non solùm actiones merè pœnales, sed etiam mixtæ continentur, vt supradicta exempla hic in textu posita demonstrant. Actiones igitur ex maleficijs merè pœnales, & mixtæ hoc commune habent, vt morte rei intereant. Diuersitas tamen hic est aliqua, quia mera pœnalis, veluti, furti, in heredem non datur, etiamsi quid ad eum peruenerit. Mixta in heredem datur de eo, quod peruenit: veluti actio damni iniuriæ. Excipitur sola actio vi bonorum raptorum, quæ ne in id quidem, quod ad heredem peruenit, in heredem datur, *l.2.§.vlt.ff.de vi bon. rapt.* quia de eo est propria pleniorque actio condictio furtiua. *Cuiac.ad dictam l.sicuti pœna,in princ. ff.de reg. iur.* Heredibus autem huiusmodi actiones competunt, nec denegantur: excepta iniuriarum actione, & si qua alia similis inueniatur, vt est actio in factum, quæ tunc competit, cùm sine venia parens, vel patronus in ius vocatus est, *l.penul. ff.de In ius vocando.* 1 2

b *Aliquando tamen &c.* Aliquandò tamen etiam ex contractu actio contra heredem non competit, cum testator dolosè versatus sit, & ad heredem eius nihil ex dolo peruenit. Nec enim ex omni dolo defuncti tenetur heres, licet actio ex contractu descendat, sed ex eo tantùm, qui rebus actoris damnum attulit, *l.1.C.de hered.tut.Cuiac.hic, & obseruat.lib.21.cap.2.* 3

c *Cum testator.* In libris vulgatis legitur: veluti cum testator. Sed particula, *Veluti,* omninò delenda est.

d *Pœnales autem actiones &c.* Pœnales autem actiones, quas supra diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ: & heredibus dantur, & contra heredes transeunt. *Text. hic, l.pœnalia 125.& l.omnes actiones 182. ff. de reg. iur.* Litis namque contestatione contrahitur, & quasi nouatio fit, ac obligatio, quæ erat ex delicto, vel quasi, incipit esse ex contractu, *l.3.§.Idem scribit ff.de peculio.* 4

Ad

Ad §. Supereſt.

Supereſt (a) *vt admoneamus, quòd ſi ante rem iudicatam is, cum quo actum eſt, ſatisfaciat actori, officio iudicis conuenit eum abſoluere, licet iudicij accipiendi tempore in ea cauſa fuiſſet, vt damnari deberet. Et hoc eſt, quòd anteà vulgò dicebatur, omnia iudicia abſolutoria eſſe.* 1

a *Supereſt &c.* Supereſt, vt admoneamus, quòd ſi ante condemnationem reus ſatisfaciat actori: permiſſum eſt iudici eum liberare ab inſtituta lite, & moleſtijs iudicialibus.

De Exceptionibus.

TITVLVS XIII. 2

Sequitur, (a) *vt de exceptionibus diſpiciamus. Comparatæ autem ſunt exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. Sæpè enim accidit, vt licet ipſa perſecutio, qua actor experitur, iuſta ſit,* (b) *tamen iniqua* (c) *ſit aduerſus eum, cum quo agitur.*

a *Sequitur &c.* Hactenus ſufficienter dictum eſt de actionibus, quæ ſunt arma actorum, nunc ſequitur vt de exceptionibus, quæ ſunt reorum arma, diſpiciamus. Exceptio dicta eſt, 3
quaſi quædam excluſio, quæ opponi actioni cuiuſque rei ſolet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemue deductum eſt. *Vlpianus in l. 2. ff. de exceptionibus*, & Iuſtinianus in principio huius noſtri tituli ait, quod comparatæ ſunt exceptiones defendendorum reorum gratia. Sæpè enim accidit, vt licet ipſa actio iuſta ſit, tamen iniqua ſit aduerſus eum, eum quo agitur.

b *Iuſta ſit.* Hoc eſt, ſtricto iure competat.

c *Iniqua ſit.* Hoc eſt, æquitati repugnet. 4

Ad §. Verbi gratia.

Verbi gratia, ſi metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus, ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras promittere: palàm eſt, iure ciuili te obligatum eſſe, & actio, qua intenditur dare te,

oportere efficax (a) *est, sed iniquum* (b) *est te condemnari. Ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa, aut doli mali, aut in factum composita ad impugnandam actionem.*

a *Efficax est.* Per se scilicet, ac vi sua: sed exceptio opposita eam inefficacem constituit.

b *Iniquum est.* Æquitati repugnat.

Ad §. Idem iuris. 1

Idem iuris (a) *est, si quis quasi credendi causa pecuniam à te stipulatus fuerit, neque numerauerit. Nam eam pecuniam à te petere posse, eum, certum est: dare enim te oportet, cùm ex stipulatione tenearis. Sed quia iniquum est, eo nomine te condemnari: placet per exceptionem pecuniæ non numeratæ te defendi debere, cuius tempora nos* [*secundum quod iam superioribus libris scriptum est*] *Constitutione* (b) *nostra coarctauimus.* 2

a *IDEM iuris &c.* Idem iuris est, si quis quasi tibi crediturus pecuniam, illam sibi reddi à te stipulatus fuerit, neque numerauerit. Nàm eam pecuniam Iure Ciuili à te, qui, spe, futuræ numerationis inductus, promisisti, petere posse eum, certum est. Sed quia repugnat æquitati, eo nomine te condemnari, cum pecunia tibi non fuerit numerata: placet per exceptionem pecuniæ non numeratæ te defendi debere, intra biennium tamen, vt iam supra *in tit. de liter. oblig. scriptum est.* 3

b *Constitutione nostra. l. In contractibus 14. C. de non numer. pecun.*

Ad §. Præterea debitor.

Præterea (a) *debitor, si pactus fuerit cum creditore, ne à se peteretur, nihilominus* (b) *obligatus manet, quia pacto conuento obligationes non omnimodo dissoluuntur: qua de causa efficax* (c) *est aduersus eum actio, qua actor intendit: Si paret, eum dare oportere. Sed quia iniquum est, contra pactionem eum damnari: defenditur per exceptionem pacti conuenti.* 4

a *Præterea &c.* Præterea debitor, si pactus fuerit cum creditore, ne à se peteretur, nihilominus obligatus manet ipso iure. Sed quia repugnat æquitati contra pactionem eum damnari: defenditur per exceptionem pacti conuenti.

b *Nihi-*

b *Nihilominus obligatus manet.* Quod tamen ita intelligendum est, cùm ciuilis fuit obligatio: veluti per stipulationem contracta. Si naturalis esset obligatio, aut solo consensu sine stipulatione contracta, pacto conuento tolleretur, *l. Stichum 96. §. naturalis ff. de solut. §. vlt. Inst. Quib. mod. ob. tol.*

c *Efficax est.* Per se scilicet, ac vi sua: sed præsidio exceptionis inefficax constituitur.

1

Ad §. Aequè si debitor.

Aequè (a) *si debitor creditore* (b) *deferente iurauerit, nihil se dare oportere, adhuc obligatus* (c) *permanet. Sed quia iniquum est de periurio quæri, defenditur per exceptionem* (d) *iurisiurandi. In ijs quoque* (e) *actionibus, quibus in rem agitur, æquè necessariæ sunt exceptiones, veluti si petitore deferente possessor iurauerit, eam rem suam esse: & nihilominus petitor eandem rem* (f) *vindicet. Licet enim verum sit, quod intendit, ideſt, rem eius esse, iniquum tamen est, possessorem condemnari.* 2

a *Aequè si debitor &c.* Aequè si debitor, creditore deferente, iurauerit, nihil se dare oportere, adhuc obligatus permanet. Sed quia repugnat æquitati de periurio quæri, quia religioni stari debet, defenditur per exceptionem iurisiurandi. *Tex. hic, iuncta l. quod si 22. ff. de dolo.*

b *Creditore deferente.* Nàm si reus iurauerit, nemine ei iusiurandum deferente: prætor id iusiurandum non tuebitur: sibi enim iurauit, *l. 3. in princ. ff. de iureiurando.* 3

c *Adhuc obligatus permanet.* Et adhuc salua creditori est condictio. Nàm iusiurandum actionem ipso iure non extinguit, quia non est modus tollendæ obligationis iure ciuili.

d *Defenditur per exceptionem iurisiurandi.* Defendi etiam potest per exceptionem pacti. Nam hoc iusiurandum, ex pactione venit, *l. 1. l. sed & si 25. & l. 26. §. vlt. ff. de iureiurando.*

c *In ijs quoque actionibus &c.* In actionibus quoque in rem æquè necessaria est exceptio iurisiurandi: veluti si petitore deferente possessor iurauerit, eam rem suam esse: & nihilominus petitor eandem rem vindicet. Licet enim verum sit, quod intendit, ideſt, rem eius esse: repugnat tamen æquitati possessorem, qui iurauit, condemnari, quia, vt supra diximus, religioni stari debet, ideoque per exceptionem iurisiurandi petitor repellitur. 4

f *Eandem rem vindicet.* Nàm adhuc actio ei competit, quoniam iusiurandum dominium eius non extinxit. *Theoph.*

Ad

Ad §. Item si in iudicio.

Item si in iudicio (a) *tecum actum fuerit, siue in rem, siue in personam: nihilominùs obligatio durat. Et ideò ipso iure de eadem re postea aduersus te agi* (b) *potest: sed debes per exceptionem* (c) *rei iudicatæ adiuuari.*

1

a *Tecum actum fuerit.* Et tu absolutus fueris.

b *Agi potest.* Nam res iudicata non est modus à Iure ciuili ad extinguendas actiones institutus.

c *Per exceptionem rei iudicatæ.* Tum demum tamen hæc exceptio nocet, cùm petitur idem corpus, de quo iudicatum fuit, vel quantitas eadem, & idem ius est, & eadem causa petendi, & eadem conditio personarum, *l. Cum quæritur 12. cum duab. leg. seq. ff. de except. rei iud.*

2

Ad §. Hæc exempli.

Hæc exempli causa retulisse sufficit. Alioquin quàm ex multis variisque causis exceptiones necessariæ sint, ex latioribus (a) *Digestorum, seu Pandectarum libris intelligi potest.*

a *Ex latioribus Digestorum libris.* Præsertim ex libro 44. qui totus ferè est de exceptionibus.

3

Ad §. Quarum quædam.

Quarum (a) *quædam ex legibus, vel ex ijs, quæ legis vicem obtinent, vel ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt.*

a *Quarum quædam &c.* Exceptionum aliæ ex legibus, vel ex ijs, quæ legis vicem obtinent: aliæ ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt. Ex ciuili causa ve- 4
niunt. v.g. exceptio pacti legitimi, veluti ne agatur furti, vel iniuriarum, *l. legitima 6. l. Iuris gentium 7. §. Si pacisear, & l. Si tibi 17. §. quædam actiones ff. de pactis.* Exceptio Senatus Consulti Macedoniani, de qua diximus supra in titulo Quod cum eo, qui in aliena potestate est, ad §. *Illud propiè.* Exceptio Senatus Consulti Velleiani, quod mulierem tuetur, quæ pro

alio

alio interceſſit, *l.1.& paſſim ff.ad Senat.Conſult.Velleian.* Exceptio Epiſtolæ Diui Hadriani, de qua diximus ſupra in *tit. de fideiuſſoribus, ad §.Si plures.* Ex Prætoris Iuriſdictione ſubſtantiam capiunt. v. g. exceptio Quod metus cauſa, exceptio doli mali de quibus diximus *ad §.Verbi gratia. h.t.* & exceptio pacti non legitimi, *l.Iuris gentium 7.§.prætor ait ff.de pactis.*

Ad §. Appellantur autem.

1

Appellantur (a) *autem exceptiones aliæ perpetuæ & peremptoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ.*

a APpellantur autem &c. *l.3.ff.de exceptionibus.*

Ad §. Perpetuæ.

2

Perpetuæ (a) *& peremptoriæ ſunt, quæ ſemper agentibus obſtant, & ſemper rem, de qua agitur, perimunt: qualis eſt exceptio doli mali, & quod metus cauſa factum eſt, & pacti conuenti, cùm ità conuenerit, ne omninò pecunia peteretur.*

a PErpetuæ &c. Perpetuæ, & peremptoriæ ſunt, quæ ſemper agentibus obſtant, & ſemper rem, de qua agitur, perimunt. Hoc eſt, quæ habent hanc vim, & hunc effectum, vt actionem, cui opponuntur, in perpetuum perimant: qualis 3
eſt exceptio doli mali, Quod metus cauſa, & pacti de nunquam petendo.

Ad §. Temporales.

Temporales (a) *atque dilatoriæ ſunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt: qualis eſt pacti conuenti, cùm ita conuenerit, ne intra certum tempus agerctur, veluti intra quinquennium. Nam finito eo tempore non impeditur actor rem exequi. Ergo ij,* 4
quibus intra certum tempus agere volentibus obicitur exceptio, aut pacti conuenti, aut alia ſimilis, differre debent actionem, & poſt tempus agere. Ideò enim & dilatoriæ iſtæ exceptiones appellantur. Alioquin ſi intra (b) *tempus egerint, obiectaque ſit exceptio: neque eo iudicio quidquam conſequebantur propter exceptionem, neque poſt tempus olim agere poterant, cum temerè rem in iudicium deducebant,*

cebant, & consumebant, qua ratione rem amittebant. Hodie autem non ita strictè hæc procedere volumus: sed eum, qui ante tempus pactionis, (c) vel obligationis litem inferre ausus est, Zenonianæ (d) Constitutioni subiacere censemus, quam sacratissimus Legislator, de ijs, qui tempore plus petierint, protulit: vt & inducias, quas ipse actor sponte (e) indulserit, vel quas natura (f) actionis continet, si contempserit, in duplum (g) habeant ij, qui talem iniuriam passi sunt: & post eas finitas non aliter litem suscipiant, nisi omnes expensas litis antea acceperint: vt actores tali pœna perterriti, tempora litium doceantur obseruare. 1

a *Temporales &c.* Temporales, atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt: qualis est exceptio, pacti de non petendo intra certum tempus, veluti, intra quinquennium. Nàm finito eo tempore, non impeditur actor agere. Et hodie ex Constitutione Zenonis, qui ante tempus pactionis, vel obligationis litem inferre ausus est, 2 & inducias debitori duplicare cogitur, & post eas finitas non aliter debitor litem suscipere tenetur, nisi omnes expensas prioris litis anteà acceperit.

b *Alioquin si intra tempus egerint. &c.* Olim, qui ante tempus agebat, rem amittebat, quia obstabat ante tempus dilatoria, post tempus peremptoria exceptio.

c *Ante tempus pactionis, vel obligationis.* Ante tempus ex pactione indultum, vel contractui insertum.

d *Zenonianæ Constitutioni.* Hanc Zenonis Constitutionem in 3 Codice, quo nunc vtimur, non habemus.

e *Sponte indulserit.* Ex pactione.

f *Vel quas natura actionis continet.* Quia obligatio sit concepta in diem, vel sub conditione.

g *In duplum.* Duplicantur inducie eius temporis, quod reliquum est, quodque contempsit creditor.

Ad §. Prætereà.

4

Prætereà (a) etiam ex persona dilatoriæ sunt exceptiones, quales sunt procuratoriæ, veluti si per militem, aut mulierem agere quis velit. Nam militibus nec pro patre, vel matre, vel vxore, nec ex sacro rescripto procuratorio nomine experiri conceditur. Suis verò negotijs superesse sine offensa militaris disciplinæ possunt. Eas verò exceptiones, (b) quæ olim Procuratoribus propter infamiam, vel dan-

tis,

tis, vel ipsius procuratoris opponebantur: cum in iudicijs frequentari nullo modo perspeximus, conquiescere sanximus, ne dum de his altercatur, ipsius negotij disceptatio proteletur.

a Præterea &c. Præterea etiam ex persona dilatoriæ sunt exceptiones, quales sunt procuratoriæ: veluti si per militem, aut mulierem agere quis velit. Nam militibus procuratorio nomine experiri non conceditur, ne hac ratione auocentur à militia. Suis verò negotijs superesse sine offensa militaris disciplinæ possunt. *Text. hic l. militem 7. l. Qui stipendia 9. C. de procurat.* In qua *l. 9.* Imperator Alexander declarat, quod nec potest dici eum, qui honesta, & verecunda præcedente causa mandatas sibi actiones exercuerit, alieno negotio fungi. Mulieres autem à procuratoris officio summouentur, ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, & ne virilibus officijs fungantur, *l. 1. ff. de postulando*. Alienam enim suscipere defensionem, virile est officium, *l. Alienam 18. C. de procurat.* Si tamen in rem suam, & proprium lucrum mandatæ sint eis actiones, non prohibentur illas exercere, *l. Qui absente 4. C. de procurat.* 1 2

b *Eas verò exceptiones &c.* Poterat olim procuratoribus etiam opponi, quòd essent infames, vel quod ab infami dati essent. Sed hodie tales exceptiones sublatæ sunt. Iure tamen Canonico infames non possunt esse Procuratores, *cap. 1. & 2. in princip. 3. quæst. 7.* 3

De (a) Replicationibus.

TITVLVS XIV.

Interdum (b) *euenit vt exceptio, quæ prima facie iusta videtur, iniquè noceat: quod cum accidit, alia allegatione opus est, adiuuandi actoris gratia, quæ replicatio vocatur: quia per eam* (c) *replicatur, atque resoluitur ius exceptionis. veluti cum pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat, deinde postea in contrarium pacti sunt, ideſt, vt creditori petere liceat: si creditor agat, & exciptat debitor, vt ita demùm condemnetur, si non conuenerit ne eam pecuniam creditor petat: nocet ei exceptio, conuenit enim ita, namque nihilominùs* (d) *hoc verum manet, licèt* 4

 postea

posteà in contrarium pacti sunt. Sed quia (c) *iniquum est creditorem excludi, replicatio ei dabitur ex posteriore pacto conuento.*

a **D***E Replicationibus.* Exceptio per replicationem eliditur. Post titulum igitur de exceptionibus, præsens titulus de replicationibus iusto ordine subijcitur.

b *Interdum euenit &c.* Interdum euenit, vt exceptio, quæ prima facie iusta videtur, inique noceat: quod cum accidit, alia allegatio adiuuandi actoris gratia, conceditur, quæ replicatio vocatur, veluti cum pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat, deinde posteà in contrarium pacti sunt, idest: vt creditori petere liceat: Si creditor agat, debitor exceptionempacti prioris opponere potest creditori, sed, hæc exceptio à creditore eliditur posterioris pacti replicatione.

c *Quia per eam replicatur &c.* Replicatio inde dicta est, quod implicatam & quasi tectam exceptionis iniquitatem replicet, atque patefaciat, *H.* 2

d *Mihilominus hoc verum manet.* Nàm prius pactum per posterius non eliditur ipso iure: sed per replicationem, *l. si vnus* 27. §. *Pactus ne peteret ff. de pactis,*

e *Sed quia iniquum est &c.* Ideò iniquum est, creditorem per exceptionem pacti excludi, quia post prius pactum de non petendo aliud pactum fuit interpositum: vt creditori petere liceret.

3

Ad §. Rursus cum duob. §§. seq.

Rursus (a) *interdum euenit, vt replicatio, quæ prima facie iusta est, inique noceat, quod cum accidit, alia allegatione opus est, adiuuandi rei gratia, quæ duplicatio vocatur.*

Et si rursus ea prima facie iusta videatur, sed propter aliquam causam actori iniquè noceat; rursus alia allegatione opus est, qua actor adiuuetur, quæ dicitur triplicatio.

Quarum omnium exceptionum vsum interdum vlteriùs, quam diximus, varietas negotiorum introduxit, quas omnes apertiùs ex Digestorum latiore volumine facilè est cognoscere. 4

a **R***Vrsus &c.* Rursus cum accidit, vt replicatio actoris, quæ prima facie iusta videtur, iniquè noceat, contra replicationem, adiuuandi Rei gratia conceditur duplicatio. Et si

rursus

rursus duplicatio Rei prima facie iusta videatur : sed propter aliquam causam actori iniquè noceat, contra duplicationem, adiuuandi actoris gratia, triplicatio conceditur. Et etiam contra triplicationem datur quadruplicatio, & deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor obijcit, *l.2. ff. de* exceptionibus.

Ad §. Exceptiones autem. 1

Exceptiones (a) *autem, quibus debitor defenditur, plerumque accomodari solent etiam fideiussoribus eius, & rectè, quia quod ab ijs petitur, id ab ipso debitore peti videtur : quia mandati iudicio redditurus est eis, quod ij pro eo soluerint. Qua ratione, & si de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit, placuit perinde succurrendum esse per exceptionem pacti conuenti illis quoque,* (b) *qui pro eo obligati essent, ac si cum ipsis pactus esset, ne ab eis ea pecunia peteretur. Sanè quædam exceptiones non solent his accomodari. Ecce enim debitor, si bonis suis cesserit,* (c) *& cum eo creditor experiatur, defenditur per exceptionem, nisi bonis cesserit. Sed hæc exceptio fideiussoribus non datur. ideò scilicet, quia qualios*(d) *pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, vt cum facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab ijs, quos pro eo obligauit, suum consequi.* 2

a *Exceptiones autem &c.* Exceptiones autem, quibus debitor defenditur, plerumque accomodari solent etiam fideiussoribus eius. Ideòque si creditor cum debitore pactus fuerit de non petenda pecunia : placuit per exceptionem pacti conuenti fideiussoribus quoq; ipsius debitoris succurrendum esse. Sanè quædam exceptiones non solent fideiussoribus accomodari. Qualis est exceptio Cessionis bonorum, hæc enim fideiussoribus non datur : Ideò scilicèt, quia qui fideiussores pro debitore accipit, hoc maximè prospicit, vt cum facultatibus lapsus fuerit debitor, possit à fideiussoribus suum consequi, *tex. hic.* Et animaduertite quod in hoc §. appellatione exceptionis continetur tam exceptio propiè dicta, quam etiam replicatio, duplicatio & vlterior defensio. 3 4

b *Illis quoque, qui pro eo obligati essent.* Et exceptio pacti semel fideiussoribus adquisita, vlterius eis inuitis ex torqueri non potest, *l. vlt. ff. de pactis.*

c *Si bonis suis cesserit.* De exceptione cessionis bonorum Vide notata supra *ad §. vlt. de Actionibus.*

d *Quia qui alios &c.* Non quia persona cohæreat, cum & heredi proficiat. *Cuiac. hic.*

De Interdictis.

TITVLVS XV.

Sequitur, (a) *vt dispiciamus de Interdictis, seu actionibus, quæ prohis exercentur. Erant autem interdicta*, (b) *formæ atque conceptiones verborum, quibus* (c) *Prætor aut iubebat* (d) *aliquid fieri, aut fieri prohibebat: quod tunc maximè* (e) *faciebat: cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.*

a *Sequitur, vt dispiciamus de Interdictis, seu actionibus, quæ pro his exercentur.* Præponit autem Iustinianus hic sub alternatione: seu de actionibus, quæ pro interdictis exercentur, quod suo sæculo iam ordo interdictorum impetrandorum, & reddendorum à Prætore, exoleuerat. Hodie igitur vetus interdictorum ordo non obseruatur, & interdictis non agitur amplius, sed vtilibus actionibus in factum ad exemplum interdictorum, vt videbimus ad §. *vlt. huius tituli.* 1 2

b *Erant autem interdicta formæ atque conceptiones verborum.* Ideſt, formulæ, Sed Tribonianus in hac definitione interdictorum non retinuit formularum nomen, quod iam formulæ exoleuissent lege Constantini. *Cuiac. ad l. 2. §. Postea cum Appius Clandius ff. de orig. Iur.* 3

c *Quibus prætor.* Omnia enim interdicta sunt prætoria.

d *Aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat.* Iubebat prætor aliquid fieri, interdictis restitutorijs, & exhibitorijs. Prohibebat, interdictis prohibitorijs. §. *Summa autem diuisio, h.t.*

e *Quod tunc maximè faciebat: cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.* Possessio, rerum corporalium est, *l. 3. in princ. ff. de acquir. vel amit. possess.* Quasi Possessio, rerum incorporalium, *l. ait prætor 23.* §. *Item ei ff. ex quib. cauſ. maior l. ſi quis diuturno 10. in princ. ff. Si ſeruitus vindicetur.* Est autē adiecta particula (Maximè) propterea quod interdicta dantur, non solum de possessione, vel quasi possessione, sed etiam interdum de proprietate, seu quasi proprietate & possessione seù quasi possessione simul. Exēpla videre *inl. 2. §. Quædam interdicta ff. de Interdictis.* Et animadnertite, quod dicitur. *in d. l. 2. §. Quædam interdicta*, videlicet, 4

quæ-

quædam interdicta propietatis causam, non possessionis habere, sic esse accipiendum, non solius possessionis temporariæ. *Cuiacius in Paratitlis Codicis in titulo de Interdictis.* Nulla enim interdicta sunt de proprietate, seu quasi proprietate sola.

Ad §. Summa autem diuisio.

Summa (a) *autem diuisio interdictorum hæc est, quod aut prohibitoria* 1
sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria (b) *sunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri: veluti vim fine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quò ei ius erat inferendi, vel in sacro loco ædificari, vel in flumine publico, ripaue eius aliquid fieri: quò peius nauigetur. Restitutoria* (c) *sunt: quibus restitui aliquid iubet, veluti bonorum possessori: possessionem eorum, quæ quis pro herede, aut pro possessore possidet ex ea hereditate: aut cùm iubet ei, qui vi de possessione fundi deiectus sit, restitui possessionem. Exhibitorta* (d) *sunt per, quæ iubet exhiberi: veluti eum, cuius de li-* 2
bertate agitur, aut libertum, cui patronus operas indicere velit, aut parenti liberos, qui in potestate eius sunt. Sunt tamen, qui putant, propriè interdicta ea vocari, quæ prohibitoria sunt, quia interdicere est denunciare & prohibere, restitutoria autem, & exhibitoria propriè decreta vocari. Sed tamen obtinuit omnia interdicta appellari, qua inter (e) *duos dicuntur.*

a *Summa autem diuisio &c.* Prima, præcipua, & principalis diuisio interdictorum hæc est, quod aut prohibitoria 3
sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria.

b *Prohibitoria sunt &c. Prohibitoria sunt, quibus prætor vetat aliquid* fieri. Horum Interdictorum Primum exemplum est Interdictum Vti possidetis. Secundum exemplum est Interdictum Vtrubi. His enim interdictis præter vetat vim fieri ei, qui sinè vitio possidet, ideſt, ei, qui nec vi, nec clam, nec precariò ab aduersario possidet, *tex. hic iuncta l. 1. ff. Vti possidetis, & l. 1. ff. Vtrubi.* De Interdicto vti possidetis, & de Interdicto Vtrobi plenius videbimus infrà ad §. *Retinendæ h.t.* Tertium exemplum est interdictum de mortuo inferendo quo in- 4
terdicto prætor vetat vim fieri mortuum inferenti, quo ei ius erat inferendi, *l. 1. ff. de mortuo inferendo.* Quartum exemplum est interdictum Ne quid in loco sacro fiat, quo interdicto vetat prætor ne quid in laco sacro fiat quod deformitatem, vel incommodum afferat, *l. 1. ff. ne quid in loco sacro fiat.* Quintum exemplum est interdictum de fluminibus, quo prætor

tor uetat, ne quid fiat in flumine publico, ripaue eius, quo peius nauigetur, *l.1. ff.de fluminibus*.

c *Restitutoria &c.* Restitutoria interdicta sunt quibus prætor iubet aliquid restitui. Horum interdictorum Primum exemplum est interdictum quorum bonorum, quo prætor iubet restitui bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro herede, aut pro possessore possidet ex ea hereditate. *tex.hic.l.1.ff. Quorum bonorum* Quis autem pro herede, aut pro possessore 1
possideat, videbimus ad §. *Adipiscendæ, hoc titulo*, Vbi etiam de hoc Interdicto latiùs dicetur. Secundum exemplum est Interdictum, Vnde vi, quo prætor iubet restitui possessionem ei, qui vi de possessione fundi deiectus sit, *tex.hic, l. 1.in princ.ff. de vi, & vi armata*, §.*recuperandæ, hoc titulo*, Vbi de hoc Interdicto plenè videbimus.

d *Exhibitoria &c.* Exhibitoria Interdicta sunt, per quæ prætor iubet exhiberi. Horum interdictorum Primum exemplum est Interdictum de libero homine exhibendo, quo prætor, tuendæ libertatis causa, iubet hominem liberum, qui dolo malo ab alio retinetur, exhiberi, *l.1.ff.de libero hom: exhib.* Secundum exemplum est Interdictum de liberto exhibendo, quo prætor iubet libertum, cui patronus operas indicere velit, si ab aliquo detineatur, exhiberi, *tex. hic.l. 2 §.Iuris sui ff.de Interdictis*. Tertium exemplum est Interdictum de liberis exhibendis, quo prætor iubet exhiberi parenti liberos, qui in potestate eius sunt & ab aliquo detinentur inuiti *l.1.in princ.&l.vlt. ff.de liberis exhibendis*. 3

c *Quia inter duos dicuntur*. Interdicta ex eo appellantur, quod inter duos dicantur. Nonnulli tamen malunt Interdicta ex eo appellari, quod dicantur interim à prætore donec de proprietate iudicetur, quasi interim dicta, & contra librorum omnium, & Theophili auctoritatem, hoc loco legendum putant (Quia interim dicuntur) Sed & vulgaris Lectio facilè sustineri potest, si dicamus, Iustinianum noluisse hic tradere etymologiam interdicti, sed potius conatum esse, allusione quadam, nos in cognitionem interdictorum summatim perducere. *Mynsi. hic sub num.27.* 4

Ad §. Sequens.

Sequens(a) *diuisio interdictorum hæc est: quod quedam adipiscendæ possessio-*

ſeſſionis cauſa comparata ſunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ.

a S *Equens &c. l. 2. §. hæc autem interdicta ff. de Interdictis.*

Ad §. Adipiſcendæ.

1

Adipiſcendæ (a) *poſſeſſionis cauſa interdictum accommodatur bonorum poſſeſſori, quod appellatur, Quorum bonorum, eiuſque vis, & poteſtas hæc eſt, vt quod ex his bonis quiſque, quorum poſſeſſio i alicui data eſt, pro herede aut pro poſſeſſore poſſideat, id ei, cui bonorum poſſeſſio data eſt reſtituere debeat. Pro herede autem poſſidere videtur, qui putat ſe heredem eſſe. Pro poſſeſſore is poſſidet, qui nullo iure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem, ſciens ad ſe non pertinere, poſſidet. Ideò autem adipiſcendæ poſſeſſionis vocatur interdictum, quia ei tantum vtile eſt, qui* 2
nunc primum conatur adipiſci rei poſſeſſionem. Itaque ſi quis adeptus poſſeſſionem, amiſerit eam, hoc interdictum ei inutile eſt. Interdictum (b) *quoque, quod appellatur* (c) *Saluianum, adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa comparatum eſt eoque vtitur dominus fundi de rebus* (d) *coloni, quas ſibi pro mercedibus fundi pignori futuras* (c) *pepigiſſet.*

a A *Dipiſcendæ &c.* Adipiſcendæ poſſeſſionis ſunt interdicta, quæ competunt ijs, qui antè non ſunt nacti poſſeſſionem *l. 2 §. Adipiſcendæ ff. de Interdictis*. Horum Interdictorum Primum exemplum eſt Interdictum, quorum bonorum. Hoc Interdictum bonorum poſſeſſori accomodatur, eiuſque vis, & poteſtas hæc eſt: vt quod ex ijs bonis quiſque, quorum poſſeſſio alicui data eſt, pro herede aut pro poſſeſſore poſſideat, id ei cui bonorum poſſeſſio data eſt, reſtituere debeat. Pro herede autem poſſidere videtur, qui putat ſe heredem eſſe, hoc eſt, qui iuſtam & legitimam exiſtimandi cauſam habet, *vt l. non ſolum 33. §. Quod vulgo ff. de Vſucap.* Pro poſſeſſore is poſſidet, qui nullo iure rem hereditariam, vel 4
etiam totam hereditatem, ſciens ad ſe non pertinere, poſſidet. Seù, vt loquitur *Vlpianus in l. Pro herede 11. in fine, cum duab. ll. ſeq. ff. de pet. hered.* Pro poſſeſſore poſſidet prædo, qui interrogatus cur poſſideat, reſponſurus ſit, quia poſſideo: nec contendit ſe heredem eſſe, vel per mendacium: nec vllam cauſam poſſeſſionis poteſt dicere,

b *Inter-*

b *Interdictum quoque &c.* Secundum exemplum Interdictorum, quæ adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa comparata ſunt, eſt Interdictum Saluianum. Datur hoc Interdictum domino fundi ad adipiſcendam poſſeſſionem rerum coloni, quas dominus pro mercedibus fundi pignori ſibi futuras pepigit. Aduerſus tamen extraneum Saluianum Interdictum non dari Imperator Gordianus reſcripſit *in l.1.C.de precario. Contra Iulianus in princ. l.1. & in eiuſdem l.§.1.ff.de Salu.interd.* Aduerſus extraneum Saluianum dari ſcripſit. Gordianus de directo interdicto loquitur, quod omnimodo eſt in perſonam, Iulianus de Vtili, cuius verba in rem ſcribantur: Vtile, inquit, interdictum reddi oportet verbis ſcilicèt in rem ſcriptis. *Cuiac.lib.5.obſeru.cap.24. in princ.* 1

c *Quod appellatur Saluianum.* Sic dictum eſt à Saluio Iuliano Iuris conſulto eius auctore, qui Iuſſu Hadriani Imperatoris Edictum perpetuum compoſuit & aliis interdictis prætorijs hoc poſtremum adiecit. *Pacius hic in Analy.*

d *De rebus coloni.* Quamuis interdictum Saluianum ob res coloni inſtitutum ſit, vt dicitur hic in textu, datur tamen vtiliter & de rebus cuiuſcunque debitoris pignori obligatis, *l.1. C.de precario Cuiac. in paratit.ff. in tit. de Saluiano Interdicto, & ad Iulium Paulum recept.ſent.lib.5.tit.de Interdictis, in fine,* 2

e *Pignori futuras pepigiſset.* Res enim coloni, puta equi, boues, ſerui, veſtes pignoris iure pro mercedibus fundi locatori non tenentur, niſi ex pacto expreſso; ideòque de his non datur hoc interdictum, niſi nominatim fuerint, pignori obligatæ. Quare autem res coloni pignoris iure pro mercedibus fundi locatori non teneantur, niſi ex pacto expreſso: quamuis res inquilini tacitè intelligantur pignoratę domino ædiū etiam ſi de pignore expreſsa conuentio facta non fuerit, *l.Eo iure 4. ff. in quib.cauſ.pig.vel hypot.tacitè contrahatur, diximus ſupra in tit.de Actionibus Ad §.Item Seruiana*, in verbo, *Seruiana autem.* 3

Ad §. Retinendæ.

Retinendæ (a) *poſſeſſionis cauſa comparata ſunt Interdicta, Vti poſſidetis,* (b) *& Vtrubi: cùm ab vtraque parte de proprietate alicuius rei controuerſia ſit: & antè quæratur, vter ex litigatoribus poſſidere, & vter petere debeat. Namque niſi antè exploratum fuerit, vtrius eorum poſſeſſio ſit, non poteſt petitoria actio inſtitui: quia & ciuilis & naturalis ratio facit, vt alius poſſideat, alius à poſſidente petat. Et quia longè commodius eſt, poſſidere potiùs, quam petere: ideò plerumque* 4

rumque & ferè semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quòd etiamsi eius res non sit, qui possidet, si modò actor non potuerit suam esse probare, remanet suo loco possessio. propter quam causam, cùm obscura sunt vtriusque iura, contra petitorem iudicari solet. Sed interdicto quidem Vti possidetis, de fundi, vel ædium possessione contenditur. Vtrubi verò interdicto, de rerum mobilium possessione. Quorum vis, (c) *ac potestas plurimam inter se differentiam apud veteres habebat. Nam* 1
Vti possidetis interdicto is vincebat, qui interdicti tempore possidebat: si modò nec vi, nec clàm, nec precariò nactus fuerat ab aduersario possessionem, etiamsi alium vi expulerat, aut clàm abripuerat alienam possessionem, aut precariò rogauerat aliquem, vt sibi possidere liceret. Vtrubi verò interdicto is vincebat, qui maiore (d) *parte eius anni, nec vi, nec clàm, nec precariò ab aduersario possidebat. Hodie tamen aliter obseruatur. Nam vtriusque interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est, vt ille vincat, & in re soli, & in re mobili, qui possessionem, nec vi, nec clàm, nec* 2
precariò ab aduersario litis contestatæ tempore detinet.

a R*etinendæ &c.* Retinendæ possessionis gratia comparata sunt Interdicta, per quæ eam possessionem, quam iam habemus, retinere volumus, quale est, Vti possidetis de rebus soli, &, Vtrubi de re mobili. *Paulus Recept. Sent. lib. V. tit. 6. in princ.* Igitur retinendæ possessionis causa comparata sunt Interdicta, Vti possidetis, & Vtrubi: cùm vterque litigatorum contendit se esse dominum rei, de qua est controuersia: & antè 3
quæritur, vter possidere, & vter petere debeat. Namquè nisi antè possessor sit certus, non potest agi de proprietate rei, seù, quod idem est, non potest res vindicari: quia & ciuilis, & naturalis ratio facit, vt alius possideat, alius à possidente petat. Et quia possessoris multo melior, quàm petitoris conditio est: ideò plerumquè litigatur de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quòd etiamsi res, de qua agitur, possidentis non sit, relinquitur tamen apud possessorem, nisi actor suam esse probauerit. Quapropter, cùm obscura sunt vtriusque 4
iura, contra petitorem iudicari solet, *tex. hic.* Ex iam dictis notate, quòd Iure Ciuili non potest cumulari Iudicium petitorum, quod est de proprietate, & Iudicium possessorium: sed opus est, vt primùm Iudicio possessorio constet, vter sit possessor: deinde in Iudicio petitorio ille possessor subeat partes rei, aduersarius autem fit actor: & sustineat onus probandi: Iure

tamen Canonico minuendarum litium gratia admittitur cumulatio petitorij, & possessorij Iudicij, *cap.3. & trib. seq. de causa possess. & propriet. Pac. hic in Analy.*

b *Vti possidetis, & Vtrubi.* Sic appellantur à primis eorum verbis. *Cuiac. in Paratit. C. In tit. Vti possidetis.*

c *Quorum vis, ac potestas &c.* Olim autem Interdicta, Vti possidetis, & Vtrubi, vi ac potestate plurimùm inter se differebant, vt hic in textu explicatur, & à *Paulo Recept. Sent. lib. V. tit.6. in princ.* Hodie tamen vtriusque Interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est, vt ille vincat & in re immobili, & in re mobili, qui possessionem, nec vi, nec clàm, nec precariò ab aduersario litis contestatæ tempore detinet. Ab aduersario dicitur, quia, si ab alio, quàm ab aduersario, quis possideat vi, clàm, aùt precariò, hoc ei non nocet, *tex. hic, l.1. §.vlt. ff. Vti possidetis*: Qualiscunque enim possessor, hoc ipso, quòd possessor est, plus iuris habet, quàm ille, qui non possidet, *l,2. ff. Vti possidetis*. Cæterùm altera differentia inter hæc Interdicta, quòd scilicèt, Vti possideris, pro rebus immobilibus, Vtrubi, pro mobilibus competat, adhuc durat. 1 2

d *Qui maiore parte.* Qui scilicèt possidebat maiore parte eius anni, quàm aduersarius eius, *l.maiore parte 156.ff.de Verb.sig.*

Ad §. Possidere autem.

Possidere (a) *autem videtur quisque, non solùm si ipse possideat, sed & si eius nomine aliquis in possessione sit, licèt is eius iuri subiectus non sit, qualis est colonus & inquilinus. Per eos quoque, apud quos deposuerit quis, aut quibus commodauerit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod dicitur, retinere possessionem posse aliquem per quemlibet, qui eius nomine sit in possessione. Quin etiam animo quoque solo retineri possessionem placet, ideſt, vt quamuis neque ipse sit in possessione, neque eius nomine alius, tamen si non derelinquendæ possessionis animo, sed posteà reuersurus inde discesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci verò possessionem, per quos aliquis potest, secundo libro exposuimus. Nec vlla dubitatio est, quin animo solo adipisci possessionem nemo potest.* 3 4

a *Possidere autem &c.* Possidere autem videtur quisque, & possessionem retinere, non solùm per semetipsum, sed etiam per alium, qui eius nomine in possessione sit, licèt is eius iuri subie-

subiectus non sit, veluti per colonum, inquilinum, depositarium, aut commodatarium. Quin etiam animo quoque solo possessio retinetur, ideſt, quamuis neque sit quis in possessione, neque eius nomine alius, tamen si non derelinquendæ possessionis animo, sed posteà reuersus indè discesserit, retinere possessionem videtur: Et etiam vel per se, vel per alium adquiritur possessio. Per quos verò adipisci possessionem aliquis possit, secundo libro exposuimus in *tit. per quas person. nob. adquir.* 1
Animo tamen solo possessio adquiri non potest, nec etiam potest adquiri corpore solo, sed animo, & corpore simul. *l. 3. in princ. ff. de acquir. vel amit. possess.* An autem solo animo possessio amittatur, à DD. controuertitur. Verior esse videtur affirmatiua sententia. Hanc sequitur *Cuiac. hic, & ad l. nihil tam naturale 35. ff. de reg. Iur.*

Ad §. Recuperandæ.

2

Recuperandæ (a) *possessionis causa solet interdici, si quis ex possessione fundi,* (b) *vel ædium vi deiectus fuerit. Nàm ei proponitur interdictum Vnde vi, per quod is, qui deiecit,* (c) *cogitur ei restituere possessionem, licèt is, ab eo qui deiectt, vi,* (d) *clàm, vel precariò possideat. Sed ex Constitutionibus* (e) *sacris, vt suprà diximus, si quis rem per vim occupauerit, si quidem in bonis eius est, dominio eius priuatur: si aliena, post eius restitutionem, etiam æstimationem rei dare vim passo compellitur. Qui autem aliquem de possessione per vim deiecerit: tenetur lege Iulia* (f) *de vi priuata, aut de* 3
vi publica, sed de vi priuata, si sine armis vim fecerit, (g) *sin autem cum armis eum de possessione expulerit, de vi publica. Armorum autem appellatione non solùm scuta, & gladios, & galeas significari intelligimus, sed & fustes, & lapides.*

a *Recuperandæ &c.* Recuperandæ possessionis causa solet interdici, si quis ex possessione fundi, vel ædium vi deiectus fuerit. Nàm ei proponitur Interdictum Vnde vi, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem, licèt is, ab 4
eo, qui deiecit, vi, clàm, vel præcariò possidebat. *tex. hic.*

b *Ex possessione fundi, vel ædium.* Hoc enim Interdictum ad eos tantùm pertinet, qui de solo deijciuntur: vt puta de fundo, siuè de ædificio: non autem ad alios. Itaque de rebus mobilibus non datur, nisi per consequentiam quandam, vt si quæ res fuerint in fundo, vel in ædibus, vnde quis deiectus est, *l.* 1.

§. Hoc Interdictum non ad omnem, & §. Illud, & §. Planè ff. de vi, & de vi armata.

c *Is, qui deiecit.* Deieciſſe autem etiam is videtur, qui mandauit, vel iuſſit, vt aliquis deijceretur. Parui enim refert viſum eſt, ſuis manibus quis deijciat, an verò per alium, *l.* 1. *§. Deieciſſe ff. de vi, & de vi arm.*

d *Vi, clàm &c.* Olim duo fuerunt Interdicta de vi, vt conſtat ex Oratione M. Tullij pro Cæcina, Interdictum, Vnde vi, quod 1
erat de vi priuata ſine armis facta, & Interdictum, De vi armata, quod erat de vi publica armis illata. Et Interdicto quidem, Vnde vi, obſtabat exceptio vitioſæ poſſeſſionis, Interdicto verò, De vi armata, dicta exceptio non obſtabat. Sed poſteà factum eſt vnum Interdictum, poſitum in *l.* 1. *in princ. ff. de vi*, & de vi armata, cui exceptionem vitioſæ poſſeſſionis non officere, Iuſtinianus hoc loco teſtatur. *Pacius hic in Analy. verſ. Nota tertio.*

e *Sed ex Conſtitutionibus &c.* Hoc ampliùs, ſi quis rem per vim 2
occupauerit, punitur ex Sacris Conſtitutionibus, vt ſuprà diximus in *tit. de Vi bonor. raptor. ad §. Quia tamen ità.* Nàm ſi quidem res in bonis eius eſt, dominio eius priuatur: ſi aliena, poſt eius reſtitutionem, etiam æſtimationem rei dare vim paſſo compellitur, *tex. hic, l. ſi quis in tantam 7. C. Vnde vi.*

f *Tenetur lege Iulia &c.* Qui autem aliquem de poſſeſſione per vim deiecerit, tenetur etiã lege Iulia de Vi priuata, ſi ſinè armis vim fecerit, aùt de Vi publica, ſi cum armis eum de poſſeſſione expulerit. Armorum autem appellatione ſignificari intelli- 3
gimus, etiam fuſtes, & lapides, *tex. hic, l.* 1. *in fine princ. & l.* 3. *ff. de vi, & de vi armata, l. Armorum* 41. *ff. de verb. ſig.* De Lege autem Iulia de vi, videbimus infrà in *tit. de pub. Iud. ad §. Item lex Iulia de vi.*

g *Sin autem cum armis &c.* Quare Vis cum armis facta, publica nominetur, Vide *ad dictum §. Item lex Iulia de vi, de pub. Iud.* In Verbo, *Ex lege Iulia de vi.*

Ad §. Tertia diuiſio. 4

Tertia diuiſio interdictorum hæc eſt, quòd aut ſimplicia ſunt, aut duplicia. Simplicia ſunt, veluti in quibus alter actor, alter reus eſt, qualia ſunt omnia reſtitutoria, aut exhibitoria. Namque actor eſt, qui deſiderat aut exhiberi, aut reſtitui, reus eſt is, à quo deſideratur, vt reſtituat, aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum,

alia

alia simplicia sunt, alia duplicia. Simplicia sunt, veluti cum prohibet prætor in loco sacro, vel in flumine publico, ripaue eius aliquid fieri. Nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat, reus est, qui aliquid facere conatur. Duplicia sunt, veluti Vti possidetis interdictum & Vtrubi. Idcò autem duplicia vocantur, quia par vtriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam præcipuè reus, vel actor intelligitur, sed vnusquisque tam rei, (a) *quàm actoris partes sustinet.* 1

a *VNusquisque tam rei, quàm actoris partes sustinet.* His enim Interdictis vterque litigatorum, possessionem rei, de qua agitur, sibi asserit, vterque se possidere affirmat, & aduersarium possidere negat. De Interdictis, Vti possidetis, & Vtrubi, plenè dixi ad §. *Retinendæ, hoc eod. titulo.*

Ad §. Vltimum.

De ordine (a) *& vetere exitu interdictorum superuacuum est hodie dicere. Nam quoties extra ordinem ius dicitur (qualia sunt hodie omnia iudicia) non est necesse reddi interdictum: sed. perinde iudicatur sine interdictis, ac si vtilis actio ex causa interdicti reddita fuisset.* 2

a *DE ordine &c.* Hodiè autèm vetus Interdictorum ordo non obseruatur, & Interdictis non agitur amplius, sed vtilibus actionibus in factum ad exemplum Interdictorum, *tex. hic. l. 3. §. vlt. ff. de Interdic.*

b *Et vetere exitu.* Legendum videtur, Ritu, vt agendi, & (vt vulgus nunc loquitur) procedendi formulam intelligamus. H. 3

c *Qualia sunt hodiè &c.* Hodiè omnia Iudicia sunt extraordinaria, *princ. tit. de succes. sublat.* Hoc est, hodiè in iudicijs vetus iudiciorum ordo non obseruatur.

d *Omnia iudicia.* Tam criminalia, quàm ciuilia, *dicto princ. tit. Inst. de succes. sublat. l. ordo 8. ff. de pub. iud.*

De pœna (a) temerè litigantium. 4

TITVLVS XVI.

Nunc admonendi (b) *sumus, magnam curam egisse ees, qui* (c) *iura sustinebant, ne facilè homines ad litigandum procederent, quod & nobis studio* (d) *est. Idque eo maximè fieri potest, quod temeritas tam*

tam agentium, quàm eorum, cum quibus agitur, modò pecuniaria pœna, modò iurisiurandi religione, modò infamiæ metu coercetur.

a *De pœna &c.* Hactenus dictum est de actionibus, exceptionibus, & interdictis, quæ actionum loco sunt. Sed quia contingit aliquando, vt quis temerè, vel agat, vel defendat: nunc de pœna eorum, qui temerè, vel agunt, vel defendunt, videndum est. 1

b *Nunc admonendi &c.* Temeritas tam agentium, quàm eorum, cum quibus agitur, modò pecuniaria pœna, modò iurisiurandi religione, modò infamiæ metu coercetur.

c *Qui iura sustinebant.* Hoc de Iurisconsultis sine dubio intelligendum est, quos satis constat, litigandi formam constituisse, Iurique Ciuili (vt Cicero scribit) præfuisse. H.

d *Quod & nobis studio est.* Id enim Reipublicæ summoperè interest, vt pulcrè docet Aristoteles *lib. 2. polit.* 2

Ad §. Ecce enim.

Ecce (a) *enim iusiurandum omnibus, qui conueniuntur, ex Constitutione* (b) *nostra defertur. Nam reus non aliter suis allegationibus vtitur, nisi priùs* (c) *iurauerit, quòd putans* (d) *sese bona instantia vti, ad contradicendum peruenit. At aduersus* (e) *inficiantes, ex quibusdam causis dupli, vel tripli* (f) *actio constituitur; veluti si damni iniuriæ, aut legatorum locis venerabilibus relictorum nomine ageretur. Statim autem* (g) *ab initio pluris, quàm simpli est actio, veluti,* 3 *furti manifesti quadrupli, nec manifesti dupli. Nàm ex causis his, & aliis* (h) *quibusdam, siue quis neget, siue fateatur, pluris quàm simpli est actio. Item actoris* (i) *quoque calumnia coercetur. Nàm etiam actor pro calumnia iurare* (k) *cogitur ex nostra Constitutione. Vtriusque* (l) *etiam partis aduocati iusiurandum subeunt, quod alia nostra Constitutione comprehensum est. Hæc autem omnia pro veteri* (m) *calumniæ actione introducta sunt, quæ in desuetudinem abijt: quia in partem decimam litis actores mulctabat, quod nunquam factum esse inuenimus. Sed pro his introductum est & præfatum iusiurandum, & vt improbus* (n) *litigator, & damnum & impensas litis inferre aduersario suo cogatur.* 4

a *Ecce enim &c.* Iurisiurandi religione temeritas litigantium coercetur. Nàm reus non aliter suis allegationibus vtitur, nisi priùs iurauerit de calumnia, ideſt, quòd putans sese bona

bona instantia vti, ad contradicendum peruenit.

b *Ex Constitutione nostra*. Est Constitutio latina, *l.2. C. de Iureiur. propt. calum.*

c *Nisi prius iurauerit &c*, Quod si reus hoc Iusiurandum subire recusauerit, pro confesso habetur, *dicta l.2. §.Sin autem reus*.

d *Quòd putans &c.* Iuramentum calumniæ à DD. vocatur Iuramentum credulitatis, & opinionis: Nàm qui iurat, non iurat ità esse vt iurat, sed se ità credere, & existimare. 1

e *At aduersus inficiantes &c.* Temeritas litigantium pecuniaria pœna coercetur cùm aduersus inficiantes, ex quibusdam causis dupli actio constituitur; veluti si damni iniuriæ, aùt legatorum locis venerabilibus relictorum nomine agatur. Vide suprà in *tit. de Actionibus, ad §.Sed furti quidem*.

f *Vel tripli*. Hæc verba (Vel tripli) quidam Codices non habent, & rectè. Nàm actio nulla est, quæ inficiando triplicetur.

g *Statim autem ab initio &c.* Ex furti autem manifesti, vel nec 2
manifesti causa, & ex alijs quibusdam causis, etiam sine inficiatione, pluris quàm simpli est actio. Et consequenter talis pœna, non est pœna inficiantis, seù temerè litigantis, sed delinquentis.

h *Et alijs quibusdam*. Veluti, serui corrupti, vt diximus suprà ad §.*Sed furti quidem, de Actionibus*.

i *Item actoris &c.* Item actoris quoque calumnia Iurisiurandi religione coercetur. Nàm etiam actor pro calumnia iurare cogitur, quòd non calumniandi animo litem mouisset, sed 3
existimando se bonam causam habere, *tex. hic, iuncta l.2. C.de Iureiurando propter calumniam, in princ.*

k *Iurare cogitur*. Quod si actor noluerit sacramentum calumniæ subire, cadit ab instituta actione. *d.l.2. §. Quòd si actor*.

l *Vtriusque etiam &c.* Vtriusque etiam partis aduocati, idest, tàm actoris, quàm rei, tenentur iurare de calumnia, quòd alia Iustiniani Constitutione, quæ est *l. Rem non nouam 12. C.de Iudicijs, comprehensum est*.

m *Pro veteri calumniæ actione*. De hac veteri calumniæ actione 4
vide *Cuiac. obseruat. lib.7. cap.5*.

n *Et vt improbus litigator &c.* Cogitur etiam improbus litigator, & damnum, & impensas litis inferre aduersario suo.

Ad §. Ex quibuſdam Iudicijs.

Ex quibuſdam (a) *iudicijs damnati* (b) *ignominioſi fiunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo, item tutelæ, mandati, depoſiti, directis,* (c) *non contrarijs actionibus. Item pro ſocio, quæ ab vtraque parte directa eſt: & ob id quilibet ex ſocijs eo iudicio damnatus, ignominia notatur. Sed furti* (d) *quidem aùt vi bonorum raptorum, aùt iniuriarum, aùt de dolo, non ſolùm damnati notantur ignominia, ſed etiam pacti, & rectè. Plurimùm enim intereſt, vtrùm ex delicto aliquis, an ex contractu debitor ſit.* 1

a *Ex quibuſdam &c.* Denique infamiæ metu coercetur temeritas litigantium: ex quibuſdam enim iudicijs damnati, ignominioſi fiunt: veluti furti &c. *tex.hic, l.1. §. Qui furti ff. de his, qui not. infam.*

b *Damnati.* Si modò ſuo nomine damnati fuerint, *l.1. ff. de his qui not.infam.* Si quis enim alieno nomine condemnatus fuerit: non laborat infamia, & ideò nec procurator, vel defenſor, vel curator, vel tutor, vel heres, furti, vel ex alia ſimili ſpecie condemnatus, infamia notabuntur. *l.furti 6. §. Si quis alieno ff. de his qui not.infam.* 2

c *Directis, non contrarijs actionibus.* Damnati contrarijs actionibus tutelæ, mandati, depoſiti, non fiunt ignominioſi. Nam in contrarijs non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui ferè in iudicio ſolet dirimi, *l.furti 6. in fine ff. de his qui not.infam.* 3

d *Sed furti quidem &c.* Sed furti quidem, aut vi bonorum raptorum, aut iniuriarum, aut de dolo, non ſolùm damnati notantur infamia, ſed etiam pacti, & rectè. Plurimùm enim intereſt, vtrum ex delicto aliquis, an ex contractu debitor ſit, *Tex.hic, dicta l.1. & l.4. in fine ff. de his, qui not.infam.* In actionibus igitur, quæ ex contractu proficiſcuntur, licet famoſæ ſint, attamen pactus non notatur infamia, *l.In actionibus 7. ff. de his, qui not.infam.* Delicta verò infamiam irrogant, non ſolùm damnatis, ſed etiam pactis, quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur, *l.quoniam 5. ff. de his, qui not. infam.* Hoc tamen intelligendum eſt, ſi cum pretio quantocunque quis pactus ſit. Nam ſi precibus impetraverit, ne ſecum ageretur, non erit notatus, *d.l.furti 6. §. Pactuſue ff. de his, qui not.infam. l.non damnatos 18. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* 4

Ad

Ad §. Omnium autem.

Omnium (a) *autem actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua prætor edicit de* (b) *in ius vocando. Vtique enim imprimis aduersarius in ius vocandus est ad eum qui ius dicturus sit. Qua parte prætor parentibus, & patronis, item parentibus, liberisque patronorum, & patronorum hunc præstat honorem, vt non aliter liceat liberis libertisque eos in ius vocare, quàm si id ab ipso prætore postulauerint, & impetrauerint. Et si quis aliter vocauerit, in eum pœnam* (c) *solidorum quinquaginta constituit.* 1

a *Omnium &c.* Omnium autem actionum instituendarum principium, ab ea parte edicti proficiscitur, qua prætor edicit de in ius vocando. Vtique enim in primis aduersarius in ius vocandus est ad eum, qui ius dicturus sit, *Text. hic.* Nota ex hoc textu non probari, vt quidam existimant, quod in ius vocatio sit principium iudicij. Nam textus non dicit in ius vocationem esse principium iudicij, sed esse principium actionum instituendarum. Principium Iudicij est principium actionis institutæ, nimirum litis contestatio, *l. amplius 15. ff. rem rat. hab. l. vnica C. de lit. contest.* Vnde ea, quæ litis contestationem præcedunt, vt vocatio in ius, non dicuntur partes, sed præparatoria iudiciorum. *Pacius hic in Analy.* 2

b *De in ius vocando.* In ius vocare, est ad prætorem, vel ad alios, qui iurisdictioni præsunt, iuris experiundi causa vocare, *l. 1. ff. de In ius voc. iuncta l. 2. ff. Si quis in ius vocatus &c.* 3

c *Pœnam solidorum quinquaginta constituit.* Quæ pœna actori infertur, *l. Si libertus 12. ff. de in ius voc.* Quòd si filius, vel libertus inopia dignoscitur laborare, quasi inofficiosus litigatur castigatur, *l. vlt. ff. de In ius voc. l. 1. §. vlt. ff. de pœnis.* Vide notata supra *in tit. de Actionibus, ad §. Pœnales quoque,* In verbo, *Et in eum, qui patronum &c.* & in notis seq. d

De officio Iudicis. 4

TITVLVS XVII.

Supereſt, (a) *vt de officio iudicis diſpiciamus. Et quidem imprimis*

illud obseruare debet iudex, ne aliter iudicet, quàm quod legibus, (b) *aut Constitutionibus, aut moribus proditum est.*

a SVpereſt &c. Cùm de Actionibus, quas intendunt actores, & exceptionibus, quibus rei ſe tuentur, jam diſputatum ſit: Supereſt, vt quodnam ſit Iudicis officium, qui inter actorem, & reum diſceptator eſt, diſpiciamus. Supereſt, inquit Iuſtinianus, quia nihil amplius dicendum eſt de iudicijs priuatis, 1

b *Quàm quod legibus, aut Constitutionibus.* Nàm ſi contra ſacras Conſtitutiones iudicauerit, adeo inutilis ſententia eſt, vt ne appellatio quidem neceſſaria ſit, *l.* 1. §. *Item cùm contra ff. Quæ ſent. ſine appell.*

Ad §. Ideoque.

Ideoque ſi noxali iudicio additus eſt, obſeruare debet, vt ſi condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare, Publium (a) *Mæuium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxam* (b) *dedere.* 2

a PVblium Mæuium. Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxam dedere. *Text. hic.* Obſeruate in hoc textu præcedere verbum, condemno, & ſequi, aut noxam dedere: ait enim *l. Miles 6. §. Decem ff. de re Iud.* quod noxæ deditio pecuniariam condemnationem ſequitur. Damnatio eſt à Iudice, adiectio noxæ, à lege: quamobrem actione iudicati ſolam litis æſtimationem, non etiam deditionem noxæ 3 perſequimur, *d. l. 6. §. Decem.* De actionibus noxalibus plenè diximus ſupra *in tit. de noxal. action.*

b *Aut noxam dedere.* Ideſt, aut corpus, quod nocuit dedere. *§. Noxa autem, Inſt. de noxal. action.*

Ad §. Et ſi in rem.

Et ſi in rem actum ſit, ſiue contra petitorem iudicauerit, (a) *abſoluere debet poſſeſſorem, ſiue contra poſſeſſorem, iubere eum debet, vt rem* 4 *ipſam reſtituat cum fructibus. Sed ſi poſſeſſor neget in præſenti ſe reſtituere poſſe, & ſine* (b) *fruſtratione videbitur tempus reſtituendi cauſa petere, indulgendum* (c) *eſt ei: vt tamen de litis æſtimatione caueat cum fideiuſſore, ſi intra tempus, quod ei datum eſt, non reſtituiſſet. Et ſi hereditas* (c) *petita ſit: eadem circa fructus interueniunt, quæ diximus intercurrere in ſingularum rerum petitione. Illorum*

lorum autem fructuum, quos culpa sua possessor non perceperit, in vtraque actione eadem ratio penè habetur, si prædo fuerit. Si verò bonæ fidei possessor fuerit, non habetur ratio consumptorum, neque non perceptorum. Post inchoatam autem petitionem, etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpa possessoris percepti non sunt, vel percepti consumpti sunt.

a *Iudicauerit.* Iudicandum esse existimauerit. 1
b *Et sine frustratione.* Non moræ faciendæ causa, sed propter aliquam iustam causam. Quod si moræ faciendæ causa tempus ad restituendum petatur, manu militari officio Iudicis à reo, qui rem habet, possessio transfertur, *l. qui restituere 68 ff. de rei vindic.*
c *Indulgendum est ei.* Arbitrio Iudicis. Iudex enim pro factorum, & circumstantiarum diuersitate, aliàs prolixius, aliàs breuius tempus concedet. Et in hoc differt actio in rem ab actionibus in personam, in quibus quatuor mensium spacium 2
præscriptum est, *l. 2. & 3. C. de vsur. rei iud.*
d *Et si hereditas &c.* Si hereditas petita sit: eadem circa fructus perceptos, & extantes interueniunt, quæ in singularum rerum petitione: in vtroque enim iudicio, cùm res ipsa restituenda est, etiam fructus percepti, & extantes restituendi sunt: nec inter bonæ, aut malæ fidei possessorem distinguitur. Illorum autem fructuum, quos culpa sua possessor non perceperit in vtraque actione eadem ratio penè habetur, si fuerit malæ fidei possessor. *Tex. hic.* Penè, inquit Iustinianus, quia fructus non 3
percepti veniunt in petitionem hereditatis ipsius actionis iure, & potestate. In actione autem in rem speciali, veniunt tantùm officio Iudicis. Si verò bonæ fidei possessor fuerit, non habetur ratio fructuum consumptorum, neque non perceptorum. Post inchoatam autem petitionem, etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpa possessoris percepti non sunt, vel percepti consumpti sunt, *Tex. hic.* Cæterum circa fructus generaliter notate, quod fructus intelliguntur deductis impensis, quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, conser- 4
uandorumque fructuum, vt supra diximus ad §. Si quis à non domino, de rerum diuisione, vbi etiam plura videte, quæ faciunt ad pleniorem intelligentiam huius nostri §.

Ad §. Si ad exhibendam .

Si ad exhibendum actum fuerit , non sufficit , si exhibeat rem is : cum quo actum est : sed opus est , vt etiam rei causam debeat exhibere , ideſt , vt eam causam (a) *habeat actor , quam habiturus esset , si cum primum ad exhibendum egisset , exhibita res fuisset . Ideoque si inter moras vsucapta* (b) *sit res à possessore , nihilominus condemnabitur . Praeterea fructuum medij temporis , ideſt , eius , quod post acceptum ad exhibendum iudicium , ante rem iudicatam intercessit : rationem habere debet Iudex . Quod si neget is , cum quo ad exhibendum actum est , in praesenti exhibere posse , & tempus exhibendi causa petat , idque sine frustratione postulare videatur dari :* (c) *ei debet , vt tamen caueat se restituturum , quòd si neque statim iussu* (d) *Iudicis rem exhibeat , neque posteà exhibiturum se caueat , condemnandus sit in id , quod actoris intererat , ab initio rem exhibitam esse .* 1 2

a *VT eam causam habeat actor &c.* Nam , quantum ad hanc actionem attinet , exhibere , est in eadem causa praestare , in qua fuit , cum iudicium acciperetur : vt quis copiam rei habens , possit exequi actionem , quam destinauit , in nullo , causa , quam intendit , laesa , *l. Iulianus* 9. §. *Quantum autem ff. ad exhibendum.*

b *Vsucapta sit res .* Nam vsucapio coepta à bonae fidei possessore olim non interrumpebatur litis contestatione , *l. Si post acceptum* 18. *ff. de rei vindic. l. Sed & si* 14. *ff. famil. ercisc.* Secus erat in longi 3 temporis possessione , *l. Morae* 26. *C. de rei vindic. l. nec bona fide* 10. *C. de praescrip. long-temp.*

c *Dari ei debet .* Arbitrio Iudicis , longius , aut breuius pro facti circumstantijs .

d *Iussu Iudicis :* Arbitrio Iudicis . Nam ad exhibendum quoque actio ex arbitrio Iudicis pendet . §. *Praeterea , Instit. de Actionibus .*

Ad §. Si familiae . 4

Si familiae (a) *ercisc undae iudicio actum sit , singulas res , singulis heredibus adiudicare debet . Et si in alterius persona praegrauare videatur adiudicatio , debet hunc inuicem coheredi certa pecunia (sicut iam dictum est) condemnare . Eo quoque* (b) *nomine coheredi quisque suo condemnandus est , quod solus* (c) *fructus hereditarij fundi perec-*

perceperit, aut rem hereditariam corruperit, aut consumpserit. Quæ quidem similiter inter plures quoque, quàm duos coheredes, subsequuntur.

a *Sicut iam dictum est.* Supra in titulo de Actionibus. ad §. *Quædam actiones.*

b *Eo quoque nomine &c.* Quia mixta est actio, tàm in rem, quàm in personam, vt diximus supra in titulo de Actionibus, Ad §. Quædam actiones. 1

c *Quod solus fructus &c.* Idem est dicendum si coheres sumptus bona fide fecerit in communi hereditate, *l. filiæ* 18. §. *vlt. C. familiæ erciscundæ.*

Ad §. Eadem interueniunt.

Eadem (a) *interueniunt, & si communi diuidundo de pluribus rebus actum fuerit, quod si de vna re, veluti fundo, siquidem iste fundus* 2
commodè regionibus diuisionem recipiat, partes eius singulis adiudicare debet, & si vnius pars prægrauare videbitur, is inuicem certa pecunia alteri condemnandus est. Quod si commodè diuidi non possit: vel (b) *si homo fortè, aut mulus erit, de quo actum sit: tunc totus vni adiudicandus est, & is inuicem alteri certa pecunia condemnandus.*

a *Eadem &c.* Quæ diximus de familiæ erciscundæ iudicio ad §. Proximè præcedentem, obtinent etiam cum de pluribus 3
rebus communi diuidundo agitur. Quod si de vna re, actum sit communi diuidundo. Dic vt sequitur hic in Text. Et de actione communi diuidundo plura, vide suprà *in tit. de Act. ad §. Quædam actiones, in tertia, & vlt. nota.*

b *Veluti si homo.* Legendum [Vel si homo.]

Ad §. Si finium regundorum.

Si finium (a) *regundorum actum fuerit: dispicere debet Iudex, an ne-* 4
cessaria sit adiudicatio: quæ sanè vno casu necessaria est, si euidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quàm olim fuissent distincti. Nam tunc necesse est ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adiudicari, quo casu conueniens est, vt is alteri certa pecunia debeat condemnari. Eo quoque nomine damnandus est quisque hoc iudicio, quod fortè circa fines aliquid malitiosè commisit,

misit, verbi gratia, quia lapides finales (b) *furatus est, vel arbores finales excidit. Contumaciæ* (c) *quoque nomine quisque eo iudicio condemnatur. Veluti, si quis iubente Iudice metiri agros, passus non fuerit.*

a SI *finium &c.* De actione finium regundorum, videte supra ad §. Quædam actiones, in tribus vltimis notis, *Instit. de Actionibus*, 1

b *Quia lapides finales furatus est, vel arbores finales excidit.* Ideſt, lapides, vel arbores, quibus agri definiebantur, seù distinguebantur. Et hoc casu, quanti in litem actor iurauerit, tanti reus damnabitur, *Gloss. hic.* Immò datur etiam aduersus talem delinquentem iudicium extraordinarium de termino moto, *l. 1. C. de accusationibus*. Et pro conditione personarum pœna imponitur, *l. 1. ff. de termino moto*: neque altera ex istis actionibus per alterum tollitur, *l. 1. C. Quando ciuilis actio criminali &c.* Est etiam in terminos singulos, quos quis dolo malo euecerit, 2 locoue mouerit, prodita actio popularis quinquaginta aureorum, qui Fisco applicantur, *l. 3. ff. de termino moto.*

c *Contumaciæ quoque &c.* Et hoc casu reus damnabitur ad interesse, de lato actori iureiurando in litem. *gloss. hic.*

Ad §. Vltimum.

Quod autem (a) *istis iudicijs alicui adiudicatum fuerit, id statim* (b) 3 *eius fit, cui adiudicatum est.*

a QVOD *autem istis iudicijs*. Familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum.

b *Id statim eius fit &c.* Itaque adiudicationem inter modos acquirendarum rerum enumerat *Vlpianus in fragmen. tit. 19. §. Adiudicatione.*

4

De publicis (a) iudicijs.

TITVLVS XVIII.

Publica (b) *iudicia neque per actiones ordinantur, neque omninò quidquã simi-*

simile habent cum cæteris iudicijs, de quibus locuti sumus: magnaque diuersitas est eorum, & in instituendis, & in exercendis.

a DE *publicis iudicijs*. Iudiciorum alia sunt priuata, alia publica. Cùm igitur hactenus sufficienter dictum sit de priuatis Iudicijs: reliquum est, vt de publicis disputemus, Iudicia publica quandoque capiuntur latiùs, vt complectantur etiam Iudicia popularia; quatenùs scilicet etiam popularia 1
patent omnibus: quandoque angustiùs, vt distinguatur à Iudicijs popularibus; & hæc posterior significatio sumi hoc loco debet. Est autem differentia inter iudicia popularia, & publica, quòd illa sunt prætoria, hæc ciuilia: propriè namquè ea tantùm Iudicia publica sunt, quæ ex legibus publicorum Iudiciorum veniunt: vt Iulia maiestatis, Iulia de adulterijs, Cornelia de sicarijs, & veneficijs, alijsque legibus numeratis *in l.1.ff.de pub.Iud.*

b *Publica iudicia &c.* Publica iudicia neque per actiones ordinandus, neque omninò quidquam simile habent cum indi- 2
cijs priuatis; magnaque diuersitas est eorum, & in instituendis, & in exercendis *text.hic*. Publica igitur Iudicia differunt à priuatis, & præsertim quia non vt priuata per actiones ordinantur, sed certis legibus accusationes in eis instituendis constituuntur cum necessitate inscriptionis accusatoris ad pœnam talionis, *l.3.ff.de priuat delict.iuncta l.vlt.C.de accusat. & inscript.* Hodiè tamen inscripto ac pœnâ talionis passim à foro
receßit. Vide *quæ dixi in Inst.Crim.in tit.de accusat & inquis* §. *Igi-* 3
tur per accusationem. Differùnt pariter publica iudicia à priuatis: quia in publicis iudicijs exercendis quæstiones plerumque adhibentur, non autem in exercendis priuatis iudicijs, *l.1.& tot.tit.ff.de quæst.* Atque in priuatis iudicijs exercendis astringitur solus actor ad probandum, & eo non probante, reus absoluitur, *l. actor 23.C.de prob.l.qui accusare 4. C. de edendo*: in publicis verò, non tantùm probat accusator, sed etiam reus *l. Vbi falsi 22.C.Ad leg.Cornel.de falsi.*

4

Ad §. Publica autem.

Publica (a) *autem dicta sunt, quod cuiuis ex populo executio eorum plerumque datur.*

a PVblica autem *&c.* Publica autem Iudicia, publica dicta sunt, quod cuilibet ex populo ijs experiri licet: nisi si cui lege

ali-

aliqua accusandi publico iudicio non est potestas, *tex. hic. iuncta l. Palam 43. §. Senatus ff. de rit. nup.* Hi autem, qui publico iudicio accusare prohibentur, numerantur *in l. qui accusare 8. cum duabus ll. seq. ff. de accusat.*

Ad §. Publicorum.

Publicorum (a) *iudiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia* (b) *dicimus, quæ vltimo supplicio afficiunt, vel aquæ* (c) *& ignis interdictione, vel deportatione* (d) *vel metallo.* (c) *Cætera, si quam* (f) *infamiam irrogant, cum damno pecuniario, hæc publica quidem sunt, non tamen capitalia.* 1

a *Publicorum &c.* Publica Iudicia diuiduntur in capitalia & non capitalia. Capitalia nominanturea, ex quibus pœna, aut est mors, aut deportatio, aut damnatio in metallum. Et hæc iudicia capitalia dicuntur, quia per has pœnas eximitur caput de Ciuitate. Non capitalia sunt, quæ infamiam tantum irrogant, cum damno pecuniario, corporalive coercitione, vt fustigatione. *tex. hic iuncta l. 2. ff. de pub. Iud.* 2

b *Capitalia dicimus.* Capitalia Iududicia ea dicimus, quæ caput, ideſt, damnatum ciuem de ciuitate tollunt, siue mors, siue seruitus, siue deportatio contingat. De ciuitate, iniquam, hoc est, de loco, ac numero, quem quis in Ciuitate, seù in ciuium recensione obtinet.

c *Vel aquæ & ignis &c.* In locum aquæ & ignis interdictionis succesſit deportatio, *l. 2. §. Constat ff. de pœnis.* De aquæ & ignis interdictione vide notata supra ad §. *Minor*, de capitis deminutione. 3

d *Vel deportatione.* De deportatis in insulam vide notata supra ad §. *Cum autem, quib. mod. ius pot. sol.*

e *Vel metallo.* De his, qui in metallum damnantur, diximus supra ad §. *Pœnæ seruus, quib. mod. Ius pot. sol.*

f *Cætera, si quam infamiam &c.* Ex omni crimine, quod iudicij publici causam habuit, sententia facit infamem, *l. 7. ff. de pub. iud.* 4

Ad §. Publica autem iudicia.

Publica (a) *autem iudicia hæc sunt lex Iulia* (b) *Maiestatis: quæ in eos qui contra Imperatorem,* (c) *vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum*

suum vigorem extendit. Cuius pœna, animæ amissionem Justinet, & memoria rei etiam (d) *potest mortem damnatur.*

a *PVblica autem &c.* Primum Iudicium publicum est Iudicium legis Iuliæ Maiestatis. Hæc lex in eos, qui contra Imperatorem, vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Et dicitur in textu: Aliquid moliti sunt: Quia eadem scueritate voluntatem huius sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt, *l. Quisquis 5. in fine principij C. ad leg. Iul. maiest.* Et huius legis pœna, vitæ amissionem infert, & Rei memoria etiam post mortem damnatur, & bona fisco vindicantur, *l. vlt. ff. ad leg. Iul. maiest. l. penlt. & vlt. C. eod.* Planè non quisquis legis Iuliæ Maiestatis reus est, in eadem conditione est, sed qui perduellionis reus est, hostilianimo aduersus Rempublicam, vel Principem animatus, de qua sola causa, in hoc nostro §. *Differitur*. Cœterum, si quis ex alia causa legis Iuliæ maiestatis reus sit, morte crimine liberatur. *d. l. vlt. ff. ad l. Iul. maiest.* De lege Iulia Maiestatis plenius dixi *in Institut. Criminal. in tit. ad leg. Iul. maiest.* 1 2

b *Lex Iulia maiestatis.* Auctor huius legis incertus est Quidam tamen suspicantur latam fuisse à C. Iulio Cæsare Dictatore.

c *Qui contra Imperatorem.* Animaduerte, quòd non subditus, crimen læsæ maiestatis non committit. Sic enim Rex Siciliæ Robertus Imperatori Henrico eo modo non subfuit, quod in eum crimen læsæ maiestatis commiserit. *Clement. Pastoralis. §. quod si punitio, vers. Rursus, de sent. & re iud.* 3

d *Etiam post mortem.* Hoc speciale est in crimine perduellionis. Alias regulariter crimen, etiam læsæ maiestatis, morte delinqnentis extinguitur, *d. l. vlt. ff. ad leg. Iul. maiest.*

Ad §. Item lex Iulia de adulterijs.

Item lex Iulia (a) *de adulterijs coercendis, quæ non solùm temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem lege* (b) *Iulia etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honestè viuentem stupraverit. Pœnam autem eadem lex irrogat peccatoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum, si humiles, corporis coercitionem cum relegatione.* 4

a *ITem lex Iulia de adulterijs &c.* Secundum Iudicium publicum est Iudicium Legis Iuliæ de adulterijs coercendis. Hæc lex

lata est à Diuo Augusto, vt disertè scribit Vlpianus *in l.1.ff.ad leg.Iul.de adult.& Suet.in Augusto cap.34.* Sed dicta fuit Iulia, quia & Augustus Iulius quoque dictus est testamento Iulij Cæsaris maioris auunculi adoptatus, vt idem Suetonius in Augusto *cap.7.testatur*. Lex autem Iulia de adulterijs coercendis, non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent *tex.hic.* Quod tamen ait textus: gladio punit: non est ex rogatione Iulia, sed abrogatione, qua de re videte *Cuiac.lib.21. obseru.cap.17.* Iure Nouissimo Iustinianus adulterij pœnam capitalem in masculis probauit, & mulierem adulteram verberibus cœsam in monasterium detrudi præcepit. *Nouella 134. cap.7.* Et luxuriantes contra naturam vltimo supplicio damnandos esse confirmauit, *Nouella 77.* De crimine adulterij plenè dixi *in Instit:Criminal. in tit.Ad leg.Iul.de adult.& stup.* 1

b *Sed eadem lege &c.* Eadem lege Iulia etiam stupri flagitium punitur cùm quis sinè vi vel virginem, vel viduam honestè viuentem stuprauerit. Pœnam autem eadē lex irrogat peccatoribus, si honesti sunt, publicationem dimidiæ partis bonorum: si humiles, corporis coercitionem cum relegatione, Et dicitur hic in textu: Sine vi: Nam si vis accesserit, tùm crimen pertinebit ad legem Iuliam de Vi publica, *l.3.ff.ad leg.Iul.de vi pub.* & punietur pœna deportationis §. *Item lex Iulia de vi infrà h.t.* Non autem pœna capitis, vt quidam malè existimant. Raptus quidem punitur pœna capitis *d.§.Item lex Iulia de vi,hoc titulo*. Sed stuprum cum vi, non est raptus. In raptu fœmina abducitur, in stupro cum vi, non item. Et notate, quod hodie plerisque locis obseruatur, vt stuprator, vel dotet puellam, cum qua stuprum commisit, vel eam vxorem ducat. *Clar. lib.5. Sent.§.Stuprum num.3. Vide in meis Inst.Criminal.in tit.Ad leg. Iul de adult. & stup.§.In Virgine, & in §.sequentibus.* 2

Ad §. Item lex Cornelia.

Item lex (a) *Cornelia de sicarijs, quæ homicidas vltore ferro persequitur, vel eos; qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. Tclum* (b) *autem, vt Gaius noster in interpretatione legum duodecim tabularum scriptum reliquit vulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur, sed & omne significatur, quod manu cuiusdam mittitur. Sepultur ergo vt lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur, dictumque ab eo, quod in longinquum mittitur à Græca* 4

voce,

voce, ἀπὸ τῆ τηλῶ & hanc significationem inuenire possumus & in Græco nomine. Nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant, ἀπὸ τῆ βάλλεσθαι quod admonet nos Xenophon, nam ita scribit: καὶ ἐν βέλη ὁμῶ &c. Sicarij (c) *autem appellantur à sica, quod significat ferreum cultrum. Eadem lege* (d) *& venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quam sufurris magicis homines occiderint vel mala medicamenta publicè vendiderint.* 1

a *Item lex Cornelia &c.* Tertium Iudicium publicum est Iudicium legis Cornelie de Sicarijs. Hæc lex lata est à L. Cornelio Sylla Dictatore, vt testatur *Pomponius in l. 2. §. Deinde Cornelius Sylla ff. de orig. iur.* Et homicidas, vel eos, qui hominis occidendi causa cum telo ambulant, gladio punit. *tex. hic.* Quod tamen textus ait: legem Corneliã de Sicarijs irrogare pœnam gladij: non est ex institutione, sed ex correctione legis Corneliæ Pœna legis Corneliędе sicarijs fuit deportatio, & omnium 2 bonorum ademptio: Sed postea more iudiciorum fuit introductum, vt in honore aliquo positi, deportarentur: qui secundo gradu essent, capite punirentur: humiliores verò. etiam bestijs subijcerentur, *l. 3. §. legis Corneliæ, & l. penult. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Doctores tamen testantur Ius illud puniens gladio, eos, qui hominis occidendi causa cum telo ambulant, vt nimis durum, hodie generali consuetudine abolitum esse. De Sicarijs vide *in meis Instit. Criminal. in tit Ad. leg. Cornel. de sicar &c.* 3

b *Telum autem &c.* Telum autem, vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur, sed & omne, quod mittitur manu siue sit lapis, siue lignũ siue ferrum, significat, dictum ab eo quod in longinquum mittitur, *l. si calumnietur 233. §. Telum ff. de verb. sig.*

c *Sicarij autem &c.* Sicarij autem appellantur à sica, quod significat ferreum cultrum *tex. hic.* seù gladiolum incuruum, teste Iosepho *lib. 20. Antiquit. Iudaic. cap. 7.* Attamen per abusionem Sicarios etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocunque commiserint. *Quintil. Instit. orat. lib. 10. cap. 1.* 4

d *Eadem lege & venefici &c.* Eadem lege Cornelia, & venefici capite damnatur, qui artibus odiosis, tam venenis, quam sufurris magicis homines occiderint, vel mala medicamẽta publicè vendiderint, vel hominis necandi causa habuerit, vel malum venenũ necandi hominis causa fecerint, vel vendiderint, vel habuerint, *tex. hic iuncta l. 3. in princ. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Quod tamen

ait textus hic : Veneficos lege Cornelia capite damnari, non est ex in stitutione, sed ex correctione legis Corneliæ.

Ad §. Alia deinde lex.

Alia deinde (a) *lex asperimum crimen noua pœna persequitur, quæ Pompeia de parricidijs vocatur : qua cauetur, vt si quis parentis, aut filij, aut omninò adfectionis eius, quæ nuncupatione parricidij continetur, fata properauerit, siue clàm, siue palàm id ausus fuerit, nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis exist it, licet extraneus sit, pœna parricidij puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij solemni pœnæ subijciatur, sed insutus culeo* (b) *cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundùm quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proijciatur, vt omnium elementorum vsu vinus carere incipiat, & ei cœlum superstiti; & terra mortuo auferatur. Si quis autem aliàs* (c) *cognatione, vel affinitate personas coniunctas necauerit, pœnam legis Corneliæ de sicarijs sustinebit.* 1 2

a ALIA *deinde lex &c.* Quartum Iudicium publicum est Iudicium legis Pompeiæ de parricidijs. Auctor huius legis incertus est. Ea verò cauetur, vt si quis parentis, aut filij, aut omninò earum personarum, quarum cædes parricidij nomine continetur, fata properauerit, nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis exist it, licet extraneus sit, pœna parricidij puniatur, *Text. hic*. Personæ autem, quarum cædes parricidij nomine continetur, numerantur in *l. 1. ff. Ad leg. Pomp. de parricid.* 3

b *Sed insutus culeo &c.* Pœna parricidij est, vt delinquens insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, vel in vicinum mare, vel in amnem proijciatur. Culeus autem hoc locò pro sacco coriaceo ponitur eius capacitatis, vt reum simul & hæc fera animantia capere possit. Animalia verò, quæ vnà includuntur culeo, parricidis similes mores habent; alia enim parentes enecant, alia nullam eis, vel adumbratam reuerentiæ imaginem exhibent. Est tamen notandum quod licet Iustinianus hic legi Pompeiæ attribuat hanc pœnæ dispositionem, tamen more maiorum eam institutam esse testatur *Modestinus in l. penult. in princ. ff. Ad leg. Pomp. de parricid.* qui nos inualuit ante legem Pompeiam; ac primùm, vt Liuius scri- 4

scribit lib.48. P.Malleolus, matre interempta, insutus culeo, in mare præcipitatus est. More tamen maiorum hi tantùm, qui propriè parricidæ dicti sunt, ideſt, parentem cædentes, dicta pœna plectebantur, vt constat ex citata *l.penult.* Lex Pompeia irrogauit pœnam legis Corneliæ de sicarijs, non tantùm aduersus eos, qui propriè parricidæ dicti sunt, sed etiam aduersus alios quosdam, qui pro parricidis habentur, *l. 1. ff. Ad leg.Pomp.de parricid.* quæ pœna fuit deportatio, & omnium bonorum ademptio, *l.3.§.legis Corneliæ ff.ad leg.Cornel.de sicar.* Sed temporibus Pauli I.Consulti parricidæ exurebantur viui, vel ad bestias dabantur, *Paul.Recept.sent. lib.5. tit.24.* Constantinus autem pœnam more maiorum institutam, in vsum reuocauit, tàm aduersus propriè, quàm impropriè parricidas, *l. Vnica, C.de his, qui parent. vel liber. occid.* 1

c *Si quis autem alias cognatione &c.* Si quis autem alias cognatione, vel affinitate coniunctas sibi personas necauerit, alias scilicèt personas coniunctas, quarum cædes nomine parricidij non continetur, pœnam legis Corneliæ de Sicarijs sustinebit, de qua pœna diximus suprà ad §. *Item lex Cornelia, h.t.* 2

Ad §. Item Lex Cornelia de falsis.

Item lex Cornelia (a) *de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, subiecerit, quiue signum adulterinum fecerit, sculpserit, expressérit sciens, dolo malo. Eiusque legis* (b) *pœna in seruos, vltimum supplicium est (quod etiam in lege de Sicarijs, & veneficis seruatur) in liberos verò deportatio.* 3

a *Item lex Cornelia &c.* Quintum Iudicium publicum est Iudicium legis Corneliæ de falsis. Hæc lex lata est à Cornelio Sylla, *l. 2. §. Deinde Cornelius Sylla ff. de orig. iur.* & etiam testamentaria vocatur, & pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, subiecerit, quiue signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit sciens dolo malo. Immò cuiusuis generis falsitas hac lege vindicatur, vt in titulo *ff. & C. Ad leg. Cornel. de fals.* licèt enim lex ipsa non nisi de numis, aùt de testamentis falsis promulgata fuerit, vnde etiam testamentaria dicitur, *vt hic textu*, & testamentaria, numaria à Cicerone Verrina 3. tamen ad alia 4

falsi

falsi genera producta est à Senatus Consultis, Iure Consultis, & Constitutionibus.

b *Eiusque legis pœna &c.* Pœna legis Corneliæ de falsis, in seruos vltimum supplicium est, in liberos verò deportatio, & omnium bonorum publicatio, *l. 1. in fine ff. Ad leg. Cornel. de falsi.* Et hæc pœna regulariter infligitur, quandoquè tamen etiam liberis personis irrogatur capitale supplicium, si id videlicet exigat magnitudo commissi, *l. Vbi falsi 22. C. Ad leg. Cornel.* de 1
falsi. Et è contra quandoquè etiam pœna leuior deportatione, *l. penult. ff. Ad leg. Cornel. de falsi.* De pœna huis legis plura alia vide in meis *Instit. Criminal. in tit. Ad leg. Cornel. de falsi circa finem in additionibus.*

Ad §. Item lex Iulia de vi.

Item lex Iulia (a) *de vi publica seu priuata, aduersùs eos exoritur, qui* 2
vim vel armatam, vel sine armis commiserint. Sed si quidem armata vis redarguatur, deportatio (b) *ei ex lege Iulia de vi* (c) *publica irrogatur. Si verò sine armis, in tertiam partem bonorum publicatio imponitur. Sin autem per vim* (d) *raptus virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius* (e) *fuerit perpetratus: tunc & peccatores, & ij qui opem flagitio dederunt, capite* (f) *puniuntur, secundùm nostræ Constitutionis definitionem, ex qua hoc apertiùs possibile est scire.*

3

a *Item lex Iulia de vi &c.* Sextum Iudicium publicum est Iudicium legis Iuliæ de vi publica, seù priuata. Hæc lex lata fuit, vel à Iulio Cæsare Dictatore, vt Manutio placet, vel ab Augusto, vt quidam alij scribunt. Et pœnam irrogat eis, qui vim vel armatam, vel sine armis commiserint. Sed siquidem armata vis redarguatur, deportatio ex lege Iulia de vi publica irrogatur. Si verò sine armis, ex lege Iulia de vi priuata, in tertiam partem bonorum publicatio imponitur *text. hic.* Armorum autem appellatione nonsolùm scuta, & gladios, & galeas 4
sed & fustes, & lapides significari intelligimus. §. *Recuperandæ, Instit. de Interdictis*, vbi etiam de hac re plura dixi

b *Deportatio &c.* Pœna deportationis, vel confiscationis tertiæ partis bonorum, de qua hic, irrogatur liberis hominibus. Serui autem, qui vim fecerint inscio domino, vltimo supplicio afficiuntur: qui verò metu atque exortatione dominorum

vio-

violentiam admiserint, in metallum damnantur, *l. Seruos 8. C. Ad leg. Iul. de vi*

c *Ex lege Iulia de vi publica.* Omnis vis armata est publica, non tamen omnis vis publica est armata. Nàm & sine armis offendi potest Respublica, vt in specie *l. 7. 8. & vlt. ff. Ad leg. Iul. de vi pub.* Et vis cum armis facta, publica nominatur, quia solius est Reipublicæ armis vti, qua de causa, qui ea vi vtitur, quæ solius Reipublicæ propria est, publicam vim facere dicitur. Sed vt 1
dicatur vis priuata, non sufficit eam factam esse sine armis, sed insuper opus est, vt facta sit à persona priuata contra personam priuatam sine violatione Iuris publici.

d *Sin autem per vim &c.* Sin autem per vim raptus virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus: tunc & raptores, & ij, qui opem flagitio dederunt, capite puniuntur, Videte *l. Vnicam C. de raptu virginum*, & notata suprà ad §. *Item lex Iulia de adult.* in verbo, *Sed eadem lege &c. hoc eodem titulo*. 2

e *Vel alterius.* Qui nuptas mulieres rapiunt, duplici tenentur crimine, tàm adulterij scilicèt, quàm rapinæ, *l. Vnica*. §. *Quæ multo magis C. de raptu virgin.*

f *Capite puniuntur.* Serui autem crimini raptus obnoxij concremantur, *dicta l. Vnica*. §. *Sed etsi quis C. de raptu virginum.*

Ad §. Item Lex Iulia peculatus.

Item lex Iulia (a) *peculatus eos punit, qui pecuniam, vel rem publicam, vel sacram, vel religiosam furati fuerint. Sed si quidem ipsi Iudices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint, capitali animaduersione puniuntur: & non solùm hi, sed etiam qui ministerium eis ad hoc exhibuerint, vel qui subtractas ab his scientes susceperint. Alij verò qui in hanc legem inciderint: pœnæ deportationis subiugantur.* 3

a ITem lex Iulia peculatus &c. Septimum Iudicium publicum est Iudicium legis Iuliæ peculatus, quæ vel à Iulio Cæsare, vel ab Augusto lata fuit, & punit eos, qui pecuniam, vel rem publicam, vel sacram, vel religiosam furati fuerint. Huius Legis pœna est deportatio. Ex Constitutione tamen Honorij, & Theodosij ad legem Iuliam accommodata, Iudices, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, capite damnantur; eademque pœna puniuntur etiam hi, qui minis- 4

steri-

sterium eis ad hoc exhibuerunt, vel qui subtractas ab his scientes susceperunt, *tex. hic, l.Vnica C. de Crim. pecul.* Immò qui pecuniam, vel rem sacram, vel religiosam furati fuerint, extraordinem etiam puniuntur ex Constitutionibus, *l. 4.§. 1. & l.6. ff. ad leg. Iul. pecul.* De peculatu plura alia vide in meis *Instit. Criminal. in tit. Ad leg. Iul. pecul. In additionibus.*

Ad §. Est & inter.

1

Est & inter (a) *publica iudicia lex Fabia de plagiarys, quæ interdum capitis pœnam ex Sacris Constitutionibus irrogat, interdum leuiorem*

a EST *& inter &c.* Octauum Iudicium publicum est Iudicium Legis Fabiæ de Plagiarijs. Auctor huius Legis igoratur. Plagiarij autem dicuntur hi, qui liberos homines, aut seruos alienos dolo malo supprimunt. Vide *l. non statim 6. ff. Ad leg. Fab. de plag.* quia ex ea facile est pleniùs intelligere qui sint Plagiarij. 2 Huius legis Pœna olim fuit pecuniaria, *l.vlt. ff. Ad leg. Fab. de plag.* Sed hodie plagiarij interdum capitis pœna ex Sacris Constitutionibus puniuntur, interdum leuiori pœna mulctantur, *tex. hic, l.vlt. C. Ad legem Fabiam de plagiarijs.*

Ad §. Sunt præterea.

Sunt præterea publica Iudicia, lex Iulia (a) *de ambitu, lex Iulia* (b) *repetundarum, & lex Iulia* (c) *de annona, & lex Iulia* (d) *de residuis, quæ de certis capitulis loquuntur, & animæ quidem amissionem non irrogant, alijs autem pœnis eos subijciunt, qui præcepta earum neglexerint.* 3

a LEx *Iulia de ambitu.* Nonum Iudicium publicum est Iudicium legis Iuliæ de ambitu, quæ lata est ab *Augusto Suet. in Aug. c. 34.* & punit eos, qui illicito modo, puta, data pecunia, magistratum ambiunt. Et iure nostro hodie in municipijs tantùm locum habet: quia in Vrbe ad curam Principis 4 Magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem, *l.vnica ff. Ad leg. Iul. de ambitu.* Pœna huius criminis olim videtur fuisse deportatio, *l. Vnica in fine C. Ad leg. Iul. de ambitu.* Hodie pœna est centum aureorum cum infamia, *l. Vnica ff. Ad leg. Iul. de amb.* Et hoc amplius damnatio in quadruplum ex *l. vlt. C. Ad leg. Iul. repet.* quæ communis est & legi Iuliæ repetendarum, &

legi

legi Iuliæ de ambitu. Sanè si vi ad honores quis, turba conuocata, peruenire tentauerit, vt vis publicæ reus, in insulam deportatur. *Paul. recep. sent. lib. V. tit. 30.*

b *Lex Iulia repetundarum.* Decimum Iudicium publicum est Iudicium Legis Iuliæ reputandarum, quæ lata est à C. Iulio Cæsare in Consulatu primo teste Cicerone in Vatiniana, & punit Magistratus, vel officium aliquod publicum gerentes, qui vt aliquid magis, aùt minùs ex suo officio facerent, pecuniam 1
acceperunt, *l.* 1. 3. *&* 4. *ff. Ad leg. Iul. repet.* Huius legis pœna olim erat interdictio aquæ & ignis. *Cicero in Verr.* Hodiè Rei vel damnantur in quadruplum, *l.* 1. *& vlt. C. Ad leg. Iul. repet.* vel puniuntur exilio, vel duriori pœna, prout admissi sceleris qualitatis requirit *l. lex Iulia* 7. §. *vlt. ff. Ad leg. Iul. repet.*

c *Et lex Iulia de annona.* XI. Iudicium publicum est Iudicium legis Iuliæ de annona. Auctor huius legis ignoratur. Ea verò tenetur is, cuius dolo malo factum est, vt annona minus abundans, vel carior esset. Quod crimen dicitur fraudatæ annonæ, 2
l. 1. *&* 2. *ff. Ad leg. Iul. de annona.* Pœna autem huius criminis ex ipsa lege Iulia quæ fuerit, incertum est. Hodiè est extraordinaria. Nàm pro modo delicti, modò est pecuniaria, *l.* 2. *in fine ff. Ad leg. Iul. de annona*, nunc est relegatio, aùt etiam metallum pro conditione personæ, *l. Annonam* 6. §. *Pœna autem ff. de extraord. criminibus.*

d *Et lex Iulia de residuis.* XII. Iudicium publicum est Iudicium legis Iuliæ de residuis. Auctor huius legis incertus est, quidam putant eius auctorem esse Augustum. Residuorum crimen 3
est pecuniæ publicæ retentio, quæ apud aliquem ex administratione resedit, in publicum non relata. *Cuiacius in Paratit. ff. in tit. Ad leg. Iul. pecul.* Et animaduertite, quod Residui commemoratio, etiam totum admittit, *l.* 2. *C. de hered. instit.* Ideoque hac lege tenetur etiam is, qui totam pecuniam publicam in vsum aliquem acceptam, retinuerit, nec erogauerit. Huius criminis pœna est, vt damnatus, ampliùs tertia parte, quàm debet, puniatur, *l.* 4. §. *Lege ff. Ad leg. Iul. pecul.*

De quatuor Iudicijs Publicis in hoc §. explicatis, pleniùs 4
dixi in meis *Instit. Criminal. in tit. ad leg. Iul. de ambitu, reputendarum &c. præsertim in Additionibus.*

Ad §. Vltimum.

Sed de (a) *publicis iudiciis hæc exposuimus, vt vobis possibile sit summo digito, & quasi per indicem ea tetigisse. alioquin diligentior eorum scientia, vobis ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris Deo propitio aduentura est.*

1

2 *SED de publicis &c.* Sed de publicis Iudiciiis hæc exposuimus, vt vobis possibile sit leuiter, & summatim ea tetigisse. Alioquin diligentior eorum scientia ex latioriaus Digestorum Libris petenda est.

Finis Libri Quarti, & Vltimi.

Tibi soli sit gloria,
Qui super Cœli solio
Regnas per omne Sæculum
Trinus, & vnus.

INDEX

INDEX

RERVM, ET VERBORVM NOTABILIVM.

Prior numerus paginam denotat: posterior est marginalis.

A

Acceptilatio quid sit. pag. 530. num. 3.
Accessio cedit principali. 169. 2.
Actio quid sit. 583. 1.
Actiones omnes, aut in rem sunt, aut in personam. 584. *in prin.*
Actiones in personam, aut in rem quænam sint. 584. 3. & 4. & 585.
Actio in rem pro seruituribus duplex est, Confessoria, & Negatoria. 586.
Actiones omnes, aut ciuiles sunt, aut prætoriæ, & quæ sint ciuiles, & quæ prætoriæ. 587. 2.
Actiones prætoriæ in rem sunt Publiciana. 588.
Rescissoria. 589. & *seq.*
Seruiana, & Quasi Seruiana, quæ etiam Hypothecaria vocatur. 591. & *seq.*
Actiones prætoriæ in personam sunt.
De Constituta pecunia. 593.
De Peculio seruorum, filiorumque familias. 594.
In factum ex Iureiurando. 595. 4.
Albi corrupti. 596. 4.
In factum aduersus eum, qui patronum, vel parentem in ius vocauit sine venia. 597. 2.
In factum aduersus eum, qui vi exemerit eum, qui in Ius vocaretur, cuiusue dolo alius exemerit. 597. 4.
Actiones præiudiciales in rem esse videntur, & earum tres sunt species. 598.
Actiones in rem, Vindicationes: in personam verò, Condictiones appellamus. 600. 1.
Actiones Rei persecutoriæ. 601. 3.
Pœnæ persecutoriæ. 602. 1.
Rei & pœnæ persecutoriæ. 603.
Actiones mixtæ in rem, & in personam. 604.
Actiones In simplum. 605. 4.
In duplum. 606.
In triplum. 607.
In quadruplum. 608.
Actiones Bonæ fidei. 610. 4.
Actiones Stricti Iuris. 611. *in princ.*
Actiones Bonæ fidei sunt.
Empti, Venditi. 611. 1.
Ex locato, Conducto. 611. 2.
Negotiorum gestorum. 520. 3.
Mandati. 611. 3.
Depositi 449. 1.
Pro socio. 611. 3.
Tutelæ. 522. 2.
Commodati. 447. 2.
Pignoratitia. 450. 3.
Familiæ erciscundæ. 523. 2.
Communi diuidundo. 523. *in princ.*
Præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea, quæ ex permutatio-

tatione competit. 612. 1.
Hereditatis petitio. 612. 2.
Ex stipulatu de dote. 613. *in princ.*
In Actionibus Bonæ fidei, quam Iudex habeat potestatem. 614.
Actiones arbitriariæ. 615. 4. & 616.
In Actionibus Arbitrarijs quid permittatur Iudici. 616. 4.
Actio ad exhibendum ex arbitrio Iudicis pendet. Vide 676.
Actiones, quibus non semper solidum consequimur, sunt
Actio de peculio. 621. 1.
Actio ex stipulatu de dote. 621. 4.
Actio aduersus parentem, patronum, socium, donatorem. 622. 4. & 623.
Actio, cui opponitur compensatio. 624.
Actio contra eum, qui bonis cessit. 624. 4.
Actiones quæ sint perpetuæ, vel temporales. 648. 1. & *seq.*
Actiones ciuiles olim perpetuæ erant, hodie habent fines 30. *vel* 40. *annorum.* 648.
Actiones prætoriæ plerumque sunt annales. Aliquando tamen vsque ad finem ciuilium actionum extenduntur. 648. 1. & *seq.*
Actiones, quæ ad heredes, & in heredes transeunt, vel non transeunt. 649. 4. & 650.
Actio ciuilis, an, & quando præiudicet criminali, & contra. 577. 4.
Actio vna pœnalis, an aliam consumat. 640. 2.
Actiones ædilitiæ. 639. 3. & 4.
Actio de Calumniatoribus. 608. 4.
Actio de dolo malo. 616. 2. & 3.
Actio depositi in quatuor casibus datur in duplum. 601. 4.
Actio de eo, quod metus causa. 608.
Actio de eo quod certo loco dari oportet. 619. 1.
Actio directa, Actio contraria. 521. 2.
Actio finium regundorum. 604. 4.
Actio legatorum locis Venerabilibus relictorum. 603. 2.
Actio Quod Iussu. 625. 3. & 4.
Actio Exercitoria, & Institoria. 626.
Actio Tributoria. 627.
Actio de peculio & de In rem verso. 628.
Actionis de peculio, & de In rem verso concursus, cum Actione Quod Iussu, vel Institoria, vel Exercitoria. 629. 4.
Actionis de peculio, & de In rem verso concursus cum Actione Tributoria. 630. *in princ.*
Qui Actione Quod Iussu, vel de In rem verso, Exercitoria, vel Institoria tenetur, etiam directò potest conditione conueniri. 632.
Actiones noxales quæ sint. 633.
Actio noxalis datur in eum, qui est dominus serui eo tempore, quo agitur. 635. 2.
Actio noxalis quandoque incipit esse directa, & contra directa quandoque noxalis esse incipit. 635. 1.
Actio nulla nascitur si seruus domino noxiam commiserit, vel contra. 636.
Actiones noxales & in filijs familias veteres admisere. 637. *in princ.*
Actiones noxales animalium nomine, seu actiones de pauperie, quando competant. 637. & 638. 4.
Actio serui corrupti. 606. 3. & 4.
Actione serui corrupti punitur interdum solus affectus sollicitatoris.

ris. 544. 2. & 3.
Actio Subsidiaria. 127. 1.
Agere per quos liceat. 641.
Adictio bonorum libertatis causa. 435. & *seq*.
Adictionis requisita. 436. 3. & 4.
Adictio rectè fit libertatibus inter vivos, vel mortis causa datis. 438. 4.
Adiudicatio est modus adquirendi. 678. 3.
Adoptionis definitio. 65. 1.
Adoptari qui, & qui arrogari dicantur. 65. 3.
Adoptio, cuius auctoritate fiat. 65. 3.
Adoptare, & arrogare possunt spadones, non autem castrati. 71. 2.
Adoptare an possint fœminæ. 72. 1.
Adoptans, qua ætate debeat præcedere adoptatum. 69. 2.
Adoptare licet etiam in locum nepotis, vel neptis, & deinceps quamuis filium quis non habeat. 69. 3.
Adoptare potest quis filium alienum in locum nepotis, vel nepotem alienum in locum filij. 70. 1.
Si quis adoptet loco nepotis ex filio, & filius consentire debet. 70. 3.
Per adoptionem sibi fratrem quisquã facere non potest. 70. 1.
In adoptionem dare potest auus nepotem ex filio, sine consensu filij. 70. 3.
Adoptatus nepos, & quiuis arrogatus, alteri in adoptionem dari potest. 71. *in princ*.
Adoptatus non transit in potestatem adoptantis. 66. 3.
Adoptiui liberi, quando, & quomodo patri naturali, vel adoptiuo succedant. 383.
Adoptiui, quando heredes instituendi, vel exheredandi ab adoptiuo patre, vel naturali. 266. 4. & 267.
Adoptiui emancipati extraneorum loco incipiunt esse. 380. 4.
Adulterij pœna. 681. 4. & 682. 1.
Aedificium solo cedit. De Aedificante in suo solo ex aliena materia. Et contrà de Aedificante in alieno solo ex sua materia. 172. & 173.
Aediles curules. 20.
Aeditui. 87. 3.
Aerarium, & fiscus quomodo differant. 215. 3.
Affinitas quid, & inter quos contrahatur. 57. 1.
Agnati qui sint, & qui cognati. 94. 4.
Agnationis ius per adoptionem quoque consistit. 390.
Agnatus proximus quis dicatur. 393.
Agnatorum proximitas quo tempore spectetur. ibid.
Agnati, & cognati hodie æqualiter succedunt. 403. 4.
Agnationis, vel cognationis ius qua capitis deminutione tollatur. 95. 4.
Agnatorum successio legitima. 388. & *seq*.
Album prætoris. 597.
Alimenta pupillo quomodo decernantur. 147.
Alueus à flumine derelictus cuius fiat. 166. 2.
Alueus nouus, cuius fiat, si ad priorem alueum reuersum fuerit flumen. 166. 2. & 4.
Alluuio quid sit? 164. 2.
Per alluuionem agro tuo adiectum, tibi adquiritur. ibid.
Alluuionis vsumfructum ad fructuarium pertinet. 164. 3.

Alluuionis ius in agris limitatis, & in lacubus, & stagnis, locum non habet. 164. 2.
Ambitus crimine quis teneatur, & qua pœna. 683. 3. & 4.
Animalia ex animalibus dominio nostro subiectis nata, nobis adquiruntur. 164. 1.
Annonæ fraudatæ crimine quis tenea-tur, & qua pœna. 689. 2.
Antecessores qui sint. 6. *in princ.*
Apes quatenus occupantis fiant. 160. 4.
Apium examen, quod ex alueo tuo euolauerit, eò vsque intelligatur esse tuum. 161. *in princ.*
Aqua profluens à flumine quomodo differat. 150. 4.
Aquiliana stipulatio. 531. *& seq.*
Arbor Titij, si radices egerit in fundum vicini, cuius sit. 164. 4. & 175. 3.
Arrogatio. Vnde dicatur. 66.
Arrogatus potestati arrogatoris subijcitur, & etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate. 72. 2.
Arrogatori quid adquiratur. 434. 2.
Arrogati creditores quomodo sua credita consequantur. 435. 1.
Arrogatio impuberis quomodo, & cum quibus conditionibus sit facienda. 67. 3.
Arrogatus impubes quomodo quartam consequatur, & An hodie hæc quarta sit aucta. 68. 4. & 69. *in princ.*
Aurei, seu solidi æstimatio. 109. 3.

B

Basilica quid. 318. 4.
Bonorum possessio quid sit. 423. 3.
Bonorum possessionis Ius quare introductum à Prætore. 424.
Bonorum possessionis effectus. 425.
Bonorum possessio quomodo peti debeat. 432. 3.
Bonorum possessioni petendæ tempus præfinitum. 430. 3.
Bonorum possessiones petendæ tempus vtile est. 432. 1.
Bonorum possessiones ordinariæ Iure veteri sunt decem. 325. *Iure nouo sunt sex.* 428. 3.
Bonorum possessio extraordinaria. 429. 4.
Bonorum possessio contra tabulas, vel secundum tabulas quibus detur. 381. 2. & 425. 2.
Bonorum possessio Vnde cognati quando liberis adoptiuis detur in bonis patris naturalis. 382. 2.
Bonorum possessores habent Ius accrescendi. 431.

C

Capitis deminutio quid sit, & quotuplex. 96. 4.
Capitis deminutio maxima. 97. 2.
Capitis deminutio minor, siue media. 98.
Capitis deminutio minima. 98. 3.
Catoniana Regula explicatur. 322. 4.
Cauere idoneè quid sit. 436. 4.
Certi conictio. 445. 3.
Ciues Romani qui. 49. 3.
Ciuilis ratio ciuilia quidem Iura cor-

corrumpere potest, naturalia verò non vtique. 95. 4.
Codicillorum origo. 365.
Codicilli futuri quomodo confirmentur testamento. 366.
Codicillis, etiam intestatus quis decedens, fidecommittere, vel legare potest. 366. 4.
Codicilli, aui testamentum præcedunt an reuocentur. 367.
Codicillis prioribus quando per posteriores derogetur. 368. 2.
Codicillos etiam plures quis facere potest. 368. 2.
Codicillis hereditas directò, neque dari, neque adimi potest. 367. 2.
Codicillis legata dari, vel adimi possunt. 367. 4.
Codicilli nullam solemnitatem ordinationis desiderant. 368. 1.
In Codicillis quinque testes etiam non rogati sufficiunt. 368. 3.
Cognationis Arbor. 412.
Cognationis gradus quemadmodum numerentur. 407. & seq.
Cognati cum agnatis hodie æqualiter succedunt ab intestato. 404. 4.
Cognati hodie succedunt in infinitum, sicut agnati. 407. 1.
Cognationis Iura cur maxima, vel etiam media capitis deminutione, pereant. 101.
Cognatio seruilis quæ sit, & quando prosit ad successionem. 413.
Colloni duplices. 179. 3.
Colloni res quatenus domino prædij sint obligatæ. 591. 4.
Commodati definitio. 447. 1.
Commodati actio directa, & contraria. 447. 2.
Inter commodatum, & mutuum differentiæ. 447. 3. & 4.
Commodatum debet esse gratuitum. 447. 1.
Commodatarius tenetur etiam de culpa leui. 448. 1.
Compensatio. 614. 4. & 615. & 624.
Conditio impossibilis quæ. 278. 4.
Conditio impossibilis in vltimis voluntatibus pro non scripta habetur. 278. 3. Idem etiam in conditione, quæ est contra Ius, vel bonos mores. 279. 1.
Conditio perplexa inutilem reddit institutionem. ibid.
Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum tempus referuntur, non habent vim conditionis. 459. 4.
Conductor quid præstare debeat. 506.
Conductore mortuo, heres eius in conductione succedit. 507.
Confusione corpus factum ex duorum materys, cuius sit. 170. 1.
Coniuncti re tantùm, verbis tantùm, vel re & verbis simul, qui & quando habeant Ius accrescendi. 321.
Consilij non fraudulenti nulla obligatio est. 515. 3.
Constitutionum aliæ personales sunt, aliæ generales. 18. 3.
Constitutum, seù de Constituta pecunia. 593.
Consuetudo quid sit, eiusque requisita. 21. 1.
Contractus definitio. 444. 2.
Contractus innominati exemplum. 502. 3. & 503. 1.
Contractus impossibili conditione interposita nullius momenti sunt. 278. 4.
Contractus penè omnes ex Iure gentium introducti sunt. 15. 2.

Cre-

Creditores mittuntur in possessionem rerum contumacis iuxta mensuram debiti. 440. 2.
Crimen, etiam læsæ maiestatis, morte delinquentis regulariter extinguitur. 681. 3.
Culpæ species variæ. 145. 2. & 3.
Cura definitur. 119. 3.
Curatores accipiunt puberes vsque ad 25. *annum completum.* 119. 2.
Curatores non accipiunt inuiti adolescentes, præter quam in litem. 120. 3.
Curator etiam ad certam causam dari potest. ibid.
Curatores, à quibus Magistratibus dentur. 120. 1.
Curator testamento non datur: datus tamen confirmatur decreto prætoris, vel præsidis. 120. 1.
Curatores dandi sunt etiam mente captis, surdis, mutis, & perpetuo morbo laborantibus. 121. 4.
Curator adiungitur tutori, qui idoneus non est, aut ad tempus se excusat. 124. 1.
Curia, & Decuriones, siue Curiales, qui. 63. 3.

D

Damnati in metalum, vel in opus metali, qui. 76. 2.
Damnum vnde dictum. 557. 4.
Damni iniuriæ actio constituitur per legem Aquiliam. 557. 4.
Ob damnum datum quando competat directa actio l. Aquiliæ, & quando vtilis, & quando actio in factum. 568.
Dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat. 599. *in prin.*
De deiectis, vel effusis, ita vt alicui nocerent. Et de positis, vel suspensis, quæ possunt, si ceciderint, alicui nocere. 580. *& seq.*
De deiectis, vel effusis, positis, vel suspensis, pater non tenetur pro filio fam. seorsum à patre habitante. 581. 4.
Deportatus ciuitatem amittit: 74. 3.
Deportationis, & Relegationis præcipuæ differentiæ. 75. 3.
Depositi definitio. 449. 1.
Depositi actio directa, & contraria. ibid.
Depositarius tenetur solum de dolo, vel lata culpa. Quandoque tamen etiam de leui. 449. 2. & 3.
Dies continui, & dies vtiles, qui dicantur. 139. 2.
Dolus malus quid. 145. 1.
Dominium rerum nanciscimur, vel Iure gentium, vel Iure Ciuili. 158. 1.
Donato est modus acquirendi dominij Iure Ciuili. 216. 2.
Donatio mortis causa quæ sit. 216. 3.
Eius tres species. 217. 1.
Quomodo legatis comparetur. 217. 3.
Donare potest filius fam. mortis causa patre permit tente. 255. 1.
Donatio inter viuos, quæ sit. 218. 1.
Quando perficiatur. ibid.
Quando sit insinuanda, vel non. Et quid sit Insinuatio. 218. *& seq.*
Ex quibus causis reuocetur. 220.
Donator non tenetur de euictione. 218. 4.
Donatio propter nuptias quæ sit. 220. 4.

An insinuanda sit. 221. 1.
Eius usumfructum habet maritus. 221. 2.
Redditur viro soluto matrimonio. 221. 2.
An hodie omninò doti exæquetur; ibid. 3.
Dos sine matrimonio esse non potest; 61. 4.
Dotis nomine datum ob iniustum matrimonium Fisco adiudicatur; 62. 4.
Dotis priuilegia. 613.
Dos minuitur ob impensas necessarias in res dotales factas. 622. 2.
Dotalis rei dominus an sit maritus. 223. 4.
Dotale prædium maritus alienare, vel obligare non potest, & quod dicatur dotale prædium. 222. & seq.
Dotales res mobiles possunt à marito, qui soluendo est, alienari. 223. 2.
Dubitans pro ignorante habetur. 551. 4.
Duplicatio. 658. 4.

E

EMancipatio quid sit, & quotuplex. 80. 4.
Emancipationis vetus solemnitas; 81. 2. & 82. 1.
Emancipatio quomodo hodie perficiatur. 81. in princ.
Emancipationes hodie semper videntur contracta fiducia fieri. 395. 1.
Emancipari non potest filius inuitus; nisi certis casibus. 85. in princ.
Emancipare compellitur pater liberos suos certis casibus. 84. 3.
Emancipare potest quis filium, ne pote in potestate retento, vel contra. 83. in princ.
Emancipari debent infantes ex Imperiali rescripto. 82. in princ.
Emancipati impuberis tutelam parens nanciscitur. 80. 3.
Emancipatione sequuta parenti munumissori, quæ iura præstentur. 80. 3.
Emancipanti dimidia vsusfructus aduentitiorum debetur. 230. 4.
Emancipati liberi in hereditate parentum suorum quodnam Iuris habeant. 378. 4.
Emancipati possunt Iure Ciuili præteriri. 266. 2.
Emancipati præteriti habent Iure prætorio bonorum possessionem contra tabulas. ibid.
Emancipationis ratio nulla habetur hodie in successionibus ab intestato. 82. 2.
Emancipati, qui se dederint in adoptionem, an, & quando admittantur ad bona naturalis patris, vel adoptiui. 379. 3.
Emphyteusis est contractus Iuris Ciuilis. 504. 4.
Emphyteusis potest vel in perpetuum, vel ad tempus constitui. 504. 1.
Emphyteutico contractui pactiones adiectæ seruandæ sunt. 504. in princ.
Emphyteusis à venditione, & à locatione quomodo differat. 505. 1.
Emphyteuta, an, & quando possit Ius suum alienare, & quid in alienatione debeat seruare. 504. 2. & 3.
Emphyteuta quando possit expelli. 504. 1. & 2.
Emphyteuticæ rei periculum ad quem

pertineat. 505. 2.
Epistola Diui Hadriani. 488. 1.
Emptionis, & venditionis definitio. 495. 2.
Emptio sine pretio certo esse non potest. 496. 3. & 4.
Emptio, an, & quando valeat pretio in arbitrium tertij collato. 496. 4.
Emptæ rei pretium in numerata pecunia consistere debet. 407. 3.
Emptor tenetur soluere pretium rei emptæ, ante traditionem casu peremptæ. 498. 3. & 4.
Emptione contracta periculum, & commodum rei venditæ statim ad emptorem pertinet. 498. 3. & 4.
Emptio, quæ fit scriptura, vel sine scriptura quando contracta dicatur. 495. 2. & seq.
Emptione contracta datis arris quid Iuris. 496. 2.
Emptio contracta intelligitur, cùm artifex, constituto pretio, ex sua materia rem efficit. 505. 3.
Emptio & purè, & sub conditione contrahi potest. 500. 3.
De Emptione rei, quæ non est in commercio. 501. 2.
Exceptiones cur introductæ, & quare sic dictæ. 651. 3.
Exceptio Quod metus causa. } 652. in princ.
Doli mali. }
In factum. }
Non numeratæ pecuniæ. 652. 1. & 2.
Pacti conuenti. 652. 4.
Iurisiurandi. 653. 1. & seq.
Rei iudicatæ. 654. in princ.
Exceptionum Ciuilium exempla. 654. 4.
Exceptionum Prætoriarum exempla. 655. in princ.
Exceptiones perpetuæ, & peremptoriæ. 655. 3.
Exceptiones temporales, & dilatoriæ. 656. & seq.
Exceptiones, quæ possunt opponi procuratoribus. 657. 1. & seq.
Exceptiones, quibus debitor defenditur, quando dentur fideiussoribus eius. 659.
Excusatio tutorum, vel curatorum, quid sit, & quando locum habeat. 128. 3.
Excusatur quis à tutela, vel cura.
Propter liberos. 128. 1.
Qui res Fisci administrat. 130. in princ.
Qui Reipublicæ causa abest. ibid. 3.
Qui magistratum gerit. 131. 3.
Propter litem, quam habet cum pupillo, vel adulto. 132. in princ.
Propter onus trium tutelarum, vel Curationum. 132. 2. & 3.
Propter paupertatem. 133. 2.
Propter aduersam valetudinem. ibid. 4.
Illiterati negotiorum expertes excusantur. 134. 1.
Propter inimicitias datus tutor testamento excusatur. 134. 3.
Inimicitiæ capitales excusant cum distinctione tamen. 135. 2.
Qui controuersiam status passus est à patre pupilli, vel qui eam pupillo mouet excusatur. 135. 4.
Maior 70. annis excusatur. 136. 1.
Veterani quatenus excusentur. 137. 2.
Certarum artium professio excusat. ibid. 4.

Excusare se potest tutor ne extra pronunciam vltra centesimum lapidem tutelam gerat. 140. 2.
Excusatur à cura adulti, qui tutelam eiusdem gessit, dum erat pupillus. 140. 3.
Excusatur maritus à curatione vxoris. 141.
Excusare se non potest, qui patri pupillorum promisit se futurum tutorem. 134. 4.
Excusandus non est quis ex eo, quod ignotus fuerit patri pupillorum. 135. *in princ.*
Excusationes proponendi modus, & tempus. 138. 3. *& seq.*
Excusatus falsis allegationibus, non est liberatus onere tutelæ, vel curæ. 141. 4.
Exercitor quis sit. 626. 3.
Exercitor nauis, aut caupona, aut stabuli tenetur de damno, aut furto eorum, quorum opera vtitur. 582. 3. & 4.
Exheredatio liberorum. 261.
Exheredandus nominatim, vel heres instituendus filius familias. 261. 2.
Exheredare nominatim, vel inter cæteros quid sit. 262. 4.
Exheredationis forma Iure quo nunc vtimur. 269. 3.
Exheredationis, vel Præteritionis Iustæ causæ. 304. 1.

F

Facti alieni promissio. 469. 2. & 483. 2.
Falsi pœna quæ sit. 686. *in princ.*
Feræ bestiæ, & volucres capientis fiunt. 159. 1.
Fera bestia vulnerata non aliter fit vulnerantis, quam si eam cœperit. 160. 2.
Fera animalia, quæ ex consuetudine abire, & redire solent, eò vsque nostra esse intelligantur. 161. 4.
Fideicommissum quid. 349. 2.
Fideicommissorum origo, & etymologia. 349. 4.
Fideicommissorum verba. 365.
Fideicommissa incapacibus relinqui non possunt. 350. 2.
Fideicommissum, vel purè, vel sub conditione, vel ex die certo relinqui potest. 351. 2.
Fideicommissorum alia sunt vniuersalia, alia singularia. 349. 2.
Fideicommissum vniuersale quomodo in testamento relinqui debeat. 351.
Fideicommissaria hereditas, quæ dicatur. 349. 3.
Fideicommisso relinqui potest etiam pars hereditatis. 351. 2.
Fideicommissariam hereditatem heres restituens potest retinere quartam, vel quod ei deest, & tunc actiones pro rata communicantur. 356. 1.
Fideicommissario, & in fideicommissarium competunt omnes hereditariæ actiones, si heres totam hereditatem sponte, coactusue restituerit. ibid. 2.
Fideicommissorum seruandorum causa, quando possit heres cogi adire. 356. 2.
Fideicommissarius modò locum heredis obtinet, modo legatarij. 357. 4. & 358.
Fideicommissarius hodie semper loco heredis habetur. 352. 1.
Fideicommissarius quoque fideicommisso

missō onerari potest. 359. 4.
Fideicommissario, qui fideicommisso oneratus est, an detur deductio quartæ. 360.
Fideicommissum relinquere potest intestatus quoque moriturus. 359. 2.
Fideicommissum etiam rerum singularium relinqui potest. 361. 4.
Fideicommissum rei alienæ valet, & quid hoc casu debeat præstari. 362. 3.
Fideicommisso non potest quis inplus onerari, quam sit honoratus. ibid.
Fideicommissum minus solemniter relictum, an, & quando debeatur, & quomodo probetur. 360.
Fideiussor quis sit. 486. 2.
Fideiussores adsumi possunt in omnibus obligationibus. 486. 4.
Fideiussor adhiberi potest, & præcedenti, & futuræ obligationi. 487. 3.
Fideiussor ita obligari potest vt minus debeat, quàm principalis, non autem vt plus. 489. 4.
Fideiussor etiam heredem obligatum relinquit. 487. 2.
Fideiussor, si quid pro reo soluerit, quam habeat actionem contra eum. 491. 1.
Fideiussor interdum agere potest, vt liberetur. ibid.
Fideiussor hodie conueniri non potest ante reum principalem excussum, si modo reus præsens sit, & soluendo. 514. *in princ.*
Fideiussoribus, an, & quando dentur exceptiones, quibus debitor defenditur. 659.
Fideiussores plures quatenus obligentur. 488. *& seq.*
Fideiussores à tutore pupillo dati, non habent Diui Hadriani beneficium. 488. 4.
Fideiussor, qui electus à creditore totum exoluit, non potest agere contra confideiussorem, nisi ei cessæ sint actiones. 489. 2.
Filiæ nuptiæ à patris potestate illam non liberant. 397. *in princ.*
Filij, vel filiæ appellatione, & postumus, & postuma continetur. 93. 1.
Filij, patris, non matris familiam sequuntur. 95. *in princ.*
Filius matri, & mater filio ex l. 12. *tab. non succedebat.* 395. 3.
Filius familias in publicis causis loco patris familias habetur. 90. 2.
Filius familias, vel heres instituendus, vel nominatim exheredandus. 261. 2.
Filius quando dicatur præteritus. 262. 1.
Filij, qui per dignitatem suæ potestatis fiunt, retinent Iura suorum. 307. 4.
Filius familias obligari potest? 473. 2.
Filius familias impubes patre auctore non potest obligari. 375. 4.
Filio familias mutuam pecuniam dari prohibet S.C. Macedonianum. Quod tamen cessat in quibusdam casibus. 631.
Filius familias S.C. Macedoniano renunciare non potest. 632. 1.
Fiscus, vel Cæsar, vel Augusta, rem alienam alienando, accipientem iusto titulo, statim faciunt securum. 215. 1.

Flumen publicum definitur. 151. 3.
Flumina, & portus vsu communia sunt, proprietate autem sunt populi. 151. 4.
An, & quando pars agri per vim fluminis vicini agro adiecta, adquiratur vicino. 165. 1.
Fœminæ in potestate liberos non habent. 307. 3.
Fratres patrueles, consobrini, vel amitini qui dicantur. 409. 1.
Fructus qui intelligantur. 178. 4.
Fructus pecudum qui dicantur. 172. 4.
Fructus percepti ex re aliena bona fide quando & quatenus acquirantur. 178.
Fructus tacitè intelliguntur pignori esse domino fundi locati. 592. *in princ.*
Frumento duorum commixto, quomodo quilibet suum frumentum consequatur. 171. 4.
Frumentum alienis spicis excussum eius est, cuius & spicæ fuerunt. 169. *in princ.*
Funeris impensa omne creditum solet præcedere. 348. 3.
Furor quid sit. 121. 1.
Furiosi, & prodigi cura. 121.
Furiosus an possit hereditatem acquirere ex testamento. 309. 2.
Furtum natura turpe est. 539. 1.
Furti definitio explicatur. 538. 2.
Furtum vnde dictum. 539. 2.
Furtum Conceptum, Oblatum, Prohibitum, & non exhibitum. 540. 4. & 541.
Furtum manifestum, vel nec manifestum. 540.
Furti manifesti, vel nec manifesti pœna. 542. 1.
Furti nec manifesti tenetur furtiuam rem scienter suscipiens, & celans. 541. 4.
Furti manifesti actio quamuis prætoria sit, tamen perpetuò datur. 648. 2.
Furti tenetur is, cuius ope consilio furtum factum est. 545. 3. & *seq.*
Furtum committit, qui mala fide alienam rem vendit. 209. 3.
Furtum committit creditor si pignore vtatur, & depositarius si vtatur re deposita. 542. 4.
Furtum, an, & quando committat commodatarius, qui re aliter vtitur, quam vtendam acceperit. 543. 2. & *seq.*
Furtum generaliter fit, cùm quis alienam rem non ex voluntate domini contrectat. 542. 4.
Furtum fit interdum liberorum hominum. 544. 4.
Furtum committit quis aliquando & in re sua. 545. 2.
Furti, an, & quando obligetur impubes. 552. 4.
Furtum sine affectu furandi non committitur. 543. 2.
Furti affectus sine effectu interdum punitur. 544. 2. & 3.
Furtum rei immobilis non committitur. 211. 3.
Furtiuæ rei vindicatio datur aduersus quemlibet possessorem. 553. 1.
Furtiuæ rei condictio heredem quoque furis obligat. 553. 3.
Fures quibus actionibus teneantur. 599. 3.
Furti actio merè penalis est. 553. 1.
Non nascitur inter patrem, & filium familias, dominúue & seruũ. 547. 2

Non datur pro re modica. 162. 4.
Non datur depositario. 552. 1. & 2.
Datur ei, cuius interest rem saluam esse, licet dominus non sit. 548. 1.
Datur creditori de pignore subrepto, etiam ab ipso debitore. 548. 4.
Datur bonæ fidei possessori. 550. 1.
An, & quando detur fulloni, aut sarcinatori. 549. 3. & 4.
An, & quando detur commodatario. 551. 1. & *seq.*

G

Gradus cognationum 407. & 4. *seqq.*

H

Habitatio quid sit, & quomodo ab usu, itemque usufructu differat. 204.
Heredem facere non potest prætor. 424. 4.
Heredis institutio quid? 270. 2.
Heredes qui instituí possint. 269. 4.
Heres & purè, & sub conditione institui potest: ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest. 278.
Heredis institutioni dies adiectus, habetur pro non scripto. ibid.
Heres institutus ex certis rebus, si coheredem non habeat, fit heres universalis, aliàs legatarij loco habetur. 294. 4.
Heredes plures instituti, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus heredes fiunt. 276. 1.
Heredes scripti sine parte, alijs certis ex partibus institutis, ex qua parte heredes fiant. ibid.
Hereditatis parte aliqua vacante, aut deficiente, quid iuris sit. Et quid si plus asse paterfam. distribuit, & aliquem sine parte fecit heredem? 277.
Heredes aut necessarij dicuntur, aut sui, & necessarij, aut extranei. 305. 1.
Heres necessarius quis sit. ibid.
Heredes sui, & necessarij, qui sint. 306. 3.
Heredes sui etiam ignorantes, & furiosi fiunt heredes ipso iure. 374. 1.
Heredes sui & necessarij possunt se abstinere ab hereditate beneficio prætoris. 306. 3.
Heres suus parenti efficitur, qui ab hostibus patre mortuo reuertitur. 375. 1.
Heres suus excluditur, fisco prælato, si perduellionis fuerit damnatus pater post mortem suam. 375. 2.
Heres suus an quis existere possit, quo tempore quærendum sit. 377. *in princ.*
Heres suus auo, an, & quando fiat nepos natus post mortem aui. 377. 3.
Hereditas inter suos heredes quomodo sit dividenda. 376.
Heredes extranei qui sint. 307. 3.
Heredes extranei tribus temporibus hereditatis capaces esse debent. 308. 1.
Heredibus extraneis datur tempus ad deliberandum. 311. 1.
Heres extraneus quomodo possit hereditatem acquirere, vel recusare. 311.
Heres quandoque cogitur adire. 347. 4.
Heres legatorum nomine quasi ex con-

contractu tenetur. 524. 1.
Heres, qui non facit inuentarium, legatarijs tenetur supra vires hereditarias. 311. 2.
Hereditas quid sit? 270. 2.
Hereditas, vel ex testamento, vel ab intestato ad nos pertinet. 235. 4.
Hereditas quandiu potest ex testamento adiri, ab intestato non defertur. 236.
Hereditate non adita, nihil valet ex his, quæ testamento scripta sunt. 106. 2.
Hereditas in plerisque, personæ defuncti vicem sustinet. 461. 2.
Hereditas plerumque diuiditur in duodecim vncias, quæ assis appellatione continentur. Et harum partium propria nomina. 274.
Hereditates ab intestato quomodo hodie deferantur. 369. & seq.
Hereditates intestatorum ex l. 12. tab. primum ad suos heredes pertinent. 372. 3.
In hereditatibus legitimis olim successio non erat: 394. 4.
Hereditates, quæ ex nouis legibus deferuntur, minima capitis deminutione non pereunt. 401. 4.
Homicidij pœna. 683. 2. & 3.
Hominum genus vnum erat Iure naturali, Iure gentium tria hominum genera sunt. 29.
Hominis liberi corpus, nullam recipit æstimationem. 581. 1.
Hostes qui sint. 163. 1.
Ex hostibus capta nostra fiunt. 163. in princ.
Ex hostibus capti, an, & quando hodie capientium fiant. 163. 2.

I

Imperator cur dicatur Cæsar, Flauius &c. 1. & 2.
Indebitum accipiens, quasi ex contractu debere videtur. 446. 3. & 524. 2.
Indebitum per errorem solutum repetitur indebiti condictione. 445. 4.
Indebitum per errorem solutum quãdo repeti non possit. 525. 1. & seq.
Infamia notantur ex quibusdam Iudicijs damnati, vel etiam pacti. 672.
Infans, & infanti proximus quis? 473. 2.
Infans alium sibi obligare non potest. 111. 3.
Ingenui definitio. 26. 4.
Inimicitia capitalis quæ dicatur iudicis arbitrio relinquitur. 135. 3.
Iniuria quot modis accipiatur. 569.
Iniuriæ, seu contumeliæ definitio. 569. 2.
Iniuria quibus modis fiat. 570. & seq.
Iniuriam patitur quis etiam per liberos suos, & per vxorem suam, nurumue. 571. 3.
Iniuria, an, & quando per seruos domino fieri videatur. 572. 3. & 4.
De Iniuria facta seruo plurium. 573. 2.
De Iniuria facta seruo fructuario. 573. 3.
De Iniuria facta libero homini, vel seruo alieno bona fide possesso. 573. 4.
Iniuriarum actionem lex Cornelia intro-

introduxit in tribus casibus. 576. 1.
Iniuria quænam æstimetur atrox. 576. 3. & 4.
Iniuriam passus potest, vel criminaliter agere, vel ciuiliter. 577. 3. & 4.
Iniuriarum criminaliter agere, vel conueniri possunt Illustres personæ per procuratorem. 577. 3.
Iniuriarum tenetur etiam ille, qui alicui per alium fecit iniuriam. 578. 1.
Iniuriarum pœna. 574. 2. & *seq.* & 577. 2.
Iniuriarum actio quomodo tollatur. 578. 3. & 4.
Inquilini res tacitè intelliguntur pignorata domino ædium: non autem res colloni domino fundi. 501. 4.
Institores qui sint. 626. 4.
Institutiones sunt totius legitimæ scientiæ prima elementa. 6. 3.
Instrumento creditur, quo dicitur stipulantem, & promittentem præsentes fuisse. 477. 1.
Insula in mari nata, occupantis fit. 165. 1.
Insula in flumine nata, cuius sit. ibid.
Interdictio aquæ & ignis. 98. 1.
Interdicta vnde nuncupata. 662. 3. & 4.
Interdictorum descriptio. 660.
Interdicta omnia sunt prætoria. 660. 3.
Interdicta dantur non solùm de possessione, sed etiam interdum de proprietate, & possessione simul. Nulla verò sunt de proprietate sola. 660. 4.
Interdictorum prima diuisio est, quod aut Prohibitoria sunt, aut Restitutoria, aut Exhibitoria. 661. 1.
Prohibitoriorum exempla sunt:
Interdictum Vti possidetis, & Vtrubi. 661. 3.
Interdictum de mortuo inferendo. 661. 3.
Interdictum Ne quid in loco sacro fiat. 661. 3. & 4.
Interdictum de fluminibus. 661. 3.
Restitutorium exempla sunt:
Interdictum Quorum bonorum. 662. 1.
Interdictum Vnde Vi. 662. 1.
Exhibitorium exempla sunt.
Interdictum de libero homine exhibendo. 662. 2.
Interdictum de liberto exhibendo. 662. 2.
Interdictum de liberis exhibendis. 662. 2.
Interdictorum secunda diuisio est, quod quædam adipiscendæ possessionis causa comparata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ.
Interdictorum Adipiscendæ possessionis exempla sunt.
Interdictum Quorum bonorum. 663. 3.
Interdictum Saluianum. 664.
Interdictorum Retinendæ possessionis exempla sunt.
Interdicta Vti possidetis, & Vtrubi. 665. 3. & 4. & 666. 1.
Interdictum Recuperandæ possessionis est Interdictum Vnde vi. 667. 4. & 668.
Interdictorum tertia diuisio est, quod aut simplicia sunt, aut duplicia, de quibus vide pag. 668. in fine.

Interdictis non agitur hodie, sed vtilibus actionibus in factum ad exemplum Interdictorum. 669. 3.
Intestatus quis decedat. 371. 4.
Inuentarij beneficium. 310. 4.
Inuentoris fiunt, quæ in litore maris inueniuntur. 163. 4.
Inundatione an proprietas fundi amittatur. 167. 1.
Iudex malè iudicans quid præstare debeat. 579. 3.
Iudex non debet aliter iudicare, quàm quod legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. 674. *in princ.*
Iudex quid obseruare debeat
In Iudicio noxali. 674. 2.
In actionibus realibus. 674. 4. & 675.
In actione ad exhibendum. 676.
In actione familiæ erciscundæ. 676. 4
In actione cõmuni diuidundo. 677. 2.
In actione finium regundorum. 677. 4. & 678.
Iudicia omnia hodie sunt extraordinaria. 669. 3.
Iudicij principium est litis contestatio. 671. 2.
Iudicium petitorium, & possessorium non potest Iure Ciuili cumulari. 665. 4.
Iudicia publica, & popularia quomodo differant. 679. 1.
Iudicia publica, quomodo à priuatis differant. 679. 3.
Iudicia publica vnde dicta. 679. 4.
Iudicorum publicorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Et quæ sint capitalia, & quæ non capitalia. 680.
Iudicia publica hæc sunt:
Lex Iulia maiestatis. 681.
Lex Iulia de adulterijs. 681. 4.
Lex Cornelia de Sicarijs, & Veneficis. 683.
Lex Pompeia de parricidijs. 684. & *seq.*
Lex Cornelia de falsis. 685. 3. & *seq.*
Lex Iulia de vi. 686. 2. & *seq.*
Lex Iulia Peculatus. 687. 3. & *seq.*
Lex Fabia de Plagiarijs. 688. 1. & 2.
Lex Iulia de Ambitu, Repetundarum, de Annona, & de Residuis. 688. 3.
Iuramentum calumniæ. 670. 3. & 4.
Iusiurandum deferens, prior de calumnia iurare debet, si hoc exigatur. 361. 1.
Iusiurandum referre potest reus regulariter. 361. 2.
De Actione in factum ex Iureiurando. 595. 4.
Ius accrescendi etiam inter legitimos heredes admittitur. 402. 3.
Ius omne, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. 23. 1.
Iuris finis. 23. 2.
Iuris scientia necessaria est ijs, quibus Reipublicæ gubernatio committenda est. 7. 4.
Ius & diuinas & humanas res bene disponit. 9. 4.
Iuris præcepta vniuersalia, quæ sint. 10. 4.
Iuris studium positum est in edisc endo Iure publico, & priuato. 11. 1.
Ius publicum quid, & in quibus consistat. 11. 1. & 2.
Ius priuatum quid, & ex quibus præceptis collectum. 11. 1.

Iuris naturalis definitio, & exempla. 12. 1.
Iura naturalia sunt immutabilia: Ciuilia sæpè mutantur. 22. 1.
Ius naturale An cum brutis propriè nobis sit commune. 12. 4.
Iuris naturalis, & Iuris gentium differentia. ibid.
Iuris gentium, & Iuris Ciuilis origo. 158. 1.
Ius gentium definitur. 13. 4.
Ius gentium diuiditur in primarium, & secundarium. 14. 1.
Ius gentium primarium est immutabile, secundarium mutabile est. 22. 2.
Ius gentium omni humano generi commune est. 15. 2.
Ius Ciuile definitur. 13. 3.
Ius Ciuile à Iure gentium distinguitur. 13. 1.
Ius Ciuile ex vnaquaque Ciuitate appellatur, & indefinitè dictum, Ius Romanorum significat. 14. 2.
Ius Ciuile Romanorum, quare Ius Quiritum appelletur. ibid.
Ius Ciuile constat ex scripto, aut ex non scripto, & Iuris scripti sex sunt partes. 16. 1.
Ius non scriptum. 21.
Ius honorarium. 19. 4.
Iuris Consulti qui, & de responsis eorum. 20. 2.
Iura sanguinis nullo Iure Ciuili dirimi possint. 96. 2.
Iurisprudentia definitur. 9. 4.
Iurisprudentia æquum ab iniquo separat, & licitum ab illicito secernit. 10. 1.
Iurisprudentia media quæ sit. 262. 3.
Iustitiæ definitio. 9. 2.

L

LAesæ Maiestatis crimen non committit non subditus. 681. 3.
Læsæ Maiestatis pœna. 681.
Legatum quid. 313. 3.
Legatorum olim genera quatuor. 314. 3.
Legata à fideicommissis in quibus olim differebant. 316.
Legata hodie fideicommissis exæquata. 315. 4.
Legari potest etiam res aliena. 317. 1.
Legata re aliena, si eius rei legatarius dominus factus fuerit quid iuris. 320.
Legata re aliena, in qua Ius aliquod testator habet, Ius suum duntaxat videtur legasse. 318. *in princ.*
Legata re communi, partem suam duntaxat testator legasse intelligitur. 317. 4.
Legata re creditori obligata quid iuris. 319. 2.
Legatarius, cui eadem res ex duobus testamentis debetur, si rem ex testamento consequutus sit, agere non potest: si æstimationem, agere potest. 320. 1.
Legatarius, si proprietatem fundi alieni sibi legati emerit, & vsusfructus ad eum peruenerit, quid. 322. 1.
Legatur rectè ea res, quæ in rerum natura non est, si modò futura est. 320. 4.
Legata re, de qua dubitatur, an sit in rerum natura, quid faciendum. 321.

Legata eadem re duobus, quid. ibid.
Legatum an valeat, si res legatarij ei legetur. 322. 3.
Legatum an vitietur per errorem testatoris. 323. 1.
Legatum an, & quando per alienationem rei legatæ revocetur. 323.
Legatum an revocetur per pignorationem rei legatæ. 323. 4.
Legatum extinguitur, si res legata perit, vel desinit esse in commercio sine facto, & ante moram heredis. 327. 2.
Legatis pluribus rebus, si quædam pereant quid iuris. 328.
Legatum an extinguatur, si exegerit vivus testator nomen, quod legauerat. 332. 4.
Legari possunt tàm corporales res, quam incorporales, & etiam facta. 332. 2.
Legari non potest res, cuius commercium non est, vel cuius commercium legatarius non habet. 318. 1.
Legatur vtiliter debitori liberatio, vel exactionis dilatio. 324. 2.
Legatum liberationis quomodo euanescat. 324. 3.
Legato debito creditori, an, & quando sit vtile legatum. 325. 2.
Legata dote vxori, quando valeat legatum. 326. 2.
De legato gregis, vel vsufructus eiusdem. 329. 3.
De legato ædium. 330. 2.
De peculio legato. 330. 3.
De re generaliter legata: An videlicet, & quando, legata re generaliter, legatum valeat, & cuius electio sit. 333.
De optione legata. 334.
Quibus legari possit. 335. *in princ.*
Legari non poterat olim incertis personis, neque postumo alieno, hodie potest. 335. *& seq.*
Legatum non vitiat error in nomine legatarij. 337. 3.
Legatum non perimit falsa demonstratio. 338. 1.
Legatum non vitiat falsa ea vsa legato adiecta. 339.
Legatum seruo heredis relictum, an, & quando valeat. 339.
Legatum domino relictum, herede instituto seruo, an & quando sit vtile. 339. 4.
Legatum, quod moriente continuò testatore infirmum esset, postea non confirmatur. 339. 2.
Legatum relinquere hodie licet, & ante heredis institutionem. 340. 4.
Legatum relinqui potest hodie post mortem quoque heredis, aut legatarij. Item pridie quàm heres, aut legatarius morietur. 341. 1.
Legatum pœnæ nomine relictum, an, & quando valeat. 343. 2.
Legatum valet, licet impossibilitas imponatur legatario, secus si heredi. 343. 3.
Legatorum ademptio. 343. 4.
Legatorum translatio. 344.
Legati conditionalis spes ad heredes non transmittitur. 456. 4.
Legatum relictum sub conditione, quæ in non faciendo concepta sit, quando debeatur. 456. 2.
Legatarius partiarius. 354.
Legatum ignoranti acquiritur. 313. 4.
Legata peti possunt actione personali, reali, & hypothecaria. 315.
Legatarius, si testatore mortuo decedat,

dat, ad heredem suum transmittit legatum. 322. *in princ.*
Lege Falcidia cauetur, ne plus liceat legare, quàm dodrantem totorum bonorum. 345. 2.
Legis Falcidiæ commodo hodie testator heredem priuare potest. 346. 1.
Legis Falcidiæ commodum non habet heres, si non fecerit Inuentarium. ibid.
Legis Falcidiæ ratio in singulis heredibus ponenda est. 346. 3.
In ratione legis Falcidiæ, quantitas patrimonij, mortis tempore spectatur. 347. 1.
Cum ratio legis Falcidiæ ponitur, quæ ante deducantur. 348.
Falcidia vna seruatur in Tabulis patris, & filij. 286. 4.
Legis Aquiliæ Caput Primum. 557. 4.
Caput Secundum. 564. 4.
Caput Tertium. 565. & 566. 4. & 567. 1.
In lege Aquilia quid sit iniuria occidere. 559. 2.
Lege Aquilia tenetur quisque ex culpa non minùs quàm ex dolo, & culpæ varia exempla. 560. *& seq. Vide* 566. 4.
In lege Aquilia Imperitia culpæ adnumerantur, & Imperitiæ exempla. 561. 4. & 562.
Legis Aquiliæ Verba illa: Quanti ea res in eo anno plurimi fuerit: explicantur. 562. 4. & 563.
Legis Aquiliæ Actio an sit pœnalis. Et an, & quando transeat in heredem. 563. 1. & 2.
Legis Aquiliæ Actio directa quando competat, & quando vtilis, & quando actio in factum. 568. 1.
In lege Aquilia ratio habetur etiam eius, quod nostra interest corpus non esse peremptum, & huius rei exempla. 563. 3. & 4.
Cum lege Aquilia quando concurrat accusatio ex l. Cornelia de sicarijs. 564. 3.
Lex Aquilia Plebiscitum est. 567. 2.
Lex Cornelia. 79. 4.
Lex Fusia Caninia explicatur. 42.
Lex Regia. 18. 2.
Legis Velleiæ capita duo. 266.
Lex quid sit, & quomodo à Populo ferebatur. 16. 3.
Leges per dessuetudinem abrogantur. 22. 3.
L. 1. ff. de vsu, & vsufr. leg. conciliatur cum princ. tit. Instit. de rer. diuis. 150. *in princ.*
L. 1. ff. de legat. 1. explicatur. 316. 3.
L. 1. §. vlt. ff. de reg. Caton. explicatur. 323.
L. 1. §. contumeliam, & l. 5. §. si quis librum ff. de Iniurijs, conciliantur cum princ. tit. Instit. de oblig. quæ ex del. nasc. 538. 1.
L. 1. C. de precario, & l. 1. in princ. & in §. 1. ff. de Salu. Interdicto, conciliantur. 664. 1.
L. 2. §. Quædam interdicta, ff. de Interdictis, explicatur. 660. 4.
L. Ad testium 22. *§. Signum ff. de testamentis, emendatur.* 242. 2.
L. Alieno seruo 31. *§. vlt. ff. de fideicom. liber. conciliatur cum l. Imperatorem* 22. *§. Si testamentarius, ff. ad l. cornel. de falsi.* 364.
L. Athletæ 8. *§. Remittuntur ff. de excus. tut. conciliatur cum l. propter magistratum ff. cod.* 131. 3.
L. Athletæ 8. *§. vlt. ff. de excus. tut.*

conciliatur cum §. Similiter eum, Inſtit. eod. tit. 134.1.

L. Cognitio 4. *ff.de offic. eius conciliatur cum l.*1. *§.Suſpecti C. Ad S.C. Turp.* 142.4.

L. Creditoris 15. *ff.de furtis declaratur.* 549.1.

L. Falſus 44. *§. Si iactum ff.de furtis conciliatur cum §. Alia cauſa, Inſt. de rer. diuiſ.* 187.3.

L. Fideicommiſſa 11. *§.Si ſeruo ff.de leg.*3. *explicatur.* 318.1.

L. Si filiusfamilias 117. *§. Si quid ff. de leg.*1. *explicatur.* 318. 2.

L. Fructus 45. *ff.de vſuris explicatur.* 178.2.

L. In fraudem 16. *§. Teſtamentum ff.de milit. teſt. conciliatur cum §. Sed & ſi quis, Inſt. de milit. teſt.* 252.4.

L. In lege 45. *ff.ad leg. Aquil. explicatur.* 566.3.

L. Labeo 10. *ff.de ſeru.ruſtic.præd.& l.ſi ſeruus* 22. *§. vlt. ff. de ſeruit. Vrb.præd. conciliantur cum §.Ideo autem, Inſt. de ſeru. ruſt. & vrb. præd.* 193. 4.

L. Miles ita 42. *§. Exheredatio ff. de milit.teſtam.emendatur.* 288.3.

L. naturaliter 12. *ff.de acqu. vel amit. poſſ. expheatur.* 234. 2.

L. poteſt 71. *ff. Ad leg. Falcid. conciliatur cum princ.tit. Inſtit. deleg. Falc.* 345. 3.

L. pupillus 58. *ff. de act. & oblig. & ſimiles, conciliantur cum l.*1. *& ſimil.ff.de nouat.* 112. 1.

L. Qui ſaccum 79. *ff.de furtis, conciliatur cum §.Item is ad quem, Inſt. de vſucap.* 211.

L. Sabinus 20. *ff. de contraben. empt. conciliatur cum l. Item ſi pretio* 25. *§. Cùm inſulam ff. locat. conduct.* 505. 4.

L. Sed ſi res 42. *ff.de leg.* 1. *emendatur.* 318. 2.

L. ſi cui 5. *ff.de fund. inſtruct. explicatur.* 328. 4.

L. ſi epiſtolam 65. *§. ſi qua inſula, ff. de acquir. rer. dom. conciliatur cum §. Et quidem, de rer. diuiſ.* 151. *in princ.*

L. ſi hereditas 10. *§. vlt. ff.de teſt. tut. conciliatur cum §. Sed & ſeruus, Inſt. qui teſt. tut. dar. poſſ.* 91. 2.

L. Si is qui filium 11. *ff. de adop. conciliatur cum §. Sed ſi quis, Inſtit. eod.* 70. 3.

L. Si Miles 6. *ff.de milit. teſt. conciliatur cum l.*3. *C. de teſt. mil.* 275. 4.

L. Si pater familias 40. *ff.de hered. inſtit. emendatur.* 284. 2.

L. Si plures 6. *§. vlt. ff. arb. fur. cæſ. conciliatur cum §. Si Titius, Inſtit. de rer. diuiſ.* 175. 3.

L. Si tamen 15 *ff.de teſt. tut. conciliatur cum §. Certæ autem. Inſt. Qui teſt. tut. dar. poſſ.* 92. 4.

L. Soluere 53. *ff. de ſolut. conciliatur cum l. Inuito* 70. *ff. de reg. Iur.* 530. 1.

L. Vtrum 9. *ff.de aſſig. libert. explicatur.* 422. 4.

Ll. quædam tit. ff. Ad S. C. Macedon. conciliantur. 631. 3.

Legitima quanta ſit. 302. 2.

Legitimæ ſupplementum intra triginta annos peti poteſt. 302. 2.

Legitima pars filio repleri debet, licet poſt obitum patris, quod ſibi relictum eſt agnouerit. ibid. 3.

Legitima portio liberis, an relinquenda

da sit hodie Iure hereditorio. 304. 3.
Liberi nostri quæ nobis acquirant. 229.
Liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique qui ex his descendunt continentur. 93. 2.
Liberi qui heredes instituti, vel exheredari debeant. 267. 3.
Liberi naturales, quomodo per oblationem Curiæ, vel subsequens matrimonium legitimi fiant, & quodnam Ius acquirant. 63. & 64.
Liberi incestuosi ex æquitate canonica alendi sunt à parentibus. 63.
Libertas definitur, & definitio explicatur. 23. & 24.
De libertate per fideicommissum, vel directò data in Testamento. 363.
Libertas est res inæstimabilis. 40.
Libertinorum definitio. 29.
Liberti, & libertini qui.
Libertinorum status olim triplex, hodie omnes libertini facti sunt Cives Romani, & ingenui. 32. & 35.
Libertus Orcinus, siue Acheronticus. 364. 2.
Libertis qualiter succedebatur olim. 415. & seq. *Et qualiter hodie succedatur.* 418. & seq.
Libertorum assignatio explicatur. 421. & seq.
Libertus, an possit assignari filio emancipato. 422. 4.
Libri Iuris Ciuilis quo ordine sint conscripti. pag. 4.
Litigantium temeritas coercetur Iurisiurandi religione. 670. 3. & 4.
Pecuniaria pœna. 671. 1.
Infamiæ metu. 672.
Litus maris quid sit. 152.
Litora maris sunt communia. 150. 3.
Litora cuius Iurisdictionis sint. 153. 3.
Locationis, & conductionis definitio. 502. 1.
Locatio, & conductio sola conuentione de mercede contrahitur. ibid.
Locatio, & conductio, an, & quando valeat, mercede in arbitrium tertij collata. 502. 4.
Locationis, & conductionis merces, debet esse certa. 502. 4.
Locatio contracta intelligitur cum artifex rem efficit ex aliena materia, constituta mercede. 505. 3.
Locatore mortuo, heres eius in locatione succedit. 507. 1.

M

Magister nauis quis dicatur. 626. 3.
Magister officiorum quis. 5. 3.
Mandati definitio. 513. 1.
Mandatum contrahitur
Mandantis tantùm gratia. 513. 3.
Mandantis, & mandatarij. ibid.
Aliena tantùm causa. 514. 2.
Mandantis, & aliena. ibid. 3.
Mandatarij, & aliena. 519. *in princ.*
Mandantis, & mandatarij, & aliena. 513. 2.
Mandatum mandatarij tantùm gratia magis consilium, quàm mandatum est. 515. 2.
Mandatum contra bonos mores non est obligatorium. 516. 1.
Mandatum, & in diem differri, & sub conditione fieri potest. 518. 4.

Man-

Mandatum debet esse gratuitum, alias transit in aliam speciem contractus. 519. 2.
Mandatum non suscipere cuilibet liberum est, susceptum autem consumandum est, aut tempestiuè renunciandum. 518. 1.
Mandatarius audiendus est, si instam causam alleget, quare non renunciauit, aut renunciauit intempestiuè. 518. 3.
Mandati fines diligenter custodiendi sunt. 516. 4.
Mandatarius, qui fines mandati excessit, vsque ad fines mandati agere potest. 516. 3.
Mandati actionem habet, qui mandatorem mortuum ignorans, executus fuit mandatum. 517. 3.
Mandatum soluitur
Si res adhuc integra fuerit reuocatum. 517. 1.
Si adhuc integro mandato interueniat mors mandantis, vel mandatarij. 517. 4.
Renunciatione tempestiuè facta. 518. 1. & 2.
Manumissionis definitio, & origo. 29. *in princ.*
Manumissio quibus modis procedat. 30. 2.
Manumissio omni tempore, & quolibet loco fieri potest. 31. 4.
Manumittere non licet in fraudem creditorum. 35. *Et quis manumittere videatur in fraudem creditorum.* 38
Manumittere non potest minor 20. annis, nisi cum causæ cognitione. 38. 4. *Excipe in manumittente in vltima voluntate.* 41. *in princ.*
Maritus, vel sponsus potest esse procurator vxoris suæ, vel sponsæ: non tamen curator. 141. 1.
Mater, si tutores liberis non petierit, ab eorum impuberum morientium successione repellitur. 400. 1.
Mater etiam filio vulgò quæsito succedit. 400. 3.
Miles prætereriens liberos, quando eos rectè exheredasse intelligatur. 268. 3.
Monumentum quomodò à sepulchro differat. 151. 1.
Mulieres, in quibus actibus possint, vel non possint esse testes. 243. 1.
Mutiana cautio. 456. 2.
Mutui definitio. 445. 1.
Muti datio in quibus rebus consistat. 444. 3.
Mutuo datum fit accipientis. Ideoque in mutuo oportet dominum esse dantem. 445. 1.
Mutuo damus recepturi aliam rem eiusdem generis. 445. 2.
Ex mutuo nascitur certi condictio. 445. 1.

N

Naturalia Iura Ciuilis ratio perimere non potest. 380. 3.
Negotiorum gestio est quasi contractus. 520. 3.
Negotiorum gestorum actio directa, & contraria. 520. 3. *& seq.*
Negotiorum gestor an præstare debeat diligentiam exactam, vel exactissimam. 521. 4.
Nepos ex filio tuo conceptus antequã filium emancipares, vel in adoptionem

nem dares, in potestate tua nascitur. 84. 1.
Nouatio quid sit, & quot modis fiat. 534. 2.
Nouatio quando hodie fiat. 535. 3.
Nouatione tollitur obligatio. 533. 4.
Noxa, & Noxia quid. 633. 4.
Nuptiæ definiuntur. 47. 3.
Nuptias non concubitus, sed consensus facit. 47. 4.
Nuptias iustas qui contrahant inter se. 51.
Ad nuptias contrahendas ætas necessaria. 51. 4.
Nuptiæ prohibitæ sunt inter parentes, & liberos etiam adoptiuos. 53. 3.
Nuptiæ nefariæ, itemque incestuosæ. 54. 1.
Nuptiæ inter fratrem, & sororem adoptiuam, an, & quando consistere possint. 54. 3.
Nuptiæ inter transuersales prohibitæ sunt vsque ad quartum gradum. 54. 4.
Nuptiæ quatenus prohibeantur affinitatis ratione. 57.
Nuptiæ iniustæ sunt cum filij, patrisue sponsa. 59. 3.
Nuptiarum aliæ prohibitiones. 60. 4. & 61.
Nuptias contrahere, an, & quando possit raptor cum rapta. 61. 1.
Pœnæ eorum, qui contra legum præcepta nuptias contrahunt de facto. 61. 2. & 62. 4.

O

Obligatio quid sit. 441. 2.
Obligatio quotuplex sit. 442. in fin. & 444.
Obligationes Ciuiles quæ sint, & quæ Prætoriæ. 442. 4. & 443.
Obligatio quibus modis re contrahitur. 444. & seq.
Obligatio verborum quomodo contrahatur, & quænam actiones ex ea nascantur. 451. 1.
Obligatio verborum quomodo à stipulatione differat. 451. 3.
Obligatio literarum. 492. 2.
Obligationes ex consensu. 493. 3.
Obligatio naturalis necessitate soluendi non adstringit, eiusque exempla. 442. 3.
Obligationū quasi ex contractu quinque species. 520. & seq.
Obligatio per quas personas nobis adquiratur. 526. & seq.
Obligatio nobis acquiritur per seruos nostros. 527. in princ.
Obligatio quatenus nobis acquiratur:
Per liberos nostros. 527. 1. & 2.
Per liberos homines, & seruos alienos, quos bona fide possidemus. 527. 4.
Per seruum, in quo vsumfructum habemus. 528. 1.
Per seruum communem pro qua parte dominis adquiratur. 528. 2. & seq.
Obligatio tollitur, vel ipso Iure, vel ope exceptionis. 529. 2.
Obligatio tollitur solutione. 529. 1.
Acceptilatione. 530. 3. & seq.
Nouatione. 533. 4.

Contrario consensu tollitur obligatio nudo consensu contracta. 535. 4.
Obligationes, quæ ex delicto nascuntur. 537. 3.
Obligationes, quæ quasi ex delicto nascuntur. 579. & 3. *seq.*
Occupanti conceduntur res nullius. 159. 2.
Occupatio est Iuris gentium nihilominus Ius Ciuile ei modum præscribit. 159. 3.
Oculi testes sunt certiores auribus. 411. 4.
Oraculum. 72. 3.
Orationes Principum. 298. *in princ.*

P

PActum nudum quandoque obligationem producit. 443. 2.
Partus ancillæ in fructu nō est. 179. 4.
Parentes, & patroni, item parentes, & liberi patronorum non possunt sine prætoris venia in ius vocari. 671. 1.
Parricidij pœna. 684. & *seq.*
Patres familias, & filij familias qui sint. 52. *in princ.*
Pater non tenetur pro filio familias Iudice malè iudicante. 581. 4.
Patria potestas, cuius sit Iuris, quibus competat, eiusque vis. 49.
Patria potestas soluitur
Morte parentis: cum distinctione tamen. 73. 4.
Deportatione. 74. 3.
Seruitute pœnæ. 76. *in princ.*
Dignitate. 77. 1. & *seq.*
Captiuitate. 78.
Emancipatione. 80. 2.
Datione in adoptionem. 83. 3.
Patriciatus dignitas. 77. 1.
Patricij qui. 17. 3.
Pauperies quid sit. 639. & *de actione de pauperie.* 637. & *seq.*
Pecudum numero quænam quadrupedes sint. 553. 2.
Peculatus crimen quodnam sit, & quæ sit eius pœna. 687. 4.
Peculium quid sit. 629. 2.
Peculium filij fam. quadruplex, & quid iuris in quoquo peculio habeat filius fam. vel pater fam. 229.
Pecunia otiosa. Pecunia occupata. 515. 4.
Personarum diuisio prima. 23.
Diuisio secunda. 44.
Subdiuisio. 85. 2.
Picturæ cedit tabula. 176. 4.
Pignorum distractio, an, & quando à creditoribus fieri possit. 224. & *seq.*
Pignoris definitio. 450. 1.
Pignus quomodo ab hypotheca differat. ibid. 2.
Pignoratitia actio directa, & contraria. 450. 3.
Pignus accipiens tenetur etiam de culpa leui. 451. *in princ.*
Piscandi ius omnibus commune est in portu, fluminibusque. 151. *in fin.*
Piscari in alieno lacu, vel stagno, an liceat. 159. 4.
Plagiarij qui dicantur, & quæ pœnæ puniantur. 688. 2.
Planta cedit solo, si modo radices egerit. 175. 1.
Plebiscitum quid sit, & quam hodie habeat vim. 17.
Plebs à populo quomodo differat. 17.
Plus petitur quatuor modis. 618. 4.
Plus petentium pœna. 619. 4.

Minus petens, sine periculo agit. 620. 1.
Petens aliud pro alio, potest suum errorem emendare. 620. 2.
Pontificatus Maximus decernebatur a Senatu Romanis Principibus. 155. *in princ.*
Portus quid sit, & vnde dicatur. 151. 3.
Possessio, rerum corporalium est: quasi possessio, rerum incorporalium; 660. 3.
Possessio quomodo acquiratur, retineatur, vel amittatur. 666. 4. & 667.
Possidere pro herede, aut pro possessore quis videatur. 663. 4.
Postliminium. 78. 1.
Postumi sui qui dicantur, & qui alieni. 89. 2.
Postumi liberi, vel heredes institui debent, vel exheredari. Alioquin eorum agnatione rumpitur testamentum. 263. 1. *Hodie tamen exheredatio postumi sublata est.* 263. 3.
Postumus alienus heres institui hodie, potest, etiam Iure Ciuili. 337. 2.
Postumorum loco qui sint. 265.
Potestas dominorum in seruos. 44. 3. & *seq.*
Prædia stipendiaria, & tributaria, quæ fuerint. 183.
Prædia Vrbana à Rusticis, quomodo distinguantur. 191. 3.
Præteritio matris, aut aui materni pro exheredatione habetur. 269. 1. *Vide ibid. sub num.* 3.
Prætexta, Prætextati, Prætextatæ. 570. 4.
Prætor executionem pœnæ corporalis non habebat. 147. 4.
Prætorij edicti auctoritas. 19. 4.
Princeps, licet legibus solutus sit, attamen legibus viuit. 298. 2.
Principis placitum. 18. 2.
Priuilegium quid, & vnde dicatur. 11. 3.
Probandi necessitas semper incumbit illi, qui agit. 317. 2.
Procuratoris definitio. 641. 4. & 642. *in princ.*
Procurator quibus modis constituatur. 641. 4.
Procurator quot annorum esse debeat. 40. *in princ.*
Procurator esse potest seruus negotiorum. 39. 4.
Procuratores esse possunt infames Iure Ciuili, secus Iure Canonico. 657. 3.
Procuratores esse non possunt milites, neque mulieres. 657. 1. & 2.
Procurator non admittitur regulariter in criminalibus. 578. *in princ.*
Procurator noster nobis etiam ignorantibus acquirit. 234. 4.
Procurator, an, & quando res domini alienare possit. 185. 1.
Prodigus quis dicatur. 121. 2.
Puberes iudicantur masculi anno 14. *completo, fœminæ completo* 12. *anno.* 115. 2.
Pubertati proximi qui dicantur. 475. 3. & 552. 4.
Pubertas plena 18. *annis definitur.* 69. 2.
Pupillus sine tutoris auctoritate contrahens, alterum sibi obligat, at ipse nullum eum non obligatur. 111. 1.
Pupillus sine tutoris auctoritate, an obligetur naturaliter. 112. 1.
Pupillus agens ex contractu, ex quo cum alterius iactura fieret locupletior,

tior, doli mali exceptione submouetur. 111. 4.
Pupillus locupletior factus ex mutuo, vel indebito, ad restituendum obligatur. 446. 2.
Pupillus generaliter ne locupletetur cum aliena iactura, obligatur sine tutoris auctoritate. 446. 2.
Pupillus sine tutoris auctoritate non potest hereditatem adire. 112. 3.
Pupillus res suas sine tutoris auctoritate alienare non potest. 225. 2.
Pupillaris debitor, vt liberetur quomodo soluere debeat. ibid. 4.
Pupillo cum tutore litigaturo datur curator ad litem. 114. 1.
Pupillo non succedunt, qui ei tutores non petierint. 400. 2.
Purpura aliena vestimento intexta, vestimento cedit. 169. 2.

Q

Quæstor sacri palatij, & exquæstor quis. 5. 3.

R

Rapina quid sit. 554. 1.
Raptor tenetur Actione vi bonorum raptorum, & etiam furti: & an, mota vna actione, alia moueri possit. 554. 4.
Raptor, an teneatur furti manifesti, vel nec manifesti. 554. 3.
Rapiens vi rem suam, vel quam suam esse existimat, qua pœna puniatur. 556. 2.
Actio vi bonorum raptorum, quibus detur. 557. 1. & seq.
Actio vi bonorum raptorum est intra annum quadrupli, post annum simplici. Et in quadruplo inest & rei persecutio. 553. 4.
Actio vi bonorum raptorum propriè comparata est in casum quando raptor in ipso delicto non comprehenditur. 553. 3.
Raptus pœna. 287. 2.
Reipublicæ expedit, ne sua re quis malè vtatur. 45. 4.
Reipublicæ summa tuitio ex armis, & legibus venit. 2. 4.
Rei nomen, vnde tractum sit. 459. 2.
Rei duo vt constituantur quæ requirantur. 459. 4.
Rei duo promitendi quomodo hodie tencantur. 460. 3.
Reus ante condemnationem satisfaciens actori liberandus est ab instituta lite. 651. 1.
Relegati ciuitatem Rom. retinent. 75. 3.
Repetundarum quis tencatur, & qua pœna. 689. 1.
Replicatio. 658. 1. & 2.
Rerum diuisio duplex. 149. 3.
Res publicæ à communibus quomodo distent. 150. 1.
Res Vniuersitatis differunt à publicis. 154. 1.
Res Vniuersitatis quæ dicantur. 150. 1. & earum exempla. 153. 4.
Rerum communium exempla. 150. 3.
Res nullius quæ dicantur. 154. 2.
Res sacræ quænam sint. 154. 3.
Res sacræ alienari, & obligari prohibentur. 154. 3. *Exceptiones vide* 155. 1.
Res religiosæ quæ dicantur, & quis locum religiosum facere possit. 154. 3. & 156.

Res sanctæ quæ, & unde dicantur. 157. 1.
Res singulorum quæ dicantur. 158. 2.
Res mancipi, & nec mancipi quæ fuerint. 183. 2.
Res corporales quæ, & quæ incorporales. 188.
Residuorum crimen, eiusque pœna. 689. 3.
Responsa prudentum quænam sint. 20. 2.
Restitutio in integrum nō datur aduersus libertatem. 438. 3.
Ripa quid sit, & cuius sit. 152. 3. & 4.
Ruptum intelligitur quod quoquo modo corruptum est. 565. 2.

S

Sacer locus, etiam diruto ædificio, sacer manet. 154. 4.
Sata solo cedunt. 175. 4.
Satisdare quid. 643. 1.
Satisdatio, seu cautio qualis hodie à Reo in iudicijs exigatur. 645. 1. & 2.
Satisdare quomodo debeat Reus, qui procuratorem constituit. 646. 3. & 4.
Satisdare debet iudicatum solui, qui vult Rei absentis defensionem subire. 647. 1.
Satisdatio Iudicatum solui, tres clausulas habet. 646. 3.
Satisdare de rato quando teneatur procurator actoris. 645. 3. & 4.
Satisdare de rato non tenentur tutores, vel curatores. 646. 1.
Satisdatio tutorum, vel curatorum quid sit. 124. 3.
Satisdare non coguntur tutores, vel curatores testamento dati, vel ex Inquisitione. 124. 2.
Satisdatio tutorum, vel curatorum quatenus in us, qui satisdare non compelluntur, locum habere possit. 125. 1. & seq.
Satisdare an, & quando teneatur curator furiosi. 125. 1.
Satisdationem à tutoribus, vel curatoribus quinam accipiant. 127. *in princ.*
Satisdare si nolint tutores, vel curatores quid. 127. 2. & 3.
Scriptura cedit chartæ. 176. 2.
Semestria. 128. 1.
Senatores qui. 17. 4.
Senatus potestas. 18. 1.
Senatus Consultum quid. 18.
Senatus Consultum Macedonianum. 631. & seq.
Senatus Consultum Orphitianum. 400. 4.
Senatus Consultum Pegasianum. 353. 1.
Senatus Consulti Pegasiani in Trebellianum translatio. 357.
Senatus Consultum Tertyllianum. 396. 3.
Senatus Consultum Trebellianum. 352.
Sepulchrum quid. 156. 2.
Seruitus definitur. 24. 2.
Seruitus iure gentium introducta est. ibid.
Seruitutes sunt naturali Iuri contrariæ: sunt tamen naturali ratione introductæ. 152. 2. & 4.
Serui unde dicti, & quare mancipia dicantur. 25.
Serui, aut nascuntur, aut fiunt, & quo-

quomodo. 25. 2.
Serui non sunt capti in bello inter christianos. 78. 3.
Seruus nullum habet statum. 99. 2.
Serui in potestate dominorum sunt. 44. 2.
Serui pœnæ. 76. 1.
Serui ordinarij, & serui vicarij, qui sint. 328. 2.
Seruos suos vendere quandoque cogitur dominus. 45. 3.
Seruus communis ab vno dominorum manumissus, quando liber fiat. 221. 4.
Seruus à domino adoptatus, vel apud acta filius nominatus, libertatem nanciscitur, non tamen filiationem. 73. 1.
Seruus domino, etiam ignoranti, & inuito, acquirit. 231. 3.
Seruus heres institutus, hereditatem adire non potest sine iussu domini. ibid.
Serui, in quibus vsumfructum habemus, vel serui, hominesue liberi, quos bona fide possidemus, ex quibus causis nobis adquirant. 232. 4.
Seruus ex persona domini Ius stipulandi habet. 461. 1.
Seruus hereditarius stipulando acquirit hereditati. 461. 2.
Seruus, factum sibi stipulando, cui acquirat. 462. 4.
Seruus communis, cui per stipulationem acquirat. 465. & 528. 2.
Seruus eius, qui in vtero est, rectè heres instituitur. 272. 4.
De seruo à domino suo herede instituto. 271. 2.
De seruo alieno herede instituto. ibid. 3.
De seruo hereditario herede instituto. 272. 4.
De seruo plurium herede instituto ab extraneo. 273. 2.
Seruitutes prædiorum quomodo constituantur. 194. 3.
Seruitutes prædiorum sine prædijs constitui non possunt. 193. 3.
Seruitutem constituens in prædio alieno, euictionis nomine personaliter obligatur. 194. 1.
Seruitutes an ex bonis nostris sint. 150 *in princ.*
Seruitutes rusticorum prædiorum, quæ sint. 189. 3.
Seruitus Itineris. 190.
Actus. ibid.
Viæ. ibid.
Aquæductus. 191.
Aquæhaustus. 192. 4.
Pecoris ad aquam adpulsus. 193.
Pecoris pascendi. 193. 2.
Calcis coquendæ. ibid.
Arenæ fodiendæ. ibid.
Seruitutes Vrbanorum prædiorum, quæ sint. 191. 1.
Seruitus Oneris ferendi. 191. 2.
Tigni immittendi. ibid. 3.
Stillicidij, vel fluminis recipiendi, vel non recipiendi. 192.
Altius non tollendi, & vicini luminibus non officiendi. 192. 2.
Altius tollendi seruitus. 586. 1. & 2.
Prospiciendi. ibid.
Proiciendi aliquid. ibid.
Seruitus vrbana, vrbano tantùm prædio, & rustica rustico tantùm acquiri potest. 194.
Seruitus vrbana, etiam à rustico prædio, & rustica, etiam ab vrbano deberi potest. 194. 1.

Seruitus à prædio dominante, vrbana, vel rustica appellatur. ibid.
Stearij quinam sint, eorumque pœna. 683.
Societas quid. 507. 3.
Societas vel fit omnium bonorum, vel alicuius negotiationis. 507. 2.
Societas valet quamuis expressa fuerint partes inæquales lucri, & damni, & huius rei exempla. 509. 1.
In Societate, si expressa fuerint partes: hæ seruari debent: sin minùs, æquales spectantur, & quomodo hoc sit intelligendum. 568. 1. & 2.
In Societate pactum de lucro, intelligitur etiam de damno, & contra. 509. 4.
In Societate quomodo lucrum, & damnum computari debeat. 509. 1.
Societas soluitur Renunciatione expressa, vel tacita. Societati tamen calidè renuncians, à se quidem liberat socios, se autem ab illis, non liberat. 510. 1. & 2.
Societas soluitur morte vnius ex socijs. Neque possunt socij pacisci, vt heres societati succedat, nisi sint socij vectigalium. 511. 1.
Societas finitur finito negotio. 511. 3.
Societas soluitur publicatione bonorum socij. Item cessione bonorum. 511. 4.
Socius socio tenetur de dolo, & culpa lata, non etiam de leui. 512. 3.
Solidi, seù aurei æstimatio. 110. 3.
Soluendo non est, qui solidum soluere non potest. 36. 2.
Solui non potest aliud pro alio inuita creditori, neque pars eius quod debetur. 442. 2. & 529. 2.
Solutione debitor liberatur, & alio soluente pro eo, etiam ignorante, vel inuito. 529. 1.
Species facta ab aliquo ex aliena materia, vel partim ex sua, partim ex aliena, cuius sit. 167. 2. & seq.
Spurij. 62. 2. & 3.
Stadium quid. 154. *in princ.*
Status quid sub se cõprehendat. 97. 1.
Stipulatio quid sit. 451. 3.
Stipulatio vnde dicatur. 453. *in princ.*
Stipulationis verba. 453.
Stipulationis forma. 453. 4.
Stipulationem significat Promissionis verbum scriptum in Instrumento. 480. 2.
Stipulatione vna pluribus rebus comprehensis, si quidem promissor indefinitè respondeat: propter omnes tenetur, alioquin quatenus responsum est. 480. 3.
De Stipulatione pura, vel in diem. 454.
Stipulatus purè quando agere possit. 485. 3.
Stipulationi dies tacitè inest, cum locus solutioni adiectus est. 457. 2.
Stipulatus dari hoc anno, aut hoc mense, quando petere possit. 485. 2.
De Stipulatione Quoad viuam. 455. 2.
De Stipulatione sub conditione. 455. 4.
Stipulatio conditionalis, & ad heredes, & in heredes transit. 485. 1.
Stipulatio facti, & quomodo ei pœna adijciatur. 458.
Ex stipulatione quæ actionis oriantur. 451. 1.

Stipulandi, & promittendi duo plurefue rei fieri possunt, & quomodo. Et harum stipulationum effectus. 459. 1. & 460. 2.
Stipulatio seruorum. 461. & seq.
Stipulatio filij familias. 462. 2.
Stipulationes Iudiciales. 464. 2.
Prætoriæ. 465.
Ædilitiæ. 465. 3.
Conuentionales. 466. 1.
Communes. 466. 3.
Stipulatio damni infecti. 465. 2.
Legatorum. ibid.
Rem pupilli saluam fore. 466. 3.
De Rato. 466. 4.
Stipulatio est inutilis si de alia re stipulator senserit, de alia promissor. 484. 1.
Stipulationes turpes nullius sunt momenti. 484. 4.
Stipulationes plures quæ sunt inutiles ratione rei in stipulationem deductæ. 467. & seq.
Stipulatio inutilis est si quis stipuletur extraneo. Potest tamen solutio etiam in extraneum conferri. 470. 1.
Stipulatio vt alteri detur, nisi pœna addatur inutilis est. 481. 3.
Stipulari alteri licet quando interest stipulatoris. 482. 2.
Stipulatus dari sibi, & extraneo, dimidiam tantum partem sibi adquirit. 471. 1.
Stipulatio est inutilis inter patrem, & filium, dominum, & seruum. 473.
Stipulando pater filio, vel filius patri cui adquirat. 471. 2. & 3.
Stipulatio, an, & quando sit inutilis, si quis ad ea, quæ interrogatus fuerit, congruenter non respondeat. 472.
Stipulari, vel promittere non potest mutus, surdus, vel furiosus. 474.
Stipulatio nihil valet si impossibilis conditio obligationibus adijciatur. 476.
Stipulatio inter absentes concepta inutilis est. 477. 1.
Stipulatio extinguitur si sine facto promissoris ad eum casum deuenerit a quo incipere non poterat. 468. 1.
Stipulatio post mortem meam, vel tuam, & pridiè quàm moriar, vel quàm morieris, hodie valet. 478. 1.
Stipulatio præposterè concepta, hodie valet. 479. 1.
Stipulatio, cùm moriar, vel cùm morieris: Item post mortem alterius: etiam apud veteres vtilis erat, 479. 4. & 480. 1.
Stupri pœna. 682. 2. & 3.
Substitutio quid. 280. 3.
Substitutio directa quæ, & quæ fideicommissaria. 281. *in princ.*
Substitutio directa, aut Vulgaris est, aut Pupillaris, aut exemplaris, aut militaris. Et quænam istæ sint. 281.
Substitutio directa in Codicillis facta benignè sustinetur in vim fideicommissi. 281. 4.
Substitui possunt plures in vnius locũ, vel vnus in plurium, vel singuli singulis, vel inuicem ipsi, qui heredes instituti sunt. 282.
Impariter instituti, si sine parte inuicem substituantur, substituti intelliguntur ex ijsdem partibus, quibus instituti sunt. 282. 3.
Substitutus instituto heredi, qui coheredi

redi suo substitutus est, utrique substitutus iudicatur. 283.1.
Substitutus seruo alieno heredi scripto, quem testator liberum esse credebat, etiam illo adeante, in partem dimidiæ hereditatis admittitur. 284.1
Substituere pupillariter quis possit, & quibus, & quomodo. 285.
Substitutio pupillaris comprehendit etiam ea, quæ postea pupillis obuenerint. 285.
Substitutio pupillaris potest fieri secreto. 287.1.
Substitui pupillariter potest etiam exheredato. 288.1.
Substitutio pupillaris an valeat, si patris testamentum non valeat. 289.3
Substitui potest, vel singulis liberis, vel ei, qui eorum nouissimus impubes morietur. 290.
Substituitur impuberi, aut nominatim, aut generaliter, & quomodo. 290.3.
Substitutio pupillaris quando finiatur. 291.3.
Substitutio exemplaris cur sic dicta. 286.2.
Substitutio exemplaris à quibus, & quibus fiat. 286.
Substitui exemplariter quanam personæ possint. 286.2.
Substituens liberis exemplariter, debet legitimam portionem eis relinquere. ibid.
Substitutio exemplaris quomodo finiatur. 286.1.
Successorium edictum. 431.
Suspectus tutor, vel curator quis sit. 144.3.
Suspecti accusatio ex l. 12. tab. descendit. 142.1.
Suspectos qui postulare possint, vel non. 143.3. & 144.
Suspecti qui fieri possint. 143. in princ. Vt suspectus remoueri potest tutor, qui non præstat alimenta pupillo. 146.4.
Suspecti postulato interdicitur administratio. 146.1.
Suspectos remouendi Ius, quibus sit datum. Et an mandari possit. 142.3
Suspectus tutor remotus, an, & quando infamia notetur. 145.4.

T

TAlio parem vindictam significat. 574.4.
Telum quid significet. 683.3.
Testamentum vnde dicatur, & quid sit. 236.
Testamentum Calatis comitijs. 237.
Procinctum. ibid. 4.
Per æs, & libram. 238.2.
Prætorium. 239.2.
Solemne, eiusque ordinatio. 239. & seq.
Nuncupatium, seu sine scriptis. 248.
Testamenti factio, vel activa est, vel passiua. 309.1.
Testatus ex parte, & ex parte intestatus decedere quis non potest, nisi sit miles. 275.3.
Testamenta vim ex institutione heredis accipiunt. 340.3.
Testamentum potest fieri clausum. 242.
Testamentis testes adhiberi qui possint, vel non possint. 242. in fine, iunctis 4. pag. seq. Et cur testes in testamentis debeant esse rogati. 240.2
Testamentum facere non possunt filij fam.

fam. nisi habeant castrense, vel quasi castrense peculium. 254.
Testari an possit hodie filiusfam. de aduentitijs, quorum usufructus patri non acquiritur. 256.4.
Testamentum facere non possunt impuberes. Item furiosi, nisi habeant dilucida intervalla. 257.3.
Testari non potest prodigus, cui bonorum administratio interdicta est. 258.3.
Testari, an, quando, & quomodo possit mutus, itemque surdus. 259.1.
Testari quomodo possit cæcus. 259.4.
Testamentum in captiuitate factum non valet, autem factum, vel Iure postliminij, vel ex lege Cornelia, sustinetur. 260.3.
Testamentum ex bono, & æquo sustinetur, si filius prætertus bonis se patris abstinuerit. 262.1.
Testamentum infirmatur, vel Iure ciuili, vel Iure prætorio, & quomodo. 292.3.
Testamentum quando dicatur Rumpi, & quando Irritum fieri. 293.1. & 296.1.
Testamentum quando rumpatur adoptione filij. 293.2. & 3.
Testamentum primum, quando rumpatur posteriore. 294. & seq.
Testamenta iure facta irrita fiunt qualibet capitis deminutione. 295.3.
Testamentum capitis deminutione irritum factum quomodo conualescat. 296.3.
Testamentum, neque nuda voluntate, neque posteriori testamento imperfecto infirmatur. 297.3.
Testamentum inofficiosum quod dicatur. 299.2.
Testamenti inofficiosi querela quibus competat. 299. & 300.
Instituenda est intra quinquennium. 299.4.
Eam non habent, qui ad hereditatem alio Iure veniunt saluo testamento. 301.
Eam non habet impubes arrogatus. 301.2.
Inofficiosi querela quomodo excludatur. 304.
Eam amittit exheredatus, si petenti legatum ex testamento, aduocationem sponte sua præbuit, procurationemue suscepit. 303.1.
Eam non amittit tutor, qui nomine pupilli accepit legatum ex testamento, quod proprio nomine oppugnare poterat. 302.4.
Tutor si pupilli nomine de inofficioso egerit: non amittit legatum sibi relictum in eodem testamento. 303.2.
De inofficioso testamento matris spurij quoq; filij dicere possunt. 301.1.
Inofficiosi querela hodie rescindit tantùm institutionem heredum. 303.3.
Testamentum militare quomodo, & quando fieri possit 249.
Testari propter militiam conceduntur filij familias. 150.3.
Testatur rectè paganus in acie, in hostico, quomodo velit, & quomodo potest. 150.1.
Testamentum Iure militari factum in Castris vsque dum valeat. 151.4.
Testamentum ante militiam non iure factum, per sequentem militiam quomodo confirmetur. 252.3.
Testamentum militis non fit irritum minima capitis deminutione. 253.

Thea-

Theatrum quid. 154. *in princ.*
Thesaurus quid? & inuentus, cui acquiratur. 181.
Traditio dominij adquirēdi modus. 182
Tradere, & dominium rei transferre potest quis per se, vel per alium. 184. 4.
Pro traditione habetur interdum nuda voluntas domini. 185.4.
Traditione clauium horrei, merces venditæ, quæ in horreo sunt, traditæ censentur. 186.1.
Tradi occupanti videtur id, quod ex missilibus occupat, & res pro derelicto à domino habita. 186.2. & 4.
Tribuni plebis quot fuerint Romæ. 105.4.
Triplicatio. 659.
Tutelæ origo, & definitio. 86. & 87.
Tutela, vel Cura, an sit munus publicum, vel priuatum. 129. 2.
Tutelæ onus plerumque ibi esse debet, vbi successionis est emolumentum. 101.2.
Tutela testamentaria. 87.3. & 4.
Agnatorum legitima. 94.
Patronorum legitima. 101.
Parentum legitima. 102.
Fiduciariæ tutelæ tres species. 103.4.
Fiduciaria tutela hodie potest rectè vocari legitima. 104.2.
Tutela data filijs, etiam postumo data intelligitur. 93.1.
Tutela data filijs non intelligitur data nepotibus. 93.1.
Tutela data liberis etiam nepotibus data videtur. ibid.
Tutela data postumis, tam filijs, quàm nepotibus postumis, data intelligitur. ibid.
Tutela data filijs, etiam filiabus data videtur, non verò è contra. 93.2.
Tutela quibus modis finiatur, vide infrà in Verbo, Tutela finitur.
Tutores, vel curatores quemadmodum constituantur. 642.
Tutor principaliter datur personæ, curator verò principaliter datur rebus. 86.3.
Tutores qui, & vnde dicti. 87.2.
Tutorem esse virile officium est, & alienum à fœminis: Matri tamen, & auiæ liberorum tutela permittitur. 101.4.
Tutores honorarij. 125.4.
Tutor non causæ, vel rei, sed personæ datur. 92.3.
Tutoris, seù curatoris fides, & diligentia potiùs, quàm facultates considerantur. 148.2.
Tutor dari non potest habenti tutorem. 124.3.
Tutor testamento, à quo, & quibus detur 87. 3. *Quid de dato in Codicillis*. 88. 2.
Tutor dari potest à Testatore ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante heredis institutionem. 92. 1.
Tutor testamento dari potest etiam postumis. 89.
Tutor testamento non legitimè datus, quomodo, & quando confirmetur à Magistratu. 87. *in fin.*
Tutor dari potest etiam filius fam. 90. 1
Seruus proprius, vel alienus quomodo, & quando rectè tutor detur. 90.3. *& seq.*
Furiosus, vel minor 25. annis, tutor testamento datus, tutor tunc erit, cùm fuerit impedimentum sublatum. 91. 4.

Tutore testamentario decedente, in locum eius datur alius. 95.3.
Tutores legitimi qui dicantur. 94. 3.
Tutori legitimo, si remouendus videatur, curator adiungitur. 120. 2.
Tutores ab intestato sunt hodie proximiores gradu, siue sint agnati, siue cognati. Et intestatus quoad tutelam quis decedere dicatur. 95. 2. & 96. 1.
Tutor Atilianus, seu datiuus. 105. 2.
Tutor datur à Magistratibus in pluribus casibus. Et à quibus Magistratibus detur. 107. 3. & 108. & seq.
Tutor a Magistratu purè tantùm dari potest. 117. 3.
Tutoris datio alteri mandari non potest. 108. 3.
Tutores ex inquisitione. 107. in fin.
Tutores quomodo ad administrationem, & cautionem compellantur. 108. 1.
Tutoribus pluribus, vel curatoribus testamento, vel ex inquisitione datis, quis gerere debeat. 125. 1. & seq.
Tutor datiuus quibus modis tutor esse desinat. 107. 3. & 4.
Tutor esse non potest debitor, vel creditor pupilli, nisi esset mater, vel auia. 115. in princ.
Tutor actorem potest constituere decreto Magistratus. 123. 3.
Tutores, vel curatores procuratorem facere non possunt. Sed pupilli, vel adulti cum eorum auctoritate procuratorem ordinant. 123. 4.
Tutoris auctoritas quid. 111. 2.
Tutoris auctoritas quando necessaria, & quando non. 111. & seq.
Tutor quando, & quomodo debeat auctoritatem suam interponere. 113. 3.
Tutor admonere debet pupillum puberem factum, vt sibi curatorem petat. 115. 4.
Tutores, finita tutela, administrationis rationem reddunt. 110. 3.
Tutores tutelæ iudicio tenentur quasi ex contractu. 522. 1.
Tutela, vel cura malè administrata, in quos actio detur. 126. 3. & 4.
Tutela finitur pubertate pupilli. 115. Qualibet capitis deminutione pupilli. 116. 4.
Conditionis euentu. 117. 2.
Morte, vel pupillorum, vel tutorum. 117. 4.
Maxima, vel media capitis deminutione tutoris. 118. 1.
Tempore finitio, si ad certum tempus testamento data sit. 118. 4.
Remotione, & Iusta excusatione perpetua. 119. in princ.

V

Vacantia bona quæ sint. 213.
Venandi, aut aucupandi gratia, qui in alienum fundum ingreditur, potest à domino, si is præuiderit, prohiberi, ne ingrediatur. 159. 1.
Venditæ res & traditæ quatenus emptori adquirantur. 183. 4.
Veneficij pœna. 683. 4.
Vindicta quid. 30. 4.
Vi occupans rem suam, vel alienam quomodo puniatur. 668. 3.
Vis publica, vel priuata quæ dicatur, & quænam sit eius pœna. 686. & seq.
Vniuersales modi acquirendi. 235. 3.

Vsucapio vnde dicatur, & quid sit. 206.
Vsucapio, & longi temporis possessio, & præscriptio quomodo differant. 206.3.
Vsucapionis origo, & requisita. 205.3.
Vsucapio quare introducta. 207.4.
Ad vsucapionem, quod tempus præfinitum sit. 205.4.
Ad vsucapionem quo tempore bona fides requiratur. 207.1.
Vsucapionis Iustus titulus. 208.1.
In vsucapionis materia, qui præsentes dicantur, & qui absentes. 208.
In vsucapionibus possessio defuncti quatenus heredi continuetur. 214.
Ad vsucapionem prodest emptori bonæ fidei tempus, quo venditor, antequam venderet, possedit. 214.4.
An vsucapere possit accipiens rem immobilem bona fide à malæ fidei possessore. 212.1.
Vsucapere non potest fructuarius. 233. *in princ.*
Vsucapi non possunt liber homo, res sacra, vel religiosa, vel seruus fugitiuus. 208.2.
Vsucapi non possunt res furtiuæ, & vi possessæ, licèt deinde ad bonæ fidei possessorem peruenerint. 208.4.
Vsucapio non procedit erranti in Iure. 210.4.
Vsucapi non potest res fisci. Possunt tamen vsucapi bona vacantia fisco nondum nunciata. 212.4.
Vsucapionem non parit error falsæ causæ. 213.2.
Vsucapienti non obstat error facti alieni. 213.4.
Vsusfructus definitur, & definitio explicatur. 195.2.
Vsusfructus quibus modis constituatur. 196.
Vsusfructus quibus in rebus constituatur. 197.
Vsusfructus quibus modis finiatur. 198.4.
Vsusfructus extraneo cessus, an finiatur. 199.4.
Vsusfructuarius quatenus fructus suos faciat. 179.1.
Vsusfructuarius gregis, vel fundi ad quid teneatur. 180.
Vsus quid, & quibus modis constituatur, & finiatur. 200.4.
Vsuarius fundi quomodo à fructuario differat. 201.
Vsuarij ædium Ius, & fructuarij differentia. 202.3.
Vsuario serui, iumentine quid debeatur. 203.2.
Vsus pecorum in quo consistat. 204.
Vulgò concepti. 62.1.
Vulgò quæsiti, an, & quando ad matris hereditatem admittatur. 402.2
Vulgò quæsiti nullum patrem, nullum agnatum habere intelliguntur. 405.4.
Vulgò quæsiti sunt cognati inter se, & etiam illis, qui per matrem eis coniunguntur. 406.1.
Vxor habet dotem, Receptitia, & paraphernа. Et quodnam Ius in illis habeat maritus. 141.2.

FINIS.

1028217